CASPARIS BARLÆI

ORATIONVM LIBER.

Accesserunt

Alia nonnulla varii & amœnioris

ARGVMENTI.

EDITIO TERTIA, correctior & auctior.



AMSTELÆDAMI,
Apud IOANNEM BLAEV.
M DC LXI.



Nobilissimo, Amplissimo, Prudentissimoque viro,

D. JOACHIMO VICOFORTIO,

Ord. S. Michaëlis Equiti,



Et Serenissimæ

HASSIÆ LANTGRAVIÆ à CONSILIIS, &c.

LOquimur mortales, præstantissime VICOFORTI, quod nec Angelis concessum, nec brutis. Non illis, quia per disciplinam & voces, discere eos non est necesse, quæ natura perspecta habent & congenita. Non his, ob rationis defectum, cujus oratio est interpres. Nec loquimur solum; verum ita quisque loqui amat, ut persuadeat. ideoque artem adhibet, ut velut lenocinio quodam orationis impetret, quod intendit maxime. Tenella & puerilis ætas subsidii & solatii indiga, voce ad ploratum composita, vel ipsam novercæ iram expugnat, ut acquirat

quod dentibus immolet. Amantes leni ac popyſmis ſuis blandiente oratione, amaſiæ pertinaciam frangunt. Iratus concitatius loquitur, ut terreat; timenti remiſſa & tremula vox eſt, ut evadat; mœſto, languida & flacceſcens, ut miſereamur; gaudenti comis & hilaris, ut oblectet. Ita quiſque ſibi & Rhetor eſt & Orator; eamque elocutionem comminiſcitur, quam perſuadendis movendiſque aliis optimam novit. Quin ſchemata ſua ſingulis & loquendi formas, etiam indoctis, ſuus dictat affectus & vehemens intentio. Medea, Rhetorices, ut opinor, neſcia, dum vehementer quid cupit, Epizeuxin facit. *Da, da* (inquit) *per auras curribus patris vehi.* Dido, iracunda & commotior ἀντίθετα loquitur, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.* Penelope ob mariti abſentiam dolens εὐχὴν format: *O utinam tunc cum Lacedæmona, &c.* Paſtoribus apud Maronem modò Apoſiopeſin imperat indignatio, *Novimus & qui te.* modò obliquam Interrogationem vehementius aſſeverandi ſtudium, *Non ego te vidi Damonis, &c.* Vt Rhetoricæ

toricæ regulas non necesse sit ab Hermagora, aut Molone aut Siculis petere, cum cuique nostrum eas dictent animi impetus & studia. Quod si verum est, quid mirum, Græcos, gentem acutam & controversam valde, in hoc annixos fuisse, ut cum rei bellicæ studiis dicendi exercitationem, cum casside linguæ, cum oleæ præmiis facundiæ laudem gloriamque conjunxerint, tunc maxime, cum regna urbesque per eloquentiam potius, quam armorum vim expugnandæ essent. Quis Mercurius ille λόγιος sive Hermes fuit? me judice, orator exercitatissimus fuit, ob facundiam pro numine habitus. Quales Nestor, Menelaus, Vlysses? oratores Græci fuere, in quorum verbis vis ἑλκυστική fuit & facultas ducendi homines, quo vellent. Et expediebat sane tales ad Trojam mitti cum, non classibus solum & flammis, sed tropis quoque & schematibus, vincendi essent rudiores Asiatici. Graviter & prudenter locutus est Solon, oratorum Atheniensium fere primus, ut Pisistrato imperium affectanti resisteret. Contra suavis fuit Pisistrato &

flexanima dictio, ut populi animos deliniret & regno potiretur. Aristoteles incredibili tum dicendi copia, tum etiam suavitate apud Alexandrum effecit, ut totam Græciam administram habuerit in scribenda Animalium historia. Demosthenes ad ἄνδρας ἀθηναίους loquens Philippum Græcia arcuit, donec ab Harpalo corruptus argentangina laborare cœpit. Tantum potuit Atticismis suis Demades, apud eundem regem, ut non seipsum tantum, sed & bis mille Athenienses prælio ad Chæroneam captos gratis rex remiserit. Dum bellis asserenda fuit Græcia, prolatandi fines, arcendi Macedones & Persæ, viguere oratores maximi. Scilicet, dicendi splendide, graviter, acriter & acute necessitatem ipsis imposuit, defendendi imperii necessitas. Quamobrem captis à Sylla Athenis, languit Atticorum Suada, & fatiscente Cecropidarum gloria, elanguit dicendi facultas, dejecta simul sceptri & linguæ, armorum & oratorum majestate, fulgore, impetu. A Græcis loqui disertius didicere Romani, sive ad bella inflammandi essent

civium

civium animi, ſive componendæ ſeditiones, ſive exigendus urbe conjuratorum princeps, ſive objiciendus publicæ infamiæ futurus Triumvir, ſive Reip. vindicanda ſalus, ſive perſuadendum aliud quid, cujus Romani imperii intereſſet. Tunc magna C. Cethegi, Catonis Cenſorii, Scipionis Africani minoris, Lælii & Servii Galbæ fama fuit. Licet alium dicendi vis, alium majeſtas, alium elegantia, alium lenitas Græcanicæ ſimilis erexerit. Quos ſecuti ſunt, Cæſar Dictator & Cicero, Bruti quidem teſtimonio fractus & elumbis, Calvi ſolutus & enervis, ſed plurium & ſequentium omnium ſeculorum, eloquentiæ Romanæ facile Princeps. Omnibus hoc ſtudium fuit, ut docerent, delectarent, moverent. quæ tria non æque ab omnibus præſtita, nec ſingulis omnem laudem, nec nullam conceſſere. Et quanquam poſt Tullium exſtiterint Viri diſertiſſimi, tamen inde à Symmachi temporibus, deficiente & vergente in pejus Romano Imperio, minus glorioſe & pugnavere & peroravere Quirites, ut neſciam, an armorum

ſucceſſus eloquentiam, an hæc armorum audaciam fiduciamque magis erexerit. Hoc omni ſeculo compertum, apud eruditos populos, animoſius inter bellorum furores & tubarum ſtrepitus pro aris & focis declamaſſe oratores, ſive in hoſtem vibranda eſſet oratio, ſive de victo hoſte triumphandum.

Quo nos ævo vivimus, Ampliſſime Vicoforti, etiam loquimur mortales, & loqui conamur, ut perſuadeamus. & inter patriæ bella ſecuri peroramus. Verum uti infantes paternas maternaſque voces balbutientes imitantur, ita veterum Græcorum & Romanorum in dicendo imitatores ſumus, & umbræ, & priſcæ facundiæ abortus & ſimulachra. Cum diſerti quibuſdam videmur, loquaces ſumus, aut verboſi nimis & remiſſi; dum acumina affectamus, res magnas minutiſſimis & rancidis ſententiis frangimus, nec niſi fumos ex antiquitatis luce damus. Nec tamen ſilendum propterea poſteris, ſed loquendum quoque, ne linguam ferrugo occupet, aut ſilentiariis adſcribamur; præſertim titulo

pro-

profeſſores, qui audiri ſe malunt non eloquentes, quam non loquentes. maxime, cum quæ Veteres ad loquendum impulerunt cauſæ, etiam nos movere poſſint, nempe: hoſtium odea, victoriarum gloria, principum felicitas & fortuna, quæſita in rebus humanis honeſta voluptas, & rei vel nullius, vel ſtupendæ exaggeratio. Me quod attinet, dum in illuſtri Amſtelodamenſium Gymnaſio inter Philoſophorum triſtes cathedras verſor & Thomæ, Scoti, Cajetani aliorumque ingenioſiſſima commenta, ſine Atticis & Romanis leporibus, eloquor, voluptas ſubinde me cœpit, ad vetera litterarum ſtudia recurrendi, & deterſa profeſſoriæ linguæ ſcabricie, eam affectandi dictionem, quæ Philoſophorum ſubſelliis minus eſt familiaris & conveniens. Volebam etiam ab ea urbe non exulare voces veteris Latii, in qua barbaras Perſarum, Arabum, Afrorum, Moſchorum indies audimus. Nec dixi ſine delectu. Cum primum metropolin hanc ingreſſus eſſem, (annus jam eſt duodecimus) mercimoniis toto orbe celeberrimam,

docui mercatores ſapienter & ex Stoicorum rigidis præceptis mercari, ea oratione, quæ ſcholæ noſtræ inauguralis fuit, & *Mercator ſapiens* inſcribitur. Cum de Machiavello apud viros maximos & politicos incidiſſet ſermo, & de nefario ſcriptore benignius quidam ſentirent, dixi de *Bono Principe*, & oſtendi, non indicari ab illo, quis Principum vivendi mos ſit, ſed quid Principem facere oporteat, non hiſtorici illum & narratoris, ſed præceptoris & ſuaſoris partibus fungi. Cumque inter Oratoris ſcopos ſit delectatio, dixi alibi de *Ente Rationis*, hic de *Ente Reali*, ſive Re, eo dicendi genere, quod nequaquam Catoni frontem corrugare poſſit & ſupercilium adducere faſtidioſo auditori. Eſt ea hominum, mi Vicoforti, conditio, ut θαυματοῖλας ament, & quicquid admirandum, ſuſpiciant & venerentur. Quare, fuit, cum de *Animæ* & *Cœli admirandis* verba feci, ne ſemper trita loquendo, ſomnolentos adſpectarem auditores. Nec ignoras, inter tympana & tubas, claſſes & claſſica Batavos vivere, & Hiſpanorum metuendam

tuendam fortunam assiduis bellis fatigare; victoriis terra marique partis claros. His excitatus, in *Panegyricos* digressus fui, nec Suasoriis contentus, laudavi Auriacos, Fœderati Belgii patres, Remp. florentissimam, quæ pacatis domi rebus, profligata tyrannide, domito Oriente, attrito Occidente, quicquid Vniversi terminis capitur, nominis sui & rerum gestarum fama implevit. Denique, cum à rebus divinis minime alienam esse facundiam, grandibus exemplis ostenderint priscæ Ecclesiæ lumina, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius & Hieronymus, aliique facundissimi Scriptores Græci ac Latini, conatus fui de *Præsepi* Servatoris Christi & *Cruce* ejus copiosius & ornatius loqui, ne ingrati arguamur in illum, à quo omnis hæc dicendi facultas profecta est.

Tibi, Nobilissime Vir, hoc Orationum mearum Opusculum inscribo, non uno nomine. Primum est, quod his ipsis studiis, quibus ad humanitatem & elegantiam omnem informamur, jam inde à teneris imbutus sis,

& facundiam tuam, si non in Scholis declamando, in Aulis apud Principes & terrarum rectores, scribendo prolixe explices. Alterum est, quod recitantem hæc ipsa me sæpius audiveris. ut monere jam necesse habeam, recitatæ orationis vim majorem esse, quam scriptæ. cum illam dicentis affectus accendat, acuat, attollat. hæc vero, dum motus animi abest, flaccescat lecta. Tertium est, sanctum illud & venerabile amicitiæ nomen, quam tecum, ex quo pedem in Vrbem hanc intuli, perpetuam colui, & conservavi. Dicam ingenue. Multa hujus civitatis decora sunt, quæ me afficere solent, ædium undiquaque conspectus pulcherrimus, stupenda Martis robora, classes & armamentaria, mercatorum frequentia, comitas, solertia, peregre advenientium, etiam ex alio orbe, mores, lingua, vultusque diversissimi, mercium receptacula, quibus aëris, terræ, aquarum spolia asservantur, templa, turres & sublimes passim Phari. Verum oculorum hæc solummodo oblectamenta sunt & pabula. quibus prætuli semper amicorum

corum aliquot ſuaviſſimam conſuetudinem, quæ mihi in agris pro vehiculo eſt, in orbe pro delitiis, in conviviis pro nectare, in funeribus pro ſolatio, in cymbulis & aquis pro Sirenibus, in ambulacris & porticibus pro pictis tabellis. Inter hos familiam & agmen Te duxiſſe non dubitas, vel cum illorum invidia, qui & te & me amant tenerrime. nec enim dum te totum occupabam & poſſidebam, aliorum æque eſſe poteras. Vtique exoſculatus in Te fui virtutes ſummas, doctrinam, antiquitatis Græcæ & Romanæ curam ſtudiumque, comitatem, candorem, fidem. quibus me, ceu compedibus & numellis ita N. T. devinxiſti, ut jam avelli, niſi fato poſſim. Et cum nominis tui gratiam late foris cum literis officiiſque publicis privatiſque diffuderis & diffundas indies, etiam me hic illic, velut incertam epiſtolam, aulis intuliſti, & eorum favore totum involviſti, quibus mihi male velle, religio eſt. Hæc teſtatus apud alios fui ſæpius, jam teſtor publice, hac nominis tui Inſcriptione quam præ ſe fert libellus

 noſter,

noſter, quo cultam hactenus & gliſcentem aſſiduis incrementis amicitiam Tibi oppignero. Eam æternam faxit, Te vero tuoſque hic ſoſpites, alibi beatos velit ipſa Æternitas. Amſtel. 20 Iun. 1643.

N. *Tuæ*

Cultor obſervantiſſimus

CASPAR BARLÆVS.

Cla-

Clarissimorum Virorum

H. GROTII, & P. CUNÆI EPISTOLÆ,

in quibus de nonnullis Cl. C. BARLÆI orationibus judicium ferunt.

BEas me, Barlæe doctissime, quod & memorem te nostri esse ostendis, & egregiis muneribus nos locupletas, imo quicquid hic est Lutetiæ eruditorum. Nemo enim est ejus gregis mihi cognitus (novi autem plurimos) qui non & piam gravitatem in Natali Dominico & heroicæ tubæ Martios spiritus in Silvaducis, & in elegia hilarem facundiam, & in nuptiis Peripateticis doctam venustatem laudet, atque hæc non universa tantum, sed & singula ut ἀμίμητα admiretur. Satis jam dixi, ut scias postrema operum tuorum fratre curante diligentius, quam solent mercatores, ad meas manus pervenisse. Recte autem & ut tua comitate nostraque amicitia dignum est facis, cum me eximis ordini

dini τῶ ἀναπτώτων ὀφρῦς. Diceret si viveret is quem meis (quod honori interpretor) verbis descripsisti vir facetissimus, quam mihi semper fuerit minime abhorrens à leporibus ingenium: quo nunc mihi gratius esse debet ea legere, quæ non frontem tantum, sed & animum exporrigant & me à sensu malorum, quæ patriam magis quam me, quanquam & me, premunt, suaviter abducant. Illud dolet quod Saturni ædes ita hic obsepta sit adamantinis portis, ut ad eam Musis aditus non detur. Vtinam saltem in patria nostra non desint qui eruditioni tuæ justa reddant præmia, nec illa cum Athenis sæpius in sapientiam peccet. Nosti & hoc dictum ἐκ τῶ περιπάτου. Vale vir eruditissime. XXVIII *Martii*, CIↃ IↃ XXX.

Tui nominis cultor

HVGO GROTIVS.

Cla-

Clarissimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

cognato suo,

PETRVS CVNÆVS

S. D.

ORationem tuam, clarissime cognate, accepi eo ipso die, quo novissimas ad te scripseram literas. Sed epistola tua, quam ei adjunxeras, triduo ante exarata erat. Legi omnia, perpendi, probavi. Argumenti elegantia, & rerum accurata tractatio longe famam, quæ ad aures meas pervenerat, superarunt. Et pro hoc igitur munere obstrictus etiam tibi sum, & gratias ago. De uxoris tuæ valetudine intelligere cupimus. Negotium illud, quod Magistratui Amsteldamensi cum Senatu Ecclesiastico intercesserat, bene recteque, & pro dignitate reipublicæ vestræ finitum esse, vehementer gaudeo. Academia nostra motibus non omnino vacat. Et me jam quiescere non sinit ratio mune-

muneris, quod præter exſpectationem ac plane contra votum meum mihi delatum eſt. Ego, qui ante plures annos hoc honore delectabar, nunc eum ex animo averſor. Ea eſt rerum, quæ quotidie occurrunt, conditio. Qui has literas tibi tradet, Uytenbogardus eſt, Conſulis Realii ex filia nepos, juvenis juriſprudentiæ ſtudiis apprime excultus, cui propediem nomen titulumque Iuriſconſulti tribuemus. Eum ſine literis meis abire nolui. Vale cognatorum cariſſime, cum lectiſſima conjuge liberiſque. Lugduni Batavorum, 10 Februarii, 1632.

Viro clariſſimo amiciſſimoque
D. CASPARO BARLÆO,
cognato ſuo,
PETRVS CVNÆVS
S. D.

Clariſſime & amiciſſime cognatorum, pro diſſertatione tua in Machiavellum gratias tibi ago, atque agunt etiam amici,

amici, quibus id munus tradi voluisti. Omnes ita judicant, ut res est, præstare multis aliorum prolixis commentationibus scriptum hoc tuum, in quo efficacissimis solidissimisque argumentis, & summa dictionis elegantia exsecutus es quidquid tractari potuit in hoc genere. Bene de seculo meritus es, qui hoc tempore, cum sub religionis & boni publici obtentu religio virtusque pene omnis conculcatur, tætros hos mores insectatus es. In qua profecto re illud præcipuæ tuæ felicitatis erit, quod etiam illi ipsi, quos scribis Machiavelli ζειν, institutum tuum palam laudabunt vel contra animi sui sententiam. Quod te humaniter à me exceptum esse ais, si ad animum meum refers, bene est. Sin cætera spectes, ideo impensas nullas feci, ut scires qua lege velim hospitio tuo uti cum ad te venero. Neque aliter constare hanc rationem debere puto inter eos, qui sunt adfectu conjunctissimi. Vale, Vir amicissime, cum uxore liberisque, quibus plurimam salutem adscribimus omnes. Lugduni Batavorum, 12 April. 1633.

Cla-

Clariſſimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

cognato ſuo,

PETRVS CVNÆVS

S. D.

COgnatorum amiciſſime & clariſſime, homiliam tuam in diem natalem Dei Dominique noſtri Ieſu Chriſti, ſumma & pietate & dictionis atque ſententiarum elegantia ſcriptam eſſe judicant mecum omnes amici tui, atque inter hos apprime ii, quibus exemplaria tradi hic voluiſti. Quid illic dignum occurrat reprehenſione vel ſeveriſſimi animadverſoris, nemo quiſquam, quod ſciam, reperit. Scripta vero ea, quæ nuper in te prodierunt, ſic optime & re & factis confutari credunt, ſi per ſilentium iſthæc tranſmiſeris, quæ modeſte ſpreta cito exoleſcunt. Ille ipſe p tientiæ Chriſtianæ magiſter, cujus cunabula prædicaviſti, documento tibi ſit, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει. Certe

quo-

quoniam nullam ejus rei mentionem in literis tuis fecisti, visus mihi es magno animo totum hoc, quidquid est, aspernari. Epigramma istud, quod de accessione celsioris istius tituli condidisti, dignum omnino & benevolentia Christianissimi regis, & ingentibus Principis nostri Auriaci virtutibus est. Deum optimum maximum rogo, ut, quemadmodum facile apud nos incrementum capiunt potestatis & honorum nomina, ita porro in majus meliusque efflorescat reipublicæ nostræ stabilitas. Vale, vir amicissime, & cum liberis tuis novum hunc annum multosque insequentes bene ac feliciter exige. Lugduni Batavorum 19 Ianuarii 1637. Cl. V. D. Vossium meis verbis saluta. Iterum vale.

CASPARI BARLÆO,
HVGO GROTIVS
S. P. D.

L*Egi cum voluptate maxima, poëtarum, oratorum, philosophorum clarissime,*

ſime, Mediceam hoſpitem, opus & tua eloquentia, & ejus quæ celebratur majeſtate dignum. Simul, neque minore cum gaudio, cognovi ejus urbis, cui & reſpublica plurimum & ego non parum debeo, creſcentem indies magnitudinem, quam ſervet augeatque Regum, Reginarum, civitatum ſummus arbiter. Delphinus, cujus auguſtum nomen felicem facit libri tui clauſulam, nutrices non laſſat tantum ſed & lacerat. Caveant vicini ſibi à tam matura rapacitate. Ejus interim avia generorum terras perambulat, magno fortunæ, nihil à ſuo jure excipientis, documento. At tu

Das ſolatia grandibus ſepulchris.

Sepulchra dico, Laberiano illo ſenſu:

Sepulchri ſimilis, nil niſi nomen retineo.

Relinquat te intactum ventoſa illa Dea, &, ut ſuperba eſt, præteriens plana, in montes potius fulminet. Hoc tibi precor: te vero, ut ſæpe tua, id eſt, longe optima, dono accipiamus, legamus, laudemus. Lutetiæ XXVII *Auguſti* cIↃ IↃ C XXXIX.

CON-

CONTENTA
HOC
LIBRO.

Oratio



MER-

CASPARIS BARLÆI MERCATOR SAPIENS,

SIVE

Oratio de conjungendis Sapientiæ & Mercaturæ studiis



In Illustris Amstelodamensium Gymnasii Inaugurationem.

Amplissime D. PRÆTOR, *Magnifici spectatissimique* CONSULES *&* SCABINI, SENATORES *Gravissimi*, SYNDICI *Prudentissimi, Curatores Dignissimi, Pastores Ecclesiarum Vigilantissimi, Doctores, Magistri & Scholarum Rectores Doctissimi, Cives, Mercatores Humanissimi, Iuvenes Studiosissimi, & quotquot frequentes ad hanc Panegyrin confluxistis:*

Quoties urbem hanc vestram, jam quoque meam, intueor, A. O. & oculos per ejusdem decora omnia & ornamenta circumfero; pendeo animi, quid primum in ea, quid secundum, quid postremum mirari debeam. Hîc me sacra Deo templa, tot afflictæ paupertatis augusta receptacula, turres & minantes in cœlum Phari; illic injecta fluminibus repagula & cataractæ; alibi mercantium augustæ porticus, tot ubique pontium fornices

& laquearia ſpectantem tenent. Eſt, ubi mercium peregrè advectarum ſtupendam vim, ubi navium multitudinem ac robur, ubi portus capaciſſimos, ubi circumfuſas urbi claſſium ſtationes attonitus adſpectem. Amplitudinem ejus ſi oculis metiri velim, avocat me ædificiorum ſplendor. cum in ſplendore hæreo, interturbat civium frequentia. cum hanc attentius conſidero, in tanta multitudine, Rectorum prudentiam, legum reverentiam, ſubditorum obſequia, modeſtiam, & quod caput rei eſt, ordinem ſuſpicio. Nec illud leve puto, in eam me civitatem tranſlatum cerni, quæ ſtagnis paludibuſque undique innatat, ubi tantorum operum molem portant ligna, librant ſilvæ, & florentiſſimum totius Europæ Emporium ſuffulciunt putreſcentes pini. Vt prorſus in ejus magnitudine conſtituenda natura & labor, virtus & fortuna, tellus Oceanuſque contendiſſe videantur. Quæ quidem omnia, quanquam eximia, ſumtuoſa, admiranda ſint, famamque opulentiſſimæ urbis domi foriſque differant: minora tamen putanda ſunt iſto Ampliſſimi Senatus Conſulumque inſtituto, quo nova ac inſolita huic loco ratione, à Sapientiæ & literarum ſtudiis, earumque publica profeſſione, novum Reipublicæ ſuæ decus hoc die affectare incipiunt. Vtique placuit Viris graviſſimis ac prudentiſſimis, ut quæ Mercurii hactenus fuit ſedes, ac Pluti domicilium, jam Palladis quoque ac Phœbi ſacrarium audiat; opum ſplendorem doctrinæ radiis illuſtret, divitiaſque tum demum rectè æſtimare diſcat, cum earum uſum è Philoſophorum monumentis hauſerit. Et profectò conveniens erat, urbem illam, quæ opum fama orbem univerſum replet, tandem

de

de immortalitatis præsidiis cogitare: conveniens erat, cives mercimoniis intentos filios in spem majorem educare, ut quas fluxas possident opes, optimarum artium scientia & nominis perennitate solentur, quarum illa vivis eripi nequit, hæc ne mortuis quidem potest. Nec illustrius quicquam ac gloriosius, quam eos ipsos populos, quos emundi vendundique amor ex omni terrarum parte huc excire solet, ad literarum quoque mercatum proficisci, nec tabernas solum & mercium promtuaria, verum Musarum etiam penetralia frequentare, & aures à forensi strepitu fessas suavissimo earum alloquio recreare. Atque hujus quidem laudatissimæ rei cum initium faciat præsens hic dies, ex prisco Scholarum more quædam præfabor, & Minervam, illam Sapientiæ Deam, inter arma ac Martis strepitus, inter libertatis nostræ discrimina, & reciprocos bellorum æstus huic Reip. æternum consecrabo. Quamobrem istiusmodi mihi argumentum delegi, quod loci hujus ac civium genio, & opulentissimi Emporii studiis aptum esse putavi; piscatores illos imitatus, qui hamo appendere solent illicem ac lenocinantem escam. Equidem ita semper statui, operosè illos ineptire, qui in foro Lapitharum pugnas recitant, in castris Dialecticum torquent enthymema, in sacris regnorum imperiorumque momenta exaggerant, in mensis super Hecubæ aut Andromaches fato singultiunt, in Scholis iis exercitationibus fatigant adolescentulos, de quibus ad Senatum referri expediat: Ideoque præter rem me facturum putavi, Si apud mercatores, apud lucri avidam gentem, inter pecuniarum tinnitus, in urbe quæstui dedita, de aliis rebus, quam de mercatura,

lucro, opibusque disseruero: non ut eos mercari doceam, sed sapienter; non ut lucrandi artes præscribam, quas ingenue fateor me ignorare, sed ut optimas vobiscum probem; non ut opum studia damnem, sed rectæ rationis sufflamine coërceam. Illud ostendam: Optimum esse Mercaturæ cum Sapientiæ ac litterarum studiis commercium, nec augendæ rei curam mentis contemplationibus, nec has illi obesse, verum optimis rationibus inter se conspirare, mercandi & philosophandi facultatem, ut tanto mihi felicior sit futurus mercator, quanto philosophari poterit luculentius. Audivêre de rebus suis differentes Philosophos Athenæ, legislatores Lacedæmon, censores Roma. Nec grave erit, opinor, Amstelodamensium populo, si de mercatorum excellentia, virtutibus & officio differentem audiat, minorum licet gentium, Peripateticum. Quod dum ago, A.O. animum mihi ab hac ipsa, de qua loquar, pecuniarum curâ paulisper vacuum commodate.

Vetus admodum res est mercari. sed & sapere. ut nesciam, an à Sapientia profectam esse mercaturam, an ab hac Sapientiam fluxisse, statuere debeam. Illud certum, mutuam semper operam hæc studia præstitisse, cum sine mercium permutatione humanis necessitatibus consuli non posse Sapientes crediderunt, & per eandem rursus magnis incrementis ad prudentiam iri in confesso sit. Quippe erectius mercantibus ingenium est, & dum dolo circumveniri impensè cavent, sapientiam in consilium advocant. Acuit curas lucri spes, spem utilitas, utilitatem commendat indigentia, quæ per varios usus exercitatissima artem fecit non uno modo rem faciendi. Hinc arbitror à veteribus

emun-

emundis vendundisque mercimoniis præfici, non iracundum Martem, non lascivientem Venerem, non socordem Lunam, non ridiculum Vulcanum: sed ingeniosissimum Deorum Mercurium, illum sapientiæ ac eloquentiæ autorem. Nempe ut doceant, & sapientia & facundia opus esse mercantibus; illâ, ut quæstum honestum à turpi discernere possint; hac, ut verborum lenocinio commendent eas merces, quas extrudere satagunt. Quam ob caussam eidem Gallum affingunt, vigilantiæ symbolum; ut doceant, matutinum esse debere mercatorem & vigilem, in omnes occasiones intentum, ut rem faciat. Dudum est, quod in Sticho exclamaverit Plautus: Quam benè re gesta salvus convertor domum, Neptuno grates habeo & tempestatibus, simul Mercurio, qui me in mercimoniis juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam. Antiquitatem certè & primos mercaturæ natales non aliunde rectius, quam ex literarum monumentis ac sapientum libris investiges. Docent illi, primis seculis, cum naturæ opibus census omnes constarent, intrà pecora agrosque illam constitisse, primosque mercatores agricolas & pastores fuisse. Docent illi, decantatam illam in Scholis Philosophorum justitiæ commutativæ appellationem, à negotiatoribus profectam, ut jam ipsius Philosophiæ moralis partem conficiat, hæc ipsa, de qua loquor, facultas. Aristoteles in iis libris, quibus politicum format, de mercatoribus præcepta tradit; ut ostendat, ad sapientis etiam perfectionem facere, has artes nosse. Et divinus ille Plato, ubi de constituendâ Republicâ laborat, mercatores in eam adsciscì vult, non eos solum, qui res corporeas precio emunt & vendunt: sed &

 illos,

illos, qui animi cultum, scientias, artesque honesta mercede aliis divendunt. Quin & Platone antiquior Pythagoras, totum mercatum in tria hominum genera distinxit, quorum alii prodiissent ut venderent, alii ut emerent, quod utrumque genus dicebat sollicitum esse, ac proinde minus felix: alios non ob aliud venire in forum, quam ut spectatores agant, quos ille solos felices esse perhibebat, quod vacui curis gratuita voluptate fruerentur. Homerus, quo homine Græcorum nemo plura novit, nemo, quæ ad usum faciunt, copiosius docuit, tantum mercaturæ pretium esse credidit, ut ipsam Pallada sapientiæ Deam, quasi alio habitu non posset, mercatoris induerit. Vbi enim Telemachum alloquitur, & se Mentem fingit, suaviter ait Pallas, se maria sulcare, ut ferrum, quod navibus vehebat, ære Temesino permutaret. En mercantem Pallada. Quin & ipse Panomphæus Iupiter, è cujus cerebro ortam fingunt Pallada, in celebri illa apud Lucianum vitarum auctione, universam Philosophorum turbam, vili satis pretio, distraxit. En mercatorem Iovem. Illud amplius constat, primam mercaturam, humanitatem & sapientiam, una cum mercibus per universum orbem circumduxisse. Solon, qui Athenis leges condidit, & plerique Græcorum illo commercio suas res tulerunt ad exteros, ac vicissim fecere, ut exotica sui cives viderent. Plutarchus cum vitam sapientissimi hujus Solonis enarrat, eo, inquit, tempore mercatura gloriosa erat, cujus opera cum Barbaris consuetudo, cum Regibus amicitiæ contrahebantur. Quare tanto Spartanos, sapientem alioquin populum, à vera Sapientia longius abfuisse arbitror, quanto iniquiores mercantibus lucra

cra

cra prohibuerunt. De Gallis scribit disertissimus Cæsar, eos Mercurium maximè coluisse, utpote artium omnium inventorem, viarum atque itinerum ducem, quem ad quæstum pecuniæ, mercaturasque vim maximam habere arbitrabantur. Et quam familiare fuerit Romanis, sapientissimo alioquin populo, pecunias locare, æs alienum contrahere, versuris faciendis luculenti patrimonii naufragium facere, docet erudita illa Satyrâ Flaccus, in qua sub persona Mercurialis Damasippi illos sui seculi taxat negotiatores, qui postquam, ad medium Ianum, rem fregissent, & magni instar Biantis Priene sua nudi egrederentur, sero ad philosophiam se conferebant. Ex quibus colligo, summos doctrinæ ac Sapientiæ proceres, uti aliarum omnium artium, ita & mercaturæ ac Philosophiæ commune vinculum agnovisse, & de his ipsis, quas tractamus rebus, serio verba fecisse.

Sed propius libet mercantium virtutes expendere, & depromptis è Philosophia gravibus præceptis ostendere, quam & illorum vitiis mederi possit Sapientia. Ac primum illud mercatorem attendere monet Sapiens, ne nimium appetat. Id enim egit rerum natura, ut ad benè vivendum non magno apparatu opus esset. Qui immodicas opes sectantur, immodicis sæpè excidunt, & dum omnem felicitatis suæ spem pelago ac ventis credunt, avaritiam paupertate ac ignominia mulctant. atque ita dum alios sua luxuria, alios ambitio præcipitat, hos inconsulta ac Prudentiæ monitis destituta lucri cupiditas. Nihil refert, quantum in ærariis jaceat, si non quæsita, sed quærenda semper computamus. Non enim qui plus habet, sed qui minus cupit, dives est. nec pauper, qui minus habet,

ſed qui nimis cupit. Infinitum eſt, quod petit, qui plus petit, quam quod deeſt. Cleanthes philoſophus rogatus, qui dives evadere poſſet, cordatè reſpondit, ſi cupiditatum fuerit inops. Alia atque alia deſiderantibus, deſunt hæc ipſa, & inter magna vota inopes ſunt, qui dum Orientem pariter ac Occidentem animo devorant, eam beatitudinem ſibi fingunt, quam aſſequuntur nunquam. Philoſophus animum hominis divitem appellat, non loculos, qui quantumvis pleni ſint, dummodo pecuniæ cupiditate laboret animus, pauper es. Divitiæ ex copia æſtimari ſolent, at copiam non aliunde rectius, quam ex rerum ſatietate colligas, quam quoniam non aſſequitur, qui plura appetit, nunquam omninò futurus eſt dives. Fingite alicui ex magno auri acervo vivendum ſumtuosè, tectis laqueatis, veſte ſuperba, famulis decem, ſupellectile ad invidiam exquiſita; alteri illa contemnenti ad ſumtum ſufficere ſeſtertia centum: uter dives cenſendus? ille qui vanæ cupiditatis mancipium ſemper eget? an alter, qui contracto cupidine abundanti ſimilior eſt? Nec enim cenſum æſtimatione, ſed victu ac cultu æſtimandum ſapientes prodiderunt. Nec plura poſſidet, qui pluribus ad ſe ſuoſque tuendum eget, quam qui pauciſſimis. Mecum ſentit maſcula & ſevera Stoicorum ſchola, qui quotquot cœlo & terra frui datum, divites pronunciabant. nec quicquàm tam anguſti & parvi eſſe animi, quam eas res minus amare non poſſe, ad quas hominum vulgus inflammatum aviditate rapitur. At Peripatetici, familiares noſtri, quibus nihil eſt uberius, nihil eruditius, nihil gràvius, uti pecunias aliaque vitæ hujus præſidia minimè faſtidiunt, ita eorum omnium

nium amorem mediocritate definiunt, nec immerito disputant, utrum expediat aliquem plurium esse bonorum dominum, quam custos esse possit.

Illud præterea mercatorem nostrum didicisse gaudet Philosophus, quod cum opibus abundet, mores suos iisdem non tradat, nec cum Cræsos vicerit, Numa esse desinat. Caducum hoc omne & mobile esse ducit, quod possidet, nec tam virtutis atque ingenii, quam fortunæ ac temporum esse munera. Noverat hoc quoque Lacon iste, qui cuidam Lampen Æginetam efferenti, ac felicem prædicanti, quod prædives videretur, nihil se morari, inquit, felicitatem è funibus pendentem. Sapientia divitiis pro ratione, non pro libidine uti monet. Sapientia minores animos gerere vult, quotquot fortunæ præjudicio majores habentur. Nec enim vitiorum adminicula esse debent pecuniæ, aut in Creatoris sui dedecus, sed gloriam; neque in proximi perniciem, sed commoda ac salutem conferri. Sapientia opulentos non fastidit, sed exosculatur unicè. illos nempe, qui locupletes sunt sine ullius injuria, magnifici sine luxu, liberales sine ostentatione, graves sine morositate, religiosi sine superstitione. Erectæ & bonæ mentis mercator, (inter quales hic loquor, inter quales hic vivo) sicut vitiosas merces à probis, ita virtutes à vitiis distinguit, & quot domi numerat talenta, totidem virtutum officia sibi præscribit. Cum nummos suos attentius intuetur, fingit uni insculptam pietatem, alteri candorem, alteri fidem, alteri prudentiam, alteri liberalitatem, & in ipsis malorum irritamentis imagines honesti concipit. Vt cum totos pecuniarum acervos seponit, totum quoque virtu-

tum chorum sepofuisse videatur. Quo ergo copiosius aurum possidet, eò minus peccat: quo fulgidius aurum possidet, eò humilior esse amat: quanto lucratur sæpius, tanto in munifici Dei laudes reflectitur crebrius; quanto lucratur rarius, tanto providentiæ divinæ causas suspicit religiosius. Quod si rationes turbaverit scriba, foro cesserit debitor, aut preciosam mercium saburram sorpserit mare, facile à Philosophia solatium petet, qui præter virtutem reliqua minus æstimare didicerit: qui vitæ subsidia modo his, modo illis liberaliore manu applicari, & iisdem pene, quibus mare, æstibus adfluere & refluere attentius perpendet. Quamobrem, qui, rebus nonnihil accisis, animum prorsus despondent, Deos nescio quos increpant, jam in cœlum, jam in mare convitia jaculantur, sapientes non sunt. A Philosophis quippe accipient: Nihil viro bono præstandum, præter culpam: Divitem sat esse, qui, cum vel omnia desint, sibi non deest: nec desperandum illi, qui rerum omnium egenus omnia bona in spe habet: Orbem singularium esse, & per vices possideri, hunc bonorum ejus parte excuti, ut reponatur alteri. Nec dubium est, quin major sit futura materies, animum firmandi in paupertate, quam divitiis, cum in hac summa vis virtutis sit, non inclinari, nec deprimi. Quare divitias non minus absentes, quam præsentes parvi faciet, quia nec advenientes eas sentiet immoderatius, nec recedentes. Terras omnes suas putabit, etiam cum nullas habebit, & quas habet, tanquam quæ aliorum esse possunt, non respuet, sed amabit segnius. Paradoxa vobis loqui videor. Nec diffiteor. Verum hæc Aristippi, hæc Socratis sapientia fuit: Ita Zeno, Cleanthes,

thes, Crates, Chrysippus, Epictetus sentire, ita loqui amavere. Etiam hoc in mercantibus laudabile & prædicandum quàm maximè, quod ingenti lucro aucti secum & cum Paupertate dividant, & ex aurea messe spicilegium aliquod egentibus indulgeant. Habet, non dicam Fortuna, sed benignior Deus, suas rationes, & inter alias hanc quoque, ut quibus favit liberalius, alios pari liberalitate sublevent. Non decedit danti, quicquid accedit homini, & cum hominem esse commune sit diviti & pauperi, humanum quoque est, huic nihil deesse, sine quo homo esse non potest. Dedit Deus, ut quod dedit, per eos reciperet, quibus minus dedit. Dedit, ut exemplo suo ad piam magnificentiam invitaret, qui sine exemplis boni esse nequeunt. Dedit, ut qui gratis dare nesciunt, præmium expectent ab eo, qui solus sine spe præmii dare potest.

Iam verò in Emptione & Venditione quanti est, nihil utile putare, quod non simul honestum sit, nec privatis commodis postponere recti conscientiam. quantum est, etiam si fraus occultior sit, non fallere velle, vel sui damno in contractibus sincerum ac veracem esse. Ac de his summa relligione in Officiorum libris disputat Cicero, ac admirabilem virtutis speciem ob oculos ponens, ab omni fuco alienas esse vult negotiationes, rigideque urget illas veteris ævi sanctissimas formulas: Inter bonos benè agier oportet: Omnia ex æquo & bono metienda; & fide bona. Quin eos conscientiæ casus excutit, homo à veri Dei cognitione alienissimus, quos nos flocci-pendimus, & in contrahendo propius honestatis momenta expendit, quàm qui illustri Christianorum titulo gloria-

mur. Nihil illi, nihil Panætio ac Antipatro, priſcis Philoſophis, utile viſum, quod non ſimul honeſtum eſſet, nihil honeſtum, quod non etiam utile. quæ quanquam philoſophantium cogitatione diſtrahi poſſint, in vita tamen communi pernicioſiſſimè divelluntur. Si enim ad virtutem, aut virtutis actionem nati ſumus, omnino ſequitur, illud ipſum, quod honeſtum eſt, ſummum bonum eſſe, & cum ſummi boni ratio nullum in ſe bonum deſiderari patiatur, etiam utile in ſe includat neceſſe eſt. Accedit, quod, cum utilitas res ſecundum naturam ſit, vitium omne naturæ hominis & rectæ rationi adverſum; nec inhoneſtum cum utili, neque honeſtum cum inutili ſtare queant.

Et profectò nulla exitialior opinio in vitam hominum irrepſit, quam quæ honeſtum ab utili diſtraxit. Vnde enim malæ fidei contractus, falſi teſtes, illicita fenora, verſuræ, æruſcandi artes, monetæ arroſiones, niſi quod dum mercamur, emolumenta in mercibus intuemur, at quod in iis improbum, quod injuſtum, quod fallax, non videmus. Ille in Philoſophia noſtra multum ſe profeciſſe ſciat mercator, qui ſi vel homines injuriam celare poſſit, aut propoſita immunitate injuſtus, facinoroſus, veterator, malitioſus eſſe, nullius tamen compendii ſpe à virtute recedit. Sed libet ex veterum ſententia rigidius mercari. Iudicat idem Cicero, injuſte improbeque illum facturum, qui, ut pluris vendat, quicquam eorum, quæ ipſe noverit, emtorem celabit. Marci Catonis ſententia fuit: Qui in venundando vitium ſciſſet, & non pronunciaſſet, emtori damnum præſtare oportere. Volunt ergo, ut exemplo rem illuſtremus, ædes vitioſas, male materiatas, ruinoſas, vel peſtis contagio afflatas, igno-

ignorantibus hæc ipsa locari aut vendi non debere. Loquar clarius: Si è Galliis vir bonus in hanc urbem magnum frumenti numerum advexerit, idque in summa annonæ caritate, si item sciat plures mercatores è Galliis solvisse navibus frumento onustis, quærunt Sapientes, dicturusne id sit civibus Amstelodamensibus, an silentio suum quam plurimo venditurus? Negabit dicturum Diogenes Babylonius, magnus alioquin & gravis Stoicus, cum qui silet suum vendat, sine insidiis agat, nulli injuriam faciat, quia jure civili illud dicere non constringitur. Affirmabit contra Cicero, cum Antipatro philosopho acutissimo, celandum hoc non esse, cum ea lege natus sis, ne publicæ saluti officias, & ut homo de hominibus, civis de concivi benè merearis. Quod si illos improbat Cicero, qui reticent dicenda, quid sentire eundem æstimatis de iis, qui in vendendo orationis adhibent vanitatem? Equidem, cum hominis, ad summi Dei imaginem conditi, majestatem nihil magis deceat, quam veracitas, nec simulabit, nec dissimulabit vir bonus quicquam, vel ut emat melius, vel ut vendat. Ethnici hominis oraculum est: Non licitatorem venditor, nec qui contra licitatur, emtor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquetur. Intelligitis, opinor, non vobis solum, sed etiam priscis Quiritibus placuisse sinceritatem, simplicitatem, candorem; displicuisse astus & fraudes. Et quanquam constet, hæc ipsa vulgo minus turpia haberi; ideoque nec legibus, nec jure civili prohiberi; tamen mecum creditis, naturæ lege sancitum esse, nihil insidiosè, nihil simulatè, nihil fallaciter agendum. Quàm verò illa sunt apud Ciceronem

ronem subtiliter & ad admirationem honesta, cum negat, Sapienti fas esse, in naufragio homini tabulam eripere, cui semel adhæsit: cum adulterinos nummos, quos imprudens accepit, negat sapientem, cum id rescierit, soluturum pro bonis: cum ei, qui aurum vendit, putanti esse orichalcum, indicare vult virum bonum, aurum illud esse, ne denario emat, quod sit mille denariûm: cum promissa servanda esse negat, quæ non sunt iis utilia, quibus promisimus. Breviter, cum omnium mercantium & in vita civili honestè versantium, unam hanc vult esse regulam, ut aut illud, quod utile videtur, inhonestum non sit: aut si inhonestum est, ne videatur esse utile. Erasmus Roterodamus, immortale Bataviæ nostræ decus, ad hanc Ciceronis hominis Ethnici in contractibus sanctimoniam, usque adeo stupet, ut parùm absit, quin inter Cœlites & beatorum animas Ciceronem locet. In Præfatione siquidem in Tusculanas quæstiones, in hæc verba prorumpit: *Quid aliis accidat, nescio. me legentem sic afficere solet M. Tullius, præsertim ubi de benè vivendo disserit, ut dubitare non possim, quin illud pectus, unde ista prodierunt, aliqua divinitas occuparit. Atque hoc quidem meum judicium mihi magis blanditur, quoties animo reputo, quàm immensa sit, quàmque inæstimabilis æterni Numinis benignitas, quam quidam ex ingenio suo nimis in angustum contrahere conantur. Vbi nunc sit anima Ciceronis* (verba Erasmi sunt) *fortasse non est humani judicii pronunciare. Me certè* (Erasmi verba loquor, non mea) *non admodum, adversum habituri sunt in ferendis calculis, qui sperant illum apud Superos beatam vitam agere.* Hæc Erasmus. Non ego. Verum relicto Cicerone,
&

& qui Ciceronem penè apotheosi donavit, Erasmo, pergam Sapientiæ monitis mercatorem componere. Ab hac audiet: Non esse temere spondendum, cum noxa præsto sit: fidendum esse, sed videndum cui: non omnia emenda esse, ne necesse sit mox cum Castore omnia vendere: cavendas esse fenerationes in perniciem publicæ societatis comparatas. Monet eadem, cauti uti simus in nominibus & syngraphis faciendis. Quamvis enim in tabulis addas mille cautiones, & juris laqueos, quibus debitor constrictus teneatur, omnia tamen eludet versutissimus Damasippus. Fiet aper, modo avis, modo saxum, &, cum volet, arbor, & in jus vocatus alienis maxillis ridebit. Et cujus quæso est disputare? Vtrum magnatibus & nobilibus sit permissum mercari; Philosophi. utrum liceat ex pecuniis usuram petere; Philosophi. utrum fas sit carius quicquam vendere, quam emisti; Philosophi. Quis de tota mercatura præcepta tradit, quis sordidam ab opulenta, tenuem à copiosa distinguit? quis depromtis ex jure naturali, gentium, civili præceptis eam universam ordinat? Politicus est. At hunc universæ Philosophiæ principem & architectona vocat Aristoteles. Quis mercantibus non minus, quam Iurisconsultis, sua principia largitur, Honestè esse vivendum, alterum non lædendum, suum cuique tribuendum: Ethicus est. Quis docet, in commutationibus vel rerum cum rebus, vel rerum cum pecuniis, vel pecuniæ cum pecuniis rei familiaris habendam esse rationem? quis familias exhaurire, nomina facere, rem fidemque consumere vetat? Oeconomicus est. Aristoteles, quo viro nemo philosophatus est sanius, Prudentiæ civilis administras

comi-

comitesque facit, Experientiam, Memoriam, Solertiam, Ingenium, Sententiam & Consilium. At hæ ipsissimæ sunt mercaturæ partes & officia. Experientia quando & quatenus & ubi mercandum docet. Memoria debiti creditique rationes in numerato habet. Ingenium de rebus mercibusque rectè judicat. Solertia ea media excogitat lucrandi, quæ à versutia, & pravis artibus absunt. Consilium mercaturam universam moderatur & regit. Sententia prudentiorum facta & judicia in commutandis mercibus respicere monet, ne, dum soli sapere nobis videmur, fortunæ naufragium debeamus. Audivistis ergo, quam se cum morali Philosopho maritet mercatura. Paucula ex Speculativa Philosophia petamus, ne hanc quoque se fastidire dicat operosus negotiator.

Proprium mercantium est, commutare sedes, & facili mobilitate per omnes terrarum plagas diffundere insatiabilem animum: ire, quò fertilis alicujus oræ, & in majus laudatæ fama evocat. Nihil tam immansuetum hospitio, horridum situ, cœli natura intemperatum, quod non aliqua lucri spe patria abducat. At horum omnium locorum situs, vias, maris vada, promontoria, portus, quatenus cavendi, quatenus subeundi, nosse oportet. Quæ quidem omnia ex Geographia nostra peti possunt. Qui verò singularum regionum sint proventus, commoda, messes, ex physicorum quoque monumentis & rerum naturalium scriptoribus habemus. Docent hi Indiam ebur, Sabæos thura, Persas sericum, Moluccanos aromata, aurum argentumq; Americanos, Chalybes ferrum, æs Suecos, stannum Britannos sufficere. Cumque expediat, ea ipsa, quæ emit aut precio æstimat, nosse

nosse ementem, de rerum naturis, metallis, arboribus, plantis, aromatibus, animalibus, piscibus, avibus differentes audiat Physicos, Aristotelem, Theophrastum, Oppianum, Dioscoridem, Plinium & polyhistora Solinum. Quæsita per mare Scythicum in Orientem via unde, nisi ex his ipsis scriptoribus non subobscure colligitur? Vnus Plinii locus tantæ rei auspicium, licet inauspicatum hactenus, fecit, tanto facinori ansam dedit. Vnde didicimus Africam, etiam versus Austrum, superato Bonæ spei promontorio circumnavigari posse, & hinc in Arabiam, Ægyptum, Persas iri, nisi ex eodem Plinio & Strabone? Quid Columbo, Vespucioque, primis Americæ detectoribus, fiduciam fecit, ut relicto veteri orbe, novo exemplo, proras Occidenti obverterent? Aristotelis, Platonis & fortè etiam Senecæ loca in causa fuere. Præterea, ab Astrologis discet mercator, quæ anni tempestivitates quibus locis adeundis, aut cavendis conveniant: ex cœlo non dierum solummodo incrementa & decrementa, sed & horarum in mari momenta deprehendet: ex Cynosyrâ, quàm Septentrioni, quàm oppositæ plagæ vicinior: ubi & quantum deflectat ab Arctô acus magnetica, & quibus regulis naturæ error corrigi possit. Et cum absque ventis, mari, æstu navigare negatum illi sit, utile fuerit, proprios regionum singularum ac partium maris ventos novisse. ut: Notum Adriatici maris arbitrum esse Boream Germanici, Gallici Circium, Calabriæ littorum Iapyga, Atabulum Apuliæ, Athenarum Sciron paulùm ab Argeste deflexum. de quibus in Meteorologicis disputat Aristoteles. utile fuerit novisse, quæ maria & quando procellosa, quæ scopulis infesta, quæ magis, quæ minus, quæ citius,

citius, quæ tardius, quæ nunquam æstuent, quam periculosa prætervectio promontorii australis Africæ, quàm ex portu Sinarum in Iaponiam difficilis trajectus, quam infestæ navigantibus maris Balthici fauces, quantus in sinu Mexicano à continente aquarum refluxus. Illud quoque apud Philosophos reperire est, Oceanum perpetuò motu in occasum ferri, ideoque citius hinc Novum orbem adiri, quam illinc Veterem repeti. Est & ille motus in Scholis nostris decantatus, quo à Septentrione in Austrum mare movetur, qui in mari mediterraneo cernitur, ubi Mæotis per Bosphorum Cimmerium in Pontum Euxinum fluit, Euxinus per Bosphorum Thracium in Propontidem, Propontis per Hellespontum in Ægæum. Vt nihil dicam, de motu peculiari, qui in mari Adriatico ad oram Dalmatiæ, Istriæ, Illyridis, usque ad ultimos Venetorum recessus deprehenditur, ubi flexus in Meridiem maris impetus versus Flaminiam, postea nonnihil ad Orientem se torquet; planè ut in orbem, ex littorum, uti opinio est, appulsu, circumagi videatur. At ille maris fluxus & refluxus quotidianus, uti inter naturæ miracula est, ita solum philosophum differentem patitur. Amplius non ignorare quempiam vestrûm opinor, quàm ex usu fiet vago mercatori, variis linguis loqui posse, & ad singularum gentium mores, vitæque instituta se componere. Ergò si Græcos adire volet, Cecropis ore ipsi loquendum: si Venetos, Hetruscos, Ligures, Hispanos, Gallos, Latinas voces addidicisse conducet. Si Arabas, Persas, Syros, Medos, Indos, totumque ferè Orientem lustrare animus erit, Arabum quam maximè sermonem sciri interest. Quæ omnia ex Scholis & ipsis Latinorum, Græcorum

rum, Arabum libris addisci in confesso est. Nec vivere profectò apud exteros potest mercator, nisi qui gentium se ritibus, moribusque accommodare noverit. Quamobrem consulendi erunt scriptores clarissimi, qui in Ægypto à fabis abstinendum esse doceant: in Arabia cum bacillo ambulandum; in Persia non accumbendum, nisi unctis: in Germania hospitum officiis adblandiendum: Græcos rerum novarum esse avidissimos: Hispanos graves & inquieto ingenio: Italos injuriarum tenaces: Gallos civiles blandosque: Anglos Ioviales: Pœnos perfidos: infideles Allobroges. quæ peregrinum mercatorem nescire, & pudori sæpe fuerit & dispendio.

Sed satis ostendisse mihi videor, quanta philosophantium & mercantium sit cognatio & societas, quamque ingens literarum & humaniorum artium in facienda mercatura momentum, cui tantum splendoris, dignitatis, ac pretii ab illis ipsis artibus accedit, quantum æterna caducis, animi bona terrestribus purgamentis potiora habentur. Restat, ut iis respondeam, qui, ut laudatissima cœpta sugillent, clamitant: Nihil Mercurio cum Pallade commune esse: strepitus istos forenses aversari Musas, fugere turbulentam urbem, & secessus suos amare ac soliloquia: hic de augendo solum peculio cogitari, nec patientes aures animi culturæ commodari. Quasi verò doctorum sermonibus magnas urbes illigari nefas sit, aut ludicros solummodo in iis sermones audire oporteat, aut rerum colloquia leviorum. Quibus in-præsentiarum hoc respondebo, perperam illos philosophari, qui doctrinæ studia arceri volunt ab Emporiis, ob hoc, quod negotiorum plena sint. cum non ob aliam causam iis locus hic esse debeat, quam

ut

ut aures à mercantium strepitu fessæ parumper requiescant, & immoderatior pecuniarum cura præclarissimarum rerum meditatione castigetur. Quid, quod rectius in negotiis omnibus versari possit, qui erudito Musarum otio rectè uti noverit. Quin, & hoc contendo, cum ad opes eximias atque illustres accesserit litterarum lumen, tum illud divinum quid ac singulare existere. Sed pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas, quibus ita statuisse illis temporibus sapientissimos viros constat; opulentissimas quasque urbes scholis, doctoribus, bibliothecis, aliisque sapientiæ instrumentis carere non posse. Athenæ, Achajæ metropolis, non mercantum solummodo concursu copioso, sed & eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluens fuit. Tarentum, Rhegium, Neapolis, plane non opum solummodo, sed & Græcarum artium, ac disciplinarum promtuaria fuere. Capua, Antiochia, non tam civium frequentia, classium robore, mercimoniisq; inclaruere, quam iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. Massiliam quoq; Narbonensis Galliæ maritimam urbem, linguarum artiumque studiis olim viguisse ex Strabone & Tacito constat. Quin illa terrarum gentiumque Dea Roma, annon simul & de expugnando orbe & barbarie cogitare potuit? simul & exercitum ordinare, & dicendi leges scribere? simul & Dictatorem castris præficere, & Oratores pro rostris loquentes audire? ut male profecto mihi rationes subducere videantur, qui ob diversarum nationum frequentationes, disciplinarum ornamenta & omnem elegantem doctrinam à civitatibus arceri cupiunt. Quod si præsentia magis movent, Venetos spectate, in quorum

quorum amplissima urbe, publicæ facundiæ non mercatorum tumultus, non Adriatici maris fluctus, non ipse Leonis (quem insignibus ostentant) rugitus obstrepit. Lutetia Parisiorum, hominum multitudine fervet, tumultuatur, sordet. Nec tamen alienum putavit Carolus Magnus, & post hunc multis seculis Franciscus I, ingeniorum gloria regalis Solii majestatem irradiari: aut indecorum fore, si vendentium ementiumque litibus eruditæ Sorbonensium lites permiscerentur. In Vbiis Colonia, in Pannoniis Vienna, in Bojohæmo Praga, in Vandalis Rostochium, ad Viadrum Francofurtum, ad Vistulam Gedanum, in Vasconibus Burdegala famæ celebritatem à negotiationibus pariter, & honestissimo Scholarum otio consecutæ sunt. Quod si ad antiquorum tempora recurrere libeat, inter mercatores Solon fuit, gravis Atheniensium legislator, inter mercatores Thales fuit, idem è Sapientum numero; & Socrates, ille oraculo Apollinis sapientissimus. Quin & Plato (teste Plutarcho in vita Solonis) inter divinas animi meditationes, olei Venditione in Ægypto quæstum fecit. quorum autoritate tutus mercator, parum æstimare habebit, quæ in negotiatores acrius scripsêre Gregorius, Chrysostomus, Augustinus & Cassiodorus.

Quæ cum ita sint, beatam hanc Amstelodamensium Rempub. puto, in qua jam mercatoribus philosophari, & philosophis mercari concessum. Postquam enim summis prudentissimisque rectoribus studium fuit, ornamenta omnia dignitatis & præsidia stabilitatis amplissimæ urbi quærere, pomœria diducere, turres attollere, portus fodere, classibus disjunctissimas terras adire; adhæc Orienti primum, mox

&



& Occidenti armis instare, & sub invictissimis Nassoviæ gentis Principibus, una cum sociis urbibus, potentissimum hostem patriis finibus propulsare: tandem ad has quoque curas devoluti sunt, ut veram stabilemque gloriam huic loco à litterarum perennitate, ab ingeniorum cultura, & sapientiæ præmiis vindicarent. ut quæ civitas orbis penè Vniversi est receptaculum, jam quoque eruditionis audiat; quæ totius penè Europæ commune est ærarium, prudentiæ thesauros recludat: quæ mercium omnigenarum est custos, disciplinarum ac ingenuarum etiam artium sit promptuarium. Habuit jampridem multa, quæ mirati fuerunt advenæ: at nunc quod laudent. Obstupuerunt Germani, Britanni, Scoti, Cimbri, ad ædificiorum splendorem, navium in longum exporrectas stationes, spatiosam, potentem urbem, omnibus rebus, quas vel natura suppeditat, vel elaboravit ars affluentem. at nunc eandem præceptis institutisq; Philosophiæ & literarum stabilitam sentient ipsi. Et erunt inter eos, qui posterius hoc prioribus præferent, cum illa fortunæ deberi videantur, at hoc omne consilii sit: illa annorum ac longioris ævi spolium sint, hujus vero fructus istiusmodi, qui per omnium seculorum memoriam vigebunt, quos posteritas venerabitur, quos ipsa æternitas semper intuebitur.

Quare, ut unde exorsa est, eo se convertat oratio mea, vos alloquar, Reip. hujus Rectores Amplissimi. Date manum & præsidium nascenti Scholæ, quæ vobis natales suos hodie consecrat. Defendite, imo producite, non tam eos, quos egregiis præmiis huc evocastis, quam optimas artes, sine quibus parum ornata, parum instructa, respublica aut fuit unquam, aut erit.

Martem

Martem vestra ope armatum vidimus, sensit Hispanus, navibus, auro, terris, etiam ubi terras esse non credidimus, exutus. Iam Minervam, illam eruditionis, humanitatis, sapientiæ Deam, intra portas vestras ac mœnia recipite, non ut bella gerat, sed ut de veterum eam bellis differentem audiatis: non ut regna urbesque evertat, sed quibus consiliis surgant cadantque, doceat: non ut res Romanorum ac Græcorum ipsa gerat, sed loquatur: non ut mercari cives vestros, sed sapere doceat. ut quæ loca adeunt, quibus ventis navigant, quod cœlum mutant, quos populos peregrè frequentant, quas merces emunt, qua fide, quo candore res augeri debeant propius ab eâ discant. Regum, Imperatorum, Principum laudatissimorum vestigiis insistitis. Bibliothecam, hoc est, tot eruditarum mentium commenta & lucubrationes, tot Sapientiæ, & veritatis doctores civibus vestris donastis. Iam insuper illos, qui vestris auspiciis, quod in iis libris solidum, erectum & frugiferum est, viva voce in animos diffundent. Gratias ergo vobis Reipublicæ hujus, Ecclesiæ, civium & modestissimæ Iuventutis nomine ago, qui, si bona sua norint, ratum habebunt, quod dixi: si non norint, discent propediem, quantum sit cum doctrinâ virtutem imbibisse.

Vos vero viri nobilissimi, spectatissimi, doctissimique, sive cives, sive advenæ estis, animis, linguis Illustri huic gymnasio favete. Erit hic, ubi perfuncti negotiis, animum componetis, ubi afflicti solatium petetis: ubi inopinato lucro aucti mentem temperabitis ab insolenti lætitia: ubi audaciæ in exponendis mercibus occursabit prudens timor; timorem moderabitur fiducia, fiduciam scientia, scientiam recti con-

scien-

ſcientia. Si patres eſtis, volupe mihi erit de liberis veſtris benè mereri: ſi non eſtis, de vobis ipſis. Etenim in hoc nati ſumus, in hoc educati, ad hoc vocati, ut ea, quæ didicimus, non noſtra ſint, ſed & aliorum. Tum demum vos profeciſſe ſcitote, cum litteras, & earum Profeſſores æſtimare didiceritis. Hactenus fines poſſeſſionum propagare ſtuduiſtis, in latifundiis totos lacus abſorbuiſtis, trans Oceanum villicos miſiſtis. nullibi non fluminum ripas ædificia veſtra, villæ, prædia prætexunt. Iam diſcite majorem & ſpatioſiorem eſſe Sapientiam, quæ divina omnia & humana, præterita & futura, cœlum, terras, maria complectitur. Precioſarum rerum pompam in domibus veſtris explicatis, at precioſior Sapientiæ ac literarum ſupellex, in qua auro, argento, gemmiſque omnibus plus fulgent virtutis & honeſti præcepta, in qua hoc ad pretium facit, quod per fortunam non obvenit; quod ſibi illam quiſque debet, nec pravis artibus paratur. Cum mercium, quæ in hanc urbem advehuntur, molem, varietatemque conſpicitis, naturæ exiles particulæ in conſpectum veniunt. cum Philoſophia occurret, ſimillimum toti naturæ ſpectaculum videbitis. Magnum vos aliquid præſtitiſſe putatis, cum Gallias, Germaniam, Hiſpaniam, Africam, Indiam annis aliquot obiviſtis, & quidem itinere laborioſiſſimo, & tot periculis circumſepto. Philoſophi animus hæc omnia coram videt, coram luſtrat, omnia velocius, quam Sol ipſe, obit, & obit quoties vult, diſcriminum omnium ſecurus. Sed libet quærere ex vobis, ut vel invitis confeſſionem extorquearn, Annon Philoſophiam expeteretis, ſi beneficiaria, ſi lucroſa, ſi utilis eſſet? affirmabitis opinor. At qui beneficiaria non ſit, quæ rerum

omnium

omnium uberem ſcientiam ſuppeditat? qui lucroſa non ſit, quæ menti lumen, voluntati ſanctitatem, affectibus ordinem ac quietem largitur? Has opes cum poſſideat Sapiens, non minus opulentus eſt, quam vos, non minus ſplendidus, quam vos, non minus beatus, quàm vos. Et profecto ſi callidi rerum æſtimatores, fundos, agros magno æſtimant, quia his pignoribus minus noceri poſſe credunt, quanti putabitis æſtimandam eruditionem, quæ nec incendio eripitur, nec naufragio abſorbetur, & inter ipſas regnorum concuſſiones ac motus inconcuſſa manet.

Vos denique Adoleſcentes & Iuvenes, quotquot adeſtis, parentum veſtrorum ſolatium & amor, Reip. hujus ſpes, erudita propago, eum quoque ad hanc rem animum conferte, qui egregiis exercitationibus erudiri, & bonæ mentis ſucco imbui cupiat. Tum magni eritis & ſapientes, cum placere vobis cœperint Sapientiæ priſci ac primi inventores Plato & Ariſtoteles. quorum ſevera lectione non ſolum intellectum à fœdo ignorantiæ ſitu vindicabitis, verum etiam de hoſtibus veſtris, ira, voluptate, libidine, áudacia, ambitione, prodigalitate triumphabitis, idque eo glorioſius, quo plus eſt ſibi, quàm aliis imperaſſe. Ne vitam credite illam, quam ex aëre trahitis, ſed quam ex ſtudiis; nec ſplendidum putate auro vel argento circumfulgere, ſed doctrinæ luce. dum alii pecunias numerant & ad ſtateram expendunt, vos Sapientum verba & voces: dum alii æs, piper, linum, ponderant, vos philoſophiæ momenta. dum alii peregrinantur, fluctibus jactantur aut latronum ſævitiam experiuntur, vos domi intellectum per illuſtrium ſcriptorum monumenta ſecuri circumferte, & dum Morinorum ſpolia repetunt

audaces Neptuni filii, vos doctorum hominum commentationes, quas posteritatis esse voluerunt, in usus vestros, Dei inprimis gloriam, Patriæ ac Ecclesiæ salutem convertite.

DIXI.

PRECATIO AD DEUM OPT. MAX.

præmissa Orationi.

Omnipotens, æterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, rogamus Te supplices, ut hunc diem, quo Illustris hujus Scholæ natalem celebramus, S. T. Q. A. faustum, felicem ac salutarem esse velis. Stat coram Te supplex Respublica, & grande cœptum tuis auspiciis inchoat. Stat supplex Ecclesia, & cum sine te nihil possit, tanti operis incrementa à te solo poscit. Stat supplex civium ordo, & charissima sua pignora, clementiæ tuæ in terris deposita, in novo hoc Musarum sacrario ad virtutis & sapientiæ aram gloriæ tuæ ac cultui devovet. Stat supplex Iuventus, & seminarii hujus futura seges studiorum suorum fructus nomini itidem tuo ac patriæ saluti consecrat. Da, clementissime Deus, ut civitas hæc pomeriis amplissima, civibus frequentissima, commerciorum fama celebris, amplioris famæ pretium ex doctrinæ pretio reportet. Fac eam res divinas scire, quæ humanas amat impensius. Fac eam res humanas scire, quam post divinas humana quoque scire interest. Fac divina scire, ut divina imitetur. Fac humana scire, ut divina præferat. Petat à Philosophia animi medicinam, quæ à lucro corpori delitias quærit. Petat à Philosophia curarum solatia, quæ in mercimoniis invenit sollicitudinum plena omnia. Tum vere opulentam se credat, non cum fluxa felicitatis præsidia ostentabit, sed sapientiæ ac eruditionis immobili peculio gloriabitur. Tu Deus per sapientiam urbem hanc constituisti: tot diversarum gentium homines per eandem in vitæ societatem convocasti, domiciliis,

liis, conjugiis ac linguæ communione conjunxisti. Da, ut ejusdem Sapientiæ beneficio arctius coëat Reip. hujus compages, cives sapiant magis, vivant sanctius, pecuniæ, gloriæ & voluptatum amorem recta ratione moderentur, ut quibus totus mundus possessio est, discant vel hoc unum, paucissimis egere Sapientem. Hæc prima sit eorum Sapientia, ut Te cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc altera sit eorum Sapientia, ut cum opes peregrè, domi virtutes indagent, & unum hoc à se alienum putent, quicquid à virtute alienum fuerit. Hæc summa eorum sit Sapientia, ut operum tuorum in hoc Naturæ theatro magnitudinem, varietatem, pulcritudinem contemplentur, & in iisdem bonitatis tuæ, sapientiæ, potentiæ manifesta documenta suspiciant & venerentur. Amplissimos hujus Reip. rectores, Prætorem, Consules, Scabinos, Senatores, Curatores, intelligentiæ, & prudentiæ Spiritu instrue, ut concreditam sibi navem inter tot fluctus & Symphlegadas, quibus res humanæ jactantur, in publicæ salutis portum dirigant. Pastoribus Ecclesiarum, quotquot in hac urbe Christi nomen ex verbi tui præscripto profitentur, gratiam tuam largire, ut quod suadent pie, persuadeant potenter; quod docent sanctè, credatur religiosè; quæ monent salubriter, præstentur salutariter. Divulsa Ecclesiæ tuæ membra collige, ut quos distraxit opinionum diversitas, uniat potentior charitas. Civium animos amore mutuo colliga, & dissidiorum omnium causas longè ab hisce mœnibus abesse jube. Da, ut Mercuriales hactenus, jam Sapientiæ candidati audiant; parci, sed cum elegantia; pecuniæ studiosi, sed sine detrimento melioris studii, hoc est, artium & virtutis. Scholæ hujus primordiis benedic, ne doctrinæ solum aut inanis scientiæ, sed & probitatis magistra & mater audiat. Adauge dona tua in nobis, ut dum juventutem erudire muneris nostri est, eam feliciter erudiisse gratiæ tuæ imputemus. Adolescentium animos optimarum artium cupidine accende. Quibus pudor est nescire, discant tua opera. quibus pudor est peccare, in lege tua ambulent, & se pietate Tibi, obsequio parentibus, docilitate præceptoribus probent; ne desint aliquando, qui Remp. hanc prudentibus consiliis fulciant, Ecclesiam facundis vocibus doceant, Scholas denique salubribus præ-

ceptis regant. Audi, exaudi nos per & propter filium tuum Vnigenitum Iesum Christum, qui tecum & Spiritu Sancto vivit & regnat in aeternum verus Deus, Amen.

Recitata fuit V. ID. IANVAR. 1632.

DISSERTATIO DE BONO PRINCIPE,

Adversus

N. MACHIAVELLI Florentini Scriptoris suasorias, quas libris suis de Principe. Rep. aliisque insparsit.

FErtur olim Euripidi dixisse Plato: Ignoscendum sibi, quod tyrannidis laudatorem è sua Repub. abegerit. Quamobrem nec vitio vertendum opinor, si quis non tyrannidis solum, sed & omnium ferè scelerum laudatorem, non è Republ. sed animis hominum abigere allaboret. Incidimus in sæva & infesta virtutibus tempora. nec unius seculi est præmio & commodi spe peccare. Afflixit hoc malum togatam olim civitatem, & hodie cum regnis orbem omnem pervasit. Verum uti calamitatis humanæ pars est, Principes, & quotquot Rerump. cura superior populo secrevit, adhibito ingenio & arte quadam peccare: ita illud omnium miserrimum, cum memoria vocem quoque amisisse bonos, ut nec sentire liceat, quod velis nec eloqui quod sentias. Primum honestati solatium est, de improbitate conqueri posse Alterum justa reprehensione insectari vitia eaque potissimum, quæ apud potentes non inte

culpas

culpas, sed mores habentur. Equidem ita statuo; esse illud in omni vita apprime utile & frugiferum, Boni Principis exemplar, veluti in illustri loco positum, animo circumferre, cum facile ab eorum moribus exempla petantur, quorum nutu res humanæ aguntur & feruntur. Est illud extra omnem aleam, maximum esse momentum Virtutis, maximum quoque Prudentiæ. cum illa inter omnem fortunam prosperam & adversam recta incedat; hujus vero tanta in omni negotio sit necessitas, ut sine ea virtus, ceu palabunda, erret, nec honesti aciem attingere valeat. Quo magis mirari subit, fuisse & olim, & vixisse etiam hoc nostro seculo viros, quorum nominis celebritas maxima est, qui civilis doctrinæ monita Principibus daturi, hoc omni conatu egere, ut regnis præsidia ac munimenta non ab honestatis incorruptæ studiis, sed pessimis machinationibus & fraudulentis consiliis quæsiverint. adeo ut Imperatoriam Majestatem & juris dicundi in terris potestatem verè divinam, in nescio quam dilatandorum finium, corradendarum opum, ac stabiliendæ quovis modo securitatis publicæ nefariam artem converterint. Nempe falsis nominibus calliditatem prudentiam vocant, ambitionem generositatem, imperandi libidinem magnanimitatem, unam regnandi legem, per fas & nefas ad stabilem imperiorum felicitatem grassari.

Et hoc quidem instituto, ingenioso magis quam pio, aliquod apud posteros laudis choragium meruisse creditur Nicolaus Machiavellus Florentinus, vir ingenii perspicacis, at honesti perversissimus æstimator. Is in suis de Principe ac Republica libris istiusmodi nobis format

Reipubl. rectorem, quem prudentia quidem insignis (ut illam vocat) commendet, sed virtus probitasque pessimo divortio destituant. Monstrum Principis adornari dicas, non Principem; impostorem, non patriæ patrem; pro pastore populorum, vafrum insidiatorem, astutum commodorum suorum cauponem, & vulpem purpura indutam, cui scelus omne, modo prosperum & fœlix pro virtute sit, & ipsa religio mercimonium lucrandi illud unum, quod sibi ac Reip. utile putet. Etenim vixit in ea Aula Scriptor clarissimus, in qua dubium mihi est, an scabiem politicam Principibus suis affricuerit Scriptor, an Principes Scriptori. Illud certum, similes habuisse labra lactucas, & dignum hoc fuisse, isto seculo, & loco, patellâ operculum. Non dissimile Rectoribus suis præstitit officium ab eo, quod Tiberio præstitit Hispo Romanus, Neroni Vatinius quidam, conscientia scelerum maculati & egestate pressi Scriptores. Ac mihi quidem A.O. cui jam ad Philosophiam practicam, ac virtutis rigidam contemplationem transeunti, dicendi apud vos facta est copia, veniam dari peto: ut cum ingeniosissimo Scriptore, non de ingenii aut eruditionis viribus, sed de pietatis ac probitatis laude, hac hora contendere liceat. Præfert ille vexillum utilitatis, nos honestatis. Illâ securos Principes præstare vult, nos hac. Nullam ego Principis prudentiam sine virtute agnosco, quin hanc prudentiæ, ceu basin, substerno, uti illam hujus ducem facio ac moderatricem. Neque magis alteram ab altera in Principe Optimatibusque separandam censeo, quam quæ divelli nec natura, nec lex, nec ratio, nec Deus ipse permittant. Primum itaque Virtutem in Principe requiri, mox prudentiam

quoque

quoque ostendam. Neque enim nefas puto, ea mentis agitatione separari, quæ in Principe divelli nefas esse hac ipsa ostendam oratione.

Non male illi mihi de virtute sensisse videntur, qui eam proprium hominis bonum esse censuerunt. Etenim divitiæ ne bona quidem sunt, sed prout est animus, qui eas possidet, vel in laude, vel in vitio positæ sunt. Quæ gloriæ ac dignitatis speciem habent, fugacia sunt, caduca sunt, bractea sunt. Voluptas, licet bonum sit, ita hominis est, ut & belluarum sit. Scientia iis omnibus dignior & præstantior est. at hæc & in Deo excellentissima est, & in Angelis multo quam in homine excellentior. Sola & unica virtus, quæ affectibus ratione imperat, & luxuriantes animi motus in ordinem cogit, hominis peculium est & depositum peculiare, media incedens inter divinitatis cœlestem excellentiam, & irrationalis creaturæ terrestrem ac ignobilem sortem. Quod si ita est, utique in Principe eam non esse solum, sed & eximiam esse oportet, tantoque excellentiorem, quanto inter homines conspectior est, quisquis imperat. Et hic Cyri aliquam vocem insusurrat Xenophon: Non convenire cuiquam imperium, nisi qui melior esset iis, quibus imperaret. Cum vero maximum ad Rempub. adferat momentum, qua fama sit Princeps, facillime ea vacillabit, si à vitæ integritate & virtutis præscripto recesserit. Hac autem vacillante, labascit ipsa soliorum majestas, & evilescit sceptrorum reverentia. Vt jure cavere debeat, qualem famam habeat, qui qualemcunq; meruerit, magnam habiturus est. Nec potest stare sua imperio incolumitas, ubi virtute non nisi ad sordidum quæstum & nundinationem utitur Imperator. Atque hic illud



Senecæ libens audio: Vbi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt. Exemplo ſint illi, quos ſua immanitas & ſcelera cervicibus publicis depulere. Sceleſta, eheu, & ter ſceleſta vox eſt: ſanctitatem, pietatem, fidem privata bona eſſe, illuc eſſe eundum Regibus, qua juvat. Iam vero quam hoc extra omne dubium, eam demum felicem eſſe Rempubl. in qua privatim ſubditi ſancte innoxieque vivunt, metuentes magis, quam metuendi. Sed enim qua ratione in officio ſuo continebitur populus, ſi ab officio recedere rectoribus ipſis religio non ſit? Vti in Helicen ſuam aut Cynoſuram intuentur navium rectores, ita ſubditorum mentes oculique in illos converſi, quos in ſublimi poſuit Superum favor. Occulta cathena cohærent imperans, & quibus imperatur. Et ſicut animi vitio officium non facit pars noſtri vilior, pariter cum Principe laborat univerſum regni corpus. Ad honeſta cum præit, ſequimur; ad vitia, itidem. Phœbææ inſtar lampadis eſt. hæc cum ſerena eſt, orbem irradiat, cum nubibus objectis flagellatur, eundem fœda caligine involvit. Procerum vitam moreſque eadem ſequuntur. Da Principem pium, religionis ac ſacrorum cultorum ſtudioſum; dabo plebem, quæ optimum hoc Principis ſui exemplum legem eſſe arbitrabitur. Da verſipellem, quique religioni, quam erroneam eſſe novit, ſe adhærere ſimulet; dabo plebem ſimulandi & diſſimulandi peritiſſimam. Da crudelem, tenacem, raptorem, fedifragum; dabo populum, qui regium eſſe putabit etiam illa ſectari, cum expedire putabit. Eſt hoc Machiavelli deteſtandum placitum lib. de Principe, cap. xv, Neceſſarium eſſe Principi, ut perceptum habeat, (ſi ſe ſalvum eſſe velit)

qua

qua ratione possit esse non bonus, idque pro rei necessitate in suum convertat, vel non convertat usum. Et rationem addit; *Qui enim se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, eum certe inter tot non bonos periclitari necesse est.* Ad exitium Reip. & æternam Imperatoris infamiam comparata hominis Itali oratio. A qua non multum abscedit illud Euphæmi apud Thucyd. Viro, aut urbis Principi nihil injustum, quod fructuosum. Quorum ego barbaris sermonibus illud Xenophontis oppono; Nullas viro Principi pulchriores honestioresque esse opes virtute ac justitia. & illud Regis Gothici apud Cassiodorum; Cum omnia possimus, sola nobis credimus licere laudanda. Tanto sanctiorem esse oportet Principem, quanto gravius nocere potest, qui plurimum potest. Etenim cum peccandi frenum laxat libido, potentia abutitur ad vitium; & qui pœnam non timet, culpam minus horret, ut omnino sufflamine virtutum opus sit, quibus impunè malis esse licet. Optima imperii decora sunt, honestas, fides, probitas, sanctitas, & recti tenax simplicitas. Hi satellites Principem in forum, hi in Curiam comitentur. Non minus illa populum in rectoris sui amorem pellicient, quam annonæ laxitas, quam panis & Circenses. Et quid vilius, quam eum, qui sola libertate Rex est, avaritiæ, crudelitati, ambitioni, hypocrisi, fraudibus libertatem animi transcribere? Plus servit, qui vitiorum servus est, quam qui hominum. Lacedæmoniis summo fuit dedecori, clypeum in bello abjecisse. Nec ego fortiter & præclarè quicquam ab iis geri posse puto, qui cum à Deo immortali acceperint clypeum virtutis, & opinionis rectæ, ad cujuslibet fortis occursum eum abjiciunt; ut in fortunæ

manu positum sit, probus sis an improbus, bonus an malus, nocens an innocens. Quare & honestum per se est Principi, ut virtuti sacramentum dicat, & ad Reip. stabilimentum utile. Dicam quoque de prudentia, sed paucis. Hanc enim in Principe solam fere commendat Florentinus noster. Ea vero uti ad res omnes humanas, ita ad imperium quam maxime necessaria est. Multum equidem Rerumpub. rectoribus præsidii in viribus, in milite, in opibus positum est, sed sine prudentia, invalida illa & noxia. Vis prudentiæ adjuncta usui est, sine ea abit in noxam. Est ergo Principis prout rerum ac temporis exigit varietas, iisdem aptare consiliorum rationes. Est Principis, ad populi se indolem & mores componere, & uti quædam animalia mulcendo, quædam cædendo, ad obsequium flectuntur, ita civium alios asperitate, alios lenitate in obedientiæ gyrum redigere. Aristotelis nostri illud oraculum est; Prudentia imperantis propria & unica virtus. At illud nunc ostendendum, virtutem & prudentiam conjunctissima esse debere in Principe, nec unquam à Prudentia separandam Virtutem. Secus videtur Machiavello, qui in Principe suo c. 15. ait; *Non admodum esse laborandum Principi, si in eorum vitiorum incurrat infamiam, sine quibus dominatum non facile tueri possit.* Solent Imperatores A. O. cum hoste dimicaturi levis armaturæ milites in primam aciem educere, rejectis in finem triariis. Idem nobis faciendum. Probabili argumentorum serie velitabimus aliquamdiu, mox apodixi una aut altera adversarium confossuri. Est illud in confesso, Principes & terrarum Dominos Dei Opt. Max. in terris administros esse, & quod inter cœlestes genios ac animas

mas est supremum Numen, inter homines esse mundi rectores. Quod si ergo majestatis divinæ imaginem refert Princeps, utique & hac parte referat oportet, sanctitate ac prudentia, quæ in Deo excellentissima & summa sunt. Præterea si meliorem esse oportet civibus Imperatorem, nec ea in subditis punire æquum fuerit, quæ ipse commisit prius, omnino à virtutis & honesti calle eum recedere iniquum erit. Ergone fidem non servare licebit Principi, mentiri licebit, aliena per vim auferre licebit, innocentem è medio tollere ludus illi erit & jocus, quoties ita expedire putabit? cives vero eadem committere nefas erit, & morte piandum? Num quod scelus civem dedecet, decebit Principem? In qua quæso schola personis solum distare vitia, non propriis formis, didicerunt grandes isti & Transalpini politici? Quod si propius tum Virtutis tum prudentiæ definitionem examinare libeat, manifestum erit, alteram sine alterius consortio stare non posse. Virtutem definit Philosophus habitum præelectivum, cujus mediocritatem vir prudens definit. Prudentiam vero habitum cum recta ratione agendi ea; quæ honesta sunt & pulchra. Ita altera alterius opem poscit, & amice conjurant, ut nec virtuti constet sua indoles sine prudentia, nec prudentiæ sine virtute. Cum enim magna in rebus civilibus accidat mutatio, usque adeo, ut non tam natura, quam lege & consuetudine honestum constare videatur, ita judicat sapientissimus Philosophus, prudentiæ adminiculo eam temporis, loci ac personarum haberi posse rationem, ut nihil indignum officio viri boni committatur. Hanc ergo virtutis rectricem ac moderatricem esse vult. virtutis inquam, non scelerum, honestatis, non im-

probitatis,justitiæ,non injustitiæ,fidei,non perfidiæ. Hanc illi æternam legem figit ut cum recta ratione agat,nec in alio quam honesti circo se exerceat. Vnde manifestum fit, quam nobis Machiavellus fingit prudentiam, non prudentiam,sed calliditatem esse,& vafritiem,& astutiam, eamque fraudulentam & versipellem, qualem Græci πανουργίαν vocant. *Ea enim*, inquit idem; *necessarium est Principem uti prudentia, qua eorum vitiorum fugiat infamiam, quibus imperium illi adimi possit.* In reliquis ergo commeatum peccandi facit Principi consultor dolosus. Nempe sævitiam,hypocrisin,superstitionem,perjuria,diffidentiam,avaritiam susque deque habet,modo viam ad regnum struant,vel illi muniendo faciant. A Catilinæ opinor socio M.Lepido didicit.Nihil gloriosum esse,nisi tutum,& omnia retinendæ dominationis honesta esse. Vel à Thyeste audivit, Precario regnari, ubicunque dominanti tantum honesta licent. Sanctius diviniusque philosophatur Stagirites, cum Principem omnem virum bonum esse vult, easque in illo requirit virtutes, quæ cujusvis sunt privati. Machiavellus num vir bonus sit Princeps, num malus, ne ciccum interduit. At alium nobis Principem depingit Plato in lib.de Rep. alium Xenophon in Cyro, alium in Trajano Plinius, alium Seneca, qui regnum decere ait; Vt nemo doceat fraudis & sceleris viam. Alium vult illa puerorum nænia, *Et maribus Curiis & decantata Camillis*, quæ regnum rectè facientibus offert, *Qui recte faciet,non qui dominatur, erit Rex.* At illud mihi expediat velim Florentinus, qualem Principem formare susceperit? an talem,quem nullis omnino legibus teneri velit,an legibus adstrictum? Si prius,istiusmodi

modi Principem orbi dabit, qui orbis odium execrationemque merebitur. Principis est leges tueri. at inter has ipsas prima est, Princeps uti vir bonus sit. Nec potest recte imperare, qui summo Imperatori Deo parere nescit. Malus est honesti vindex, quisquis se honestatis imperio subtrahit. Quod si legibus Principem adstringat, quæro qua lege coërceri illum cupiat? An lege, quam naturæ vocamus & rectæ rationis, sive gentium omnium? an vero lege divinitus scripta? Si lege naturæ & gentium, utique religio illi erit, fidem datam non servare; religio illi erit, aliorum regna per vim vel religionis defendendæ vel propagandæ invadere. Atqui hæc ipsa scelera Principi suo instillat Machiavellus. † *Non charta ac scriptura, sed vis ac necessitas ad servandam fidem adigit.* Hac ubi se expediverit Princeps, irrita vult esse pacta & fœdera. * *Princeps sapiens ea promissa declinet,* (inquit) *quæ suis commodis contraria fore videt.* & rursum; *Duo sunt genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad posterius, si non satis est uti superiore. Proinde necessarium est, ut Princeps rectum utriusque & belluæ & hominis usum teneat.* Et ne sine ratione loqui videatur, subjungit; *Si probi essent omnes homines, præceptum hoc plane fuisset inutile; verum cum improbi sint, diligenter eorum improbitas perfidiaque erit eludenda. Nec deerunt* (inquit) *causæ, quibus in violatam fidem color inducatur, cum simulando, tum dissimulando. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ conversionem versatile ingenium princeps habeat, necesse est. & ab eo, quod bonum est* (hoc illi utile est) *ne discedat,*

† 8 *Hist. Florent.* * *De princ. cap.* 18.

dat, ac si necessitas urgeat, edoctus sit & malum, (hoc illi inutile est) *avertere,* Atque hinc: *Vitam tueatur princeps, curetque imperium conservare. quibus autem id artibus fiat, ea modo honesti speciem præ se ferant, nunquam non honore digna laudibusque existimabuntur.* Damnat crudelitatem & in subditos sævitiam recta ratio: At parvi, inquit ille, ducat princeps sævitiæ nomen, quo concordes suos in fide retineat. Quam humana, quam divina est illa Senecæ vox? *Decet timeri Cæsarem, at plus diligi.* Florentinus contra, * *Satius esse ait, metui principem, quam amari.* Nec deest illi, quod malæ causæ metuetur patrocinium à Didone, quæ inhumanitatem regni novitate excusat. *Res dura* (ait Pygmalionis soror) *& regni novitas me talia cogunt moliri.* Quod si legibus à Deo scriptis eundem adstringat, utique suasisse oportuit, populi rectoribus ab omni vitio religiose & serio abstinendum, non prætexendum temere sceleribus religionis nomen, nec satis esse, ut pietatem superstitiose colere videatur, sed sincere citra Itachismum & dolum colat. † *Principi urbem aut regionem occupanti plane novam Reip. formam instituendam esse suadet, omnia innovanda, bona opulentorum hominibus pauperibus distribuenda, eosque ditandos, ut de illo dici queat,* quod de Davide Rege fertur: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* A Rege scelerate factum fingit, quod ipsius Dei αὐτοκράτορ⊙ & res humanas pro arbitrio moderantis justissimum est factum. *Agnoscit crudelem esse illam imperandi rationem, sed aut non imperandum esse ait, aut ista via insistendum.* Addit; *Multi ignorantes mediam viam ingrediuntur, nec plane boni, nec omnino per-*

* *Cap. 17. de princ.* † *Lib. 1. de Rep. cap. 26.*

perversi esse volunt, quod illis nequaquam prospere succedit. Ergo ut Rex sis, eximiè malum esse præstiterit, hoc monitore, quam ἡμιπόνηρον. Atque illud suum axioma ut probet, unus illi sufficit Macedo, * ipsissima Machiavellismi idea. Displicent eorum principum exempla, qui optimo successu victos clementer habuerunt, relictis iisdem sacris, salvis privatorum bonis, & regiminis forma quam minime mutata. Et est hæc, quod notari utile fuerit, perpetua Machiavelli vel perversitas, vel cœcitas, ex uno alterove principis iniquiore facto exsculpere conclusionem universalem, spretis bonorum principum exemplis, quibus ex honesti præscripto omnia agentibus res imperii felicissime successerunt. Atque hæc ipsa non minus facile fuit illi invenire, quam illa omnis ævi βδελύγματα & vibices publicas attentiore oculo observasse. Nempe sordibus magis & vitiorum documentis gaudet, quam virtutis innocentia. Et uti sues cœno lutoque pinguescunt, nitidius pastæ gracilescunt, etiam ille principum fortunæ à fœdis artibus incrementa quærit, quæ à recti studio haberi posse neutiquam est desperandum. Negat Principem tutum esse posse, quamdiu illi vivunt, quos regno spoliavit. † *Male*, inquit, *hoc successit Tarq. Prisco, ab Anci filiis interfecto; male Servio Tullio Tarq. Superbi dolo & scelere trucidati.* Scelus ergo sceleri superaddi mavult, quam commisisse simplex. regno ubi spoliaveris innocentem, suadet eundem, & liberos amicosque è medio tolli. At ignorare non potuit, plurimos principes bono eventu iis pepercisse, quos regno exuissent, bono eventu iis ignovisse, qui quæsitæ dominationi

* *Lib.* 1. *cap.* 27. † *Lib.* 3. *cap.* 4.

ni nuper restiterant. Horum exempla cum apud priscos & recentiores scriptores ad manum sint, maluit crudelitati vicinior haberi, quam clementiæ. Etiam ita differit: * *quæcunque promissa publico nomine per vim extorta sunt ab hoste, ea omnia, ubi cessaverit vis illa, quæ prius cogebat, irrita fieri solent, & quidem sine ignominia ejus, qui non servat.* Et provocat ad exemplum Consulis S. Posthumii, qui Romanis ad turpes pacis conditiones adactis post Caudinam cladem, suasit non servandam esse pacem cum Samnitibus factam. At cur non potius infert servandam esse hosti fidem? cum pessime cesserit tot populis & civitatibus fidei violatio. Patriam defendi vult, sive id fiat honeste, sive cum ignominia aliqua. † *Neque ab hoc scopo*, inquit, *avertere quemquam debet justi, injusti; crudelitatis aut misericordiæ, non denique laudis aut ignominiæ nota.* Miror utique, cum cap. 29, lib. 3. de Rep. tales esse ostendat populi mores, quales sunt principum, cur non principem honestum & rigide probum orbi ob oculos posuerit, ut tales quoque illi tradat subditos, qualis est ipse. Iam nefarias artes docet Principem, ut inter nefarios vivat tutius; cum minus hi sint futuri tales, si ad probitatem præiret conspectior regentis vita. Nec animadvertit malus politicus, iis ipsis artibus, quibus imperia fulciri & stabiliri putat, eadem amitti & convelli. Multorum scelere petitur, qui multorum damno peccat. Pluribus qui periculum est, periculis multorum exponitur. Omnium manibus opprimitur sæpe, qui cervici populi sui gravis, hunc unum premit, ut securius imperet. Pessima est diuturnitatis magistra peccandi libido.

* *Lib. 3. cap. 42.* † *Lib. 3. c. 41.*

bido. Et licet occulte rem geras, oculata plebs quicquid ſibi noxium videt perſpicaciter, & execratur hoſtiliter. Fortunam & tempus oportunum ubi nacta fuerit, non aſpiciet rector illas ipſas manus ſecurus, quibus ſe commiſit. Et quæ illa inſania eſt, putare, improbitate ac ſycophantarum artibus potius regna firmari, quam invicto virtutis præſidio? An non audivimus ſæpe Reges, civitates, & imperia per ſcelera amiſiſſe, quæ per virtutem ceperant? Annon à Deo illa vox? *Regnum à gente in gentem transferam, propter injuſtitiam, & injurias, & contumelias, & dolos.* De promiſſis divinis dubitant, qui minus efficacem tuendo imperio putant probitatem. Illud omnis ævi docent monumenta, plures pios & recti tenaces ad regnum perveniſſe minori incommodo, quam improbos; plures pios felicius regnaſſe; plures pios felicius & tranquillius deceſſiſſe. Eant nunc, qui ſola utilitate felicitatem imperiorum æſtimant. Et quis ſanæ mentis credat, provinciam iſtam, quam ſummus Regum orbis rectoribus impoſuit, non poſſe ſine ſubſidiaria tot ſcelerum cohorte adminiſtrari? Ægyptii Reges in ſceptris circumferre ſolebant Ciconiam, pietatis, & Hippopotamum juſtitiæ hieroglyphicum. Machiavellus noſter Principum ſceptris Leonem & Vulpem inſcribi cuperet, hoc eſt, tyrannidem & vafritiem. In libris abrogatarum legum referuntur Lex Ælia, Sentia, Iunia & Norbana. Ille novo exemplo inter abrogatas poni cupiat, Honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, quibus univerſa juris prudentia continetur. Equidem ſapientum de turpi & honeſto ſententias ſimiles eſſe vult numiſmatis antiquioris

quioris ævi, quæ quamvis æstimari soleant, tamen ad contractus humanos minime conducunt. Præcipue, ubi de religione disserit Machiavellus, veluti mercimonium aliquod rem sanctissimam solis regni commodis circumscribit. *Satis est*, inquit [1], *ut princeps pietatem, fidem, religionem sancte colere videatur. Nihil magis præ se ferre ipsum oportet, quam postremam hanc virtutem. Fere etenim homines magis specie & colore rerum, quam rebus ipsis permoventur.* Rectius Peripateticorum Princeps inquit, oportere Principem res divinas curare serio. Religionem à Principis personato vultu dependere nefas est, Principem à religione prorsus necessarium. Dantur principes illi, non illa principi, ut vult Machiavellus, quoties docet Romanos auspiciis pro Reip. utilitate usos, & ex religione artem fecisse. Religionis est informare custodem suum, non custodis, illa tanquam Lesbia norma uti. Flecti ad ejus præscriptum possunt principes, non hæc illorum arbitrio fingi & refingi. Hoc qui moliuntur, perinde faciunt, ac si quis anni tempora, hyemem, ac æstatem hominibus accommodare velit, non homines illis. Non eget humanis artibus, nedum Sinoniis, religio, ut adolescat; ipsa sibi sufficit; & incrementa sua à se sola, & ipsa pietate sperat. Mendaciis, simulationibus, perjuriis illam promoveri, quæ hæc ipsa vitia damnat, improbum & stolidum est. Irreligiosum prorsus Principem divino nomine abuti, ut ambitioni suæ & cupiditati autoramentum quærat. Quod si nulla res, Tacito teste, multitudinem efficacius regit, quam superstitio, si hoc philtro subjectos sibi populos dementarunt

[1] *Cap.* 18. *de Princ.*

runt Numa, Scipio Africanus, L.Sulla, Q. Sertorius, Minos, Pisistratus, Lycurgus, Zaleucus, Midas, qui cum Diis & Deabus se collocutos finxere, major profecto veræ ac Christianæ religionis vis erit, ut quæ rectrix humanæ vitæ, justi injustique norma, perturbationum optima est gubernatrix, in adversis solatium, frenum in prosperis, unica denique & invicta mentis domina. Et sicuti ficta religionis professio impia est, ita veræ professionem felicissimam arbitror gubernandi populos magistram ac artificem. Nam & minus injustum aliquid sperant ab eo Principe pati, quem religiosum Deique verentem existimant; & minus ei insidiantur, utpote tutorem & adjutorem habenti Deum. Movet quoque illius veneratio opinionem, ut nihil sine ope divina aggredi videatur. Denique quid æquius, quam eum, à quo sceptra acceperis, innocenter coli, quam ejus cultum sine fuco curare, cui cura est venerandi Regis. Atque hactenus abunde ostendisse mihi videor, pessimis à Machiavello Principem artibus imbui, distractis à se invicem virtute & prudentia. Quare exeat è bonorum principum ordine Philippus Macedonum Rex, plane ad Machiavellicum ingenium comparatus, qui vicinorum odia ac simultates fovebat, ut aliis oppressis, aliis in partes pertractis, omnibus imperaret. Hic ille est, qui veluti è specula Græcorum libertati insidiatus avide arripuit Phocensium sacrilegium, ut religionis defendendæ prætextu victos victoresque sibi subjiceret. Et hæc quidem religionis nundinatio, uti in profanis merito damnatur, ita magis execrabilis fuit in Ieroboamo Rege, qui ut animis magis dissiderent Israëliticæ tribus ipsum secutæ, nova sacra,

cra, novos Deos instituit, ne facile coirent partes cœlo ac numine distinctæ. Augusto quoque Cæsari, si fides Tacito, pietas erga parentem, & tempora Reip. obtentui sumta, consulti per ludibrium Pontifices, conciti dominandi cupidine per largitiones veterani, simulata Pompejanarum partium gratia. Sed Pompejus imagine pacis, Lepidus specie amicitiæ, Antonius federibus decepti. Verum ut hæc condonem, aliud, Auguste Cæsar, condonare non possum, quod perfidi Triumviratus amore facundissimum illum Romuli nepotum Antonii furoribus victimam objeceris, quod illam linguam, sine qua jam dudum conflagrasset Roma, sine qua nec tu Consul unquam, nec Imperator fuisses, rostris affigi siveris, ut regnares. Addo & alterum crimen, quod Ovidio Nasoni, ad Tomos exsuli, implacabilem te præstiteris. Non te cœlestes isti elegi, non tot libelli supplices in Parnasso scripti flectere potuerunt, non ille versus toto Imperio Romano nobilior: *Flectitur iratus voce rogante Deus.* Iacuere ante pedes tuos Musæ Iovis filiæ, jacuit Apollo, jacuere Gratiæ omnes, pro Nasone per ipsum Nasonem locutæ. Ad omnium preces obsurduisti, tanquam silex & Marpesia cautes. Nempe videri volebas scurriles poëtæ versus odisse, quos sicuti execror, ita illud in te execror, quod facere malueris illa, quæ poëta lascivius scripsit. Præivit iisdem artibus Dictator Cæsar, qui pietatem colui voluit, sed citra regni jacturam. Et profecto, si quispiam alius, in hoc theatro histrioniam egit Tiberius, cui familiare fuit dolo & casibus objectare summos Reipub. viros, & per tyrannidem ac minaces delationes imperitare. Nec alieni ab his studiis fuere Nero & Galba,

ba, quorum ille Rubellium Plautum in Asiam specie tutioris & minus turbidæ juventæ; Otthonem rivalem in Lusitaniam per speciem honoris sepoluit: hic vero Virginium ab exercitibus Germaniæ secum abduxit per simulationem amicitiæ. In Otthone falsas quoque virtutes notat Tacitus & vitia reditura. Neque latuere istiusmodi artes sequiorem sexum, cui ad regnum contendenti, nihil inhonestum fuit, nisi quod dominationi obicem poneret. Athaliam videte inter Iudæos, Semiramidem inter Assyrios, Agrippinam inter Romanos, Mammeam sub Alexandro Severo, Brunechildes aliquot inter Francos, quæ non alia ratione, quam fraudibus, regnum vel sibi vel suis paravere. Pipinus Galliæ Rex translato ad se à Merovæa stirpe Francorum regno, à Stephano Pontifice coronari voluit, ut religioni videretur debere occupatum arte imperium. Refert Guicciardinus XII histor. Ferdinandum Aragonium Hispaniæ Regem omnes imperii cupiditates colore religionis texisse. Magna quoque vafrities fuisse dicitur Vladislai Pannonum Regis. magna quoque Ludovici XI Galliarum Regis, qui, teste Cominæo, in otio constitutus, avide captavit offensiones & simultates vicinorum Principum. Illa religionis improba ostentatio etiam Turcarum Imperatoribus usitata est, qui, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, quoties de gravissimis rebus deliberant, Muphtim suum, hoc est, religionis Antistitem consulunt, qui explorata ante Imperatoris voluntate, eam, quæ placere possit, sententiam dicit. Nihil jam de prisca Græcorum & Carthaginensium in frangendis federibus ac pactis levitate ac perfidia dicam. His magistris,

his

his doctoribus in aulas principum irrepserunt usitata passim imperii sophismata, quæ politici status rationes vocant pragmatici homines; rectius ille, dominationis flagitia. Cujus generis sunt hæ quorundam politicorum suasoriæ & Machiavellistarum flosculi: Vti pueros talis, principes juramentis ludere minus nefarium videri: Demetenda esse papaverum capita, juxta ambulantis Tarquinii ἀπόδειξιν: Non esse recitandas leges iis, qui gladio prævalent: Optime de finibus disputare, qui illo superiores sunt. De alienis decertare regium esse, privata tueri plebejum nimis ac vulgare: Vrbes provinciasque præoccupandas, si idem forte facturus sit alter nostro damno. Nec diffitentur, cum Tacito, magna illa exempla habere aliquid ex iniquo, quod adversus singulos utilitate publica rependitur. Ab eodem pure fluxere hæc carcinomata; Vtiles esse principibus delatores, & per præmia eliciendos; Insidiari temporibus debere principem, & frigidam suffundere vicinorum litibus, ut sequestri functus partibus solus possideat universa: Anguillis tunc capturam esse, juxta Aristophanem, cum Regum obitu de herciscundo disputatur: Fovendas esse domi religionum controversias, ne unanimes populi in rectores suos conspirent, quo fine Catonem ait Plutarchus contentiunculas inter servos callide fovisse: Colendas cum finitimis amicitias, quamdiu utilitas coli suaserit: Deglubendum esse subinde multorum capitum pecus, cum egestas civium securitas sit dominantis: exprimendas esse succulentas spongias, ne opibus elatiores regnantibus periculosi sint: Non contemnendum illud Lucani, *Satis est populis fluviusque Ceresque*. Et quæ alia plurima sunt scho-

læ

læ Philippicæ, Tiberianæ ac Machiavellicæ flagitiosa dogmata. Vnum nobis ad veram & æternam Principis laudem iter à virtute directum probatur. nec fas puto rerum humanarum administrationem, bono consilio à Deo immortali Imperatoribus datam, in fraudem malitiamque converti. Spartani ad bellum ituri, non tympanis, non lituis, sed solis poëtæ Tyrtæi versibus animos ad fortitudinem inflammabant. Similiter ad regnum, ad sceptra & fasces ituris, non insusurrandæ sunt lenocinantes istæ adulantium voces, quæ præter commoda, utilitatem, securitatem nihil crepant, sed potius recitandæ iis augustæ Platonis sententiæ, divina Aristotelis oracula, Socratis, Epicteti, Senecæ de Virtute præcepta, quibus vita, quibus mores Principum corrigi & emendari possent. Verumenimvero, adversus ea, quæ hactenus à nobis disputata sunt, regerat quispiam. Aliud esse Principem formare & politicum, aliud virum bonum, aut Christianum. ac si subjectis differre oporteat Reip. rectorem, & virtutis cultorem, nec utile sit in eodem reperiri pietatem & prudentiam, sapientiam & veræ religionis studia. Ac constanter ego inficior, Principem illum esse omnibus numeris perfectum, qui non sit vir bonus & rigidus honesti exactor. Nec illos moror, qui Principem talem à Machiavello describi contendunt, quales dantur ut plurimum: veræ virtutis studiosum Principem inter Epicuri intermundia quærendum: aliud esse in Platonis Πολιτείᾳ, aliud in Romuli fece sententiam dicere: Principes inter malos, inter argutos & fraudulentos vivere, ideoque fas illis esse fallere, ne fallantur, & vulpinarier cum vulpibus. At hi omnes malos esse cupiunt, quia

quia multi tales. Ex fraudibus fallaciisque conflari volunt Principem, quia plerique in hac classe. Non si per fraudem amittuntur imperia, per eandem servari fas erit; non magis, quam morbum pelli, alterius morbi procuratione. Te sequor M. Tulli, Nihil fallaciter, nihil insidiose, nihil simulate agendum homini ad candorem, ad veritatem nato. Communis, inquiunt, utilitatis derelictio contra naturam est. At magis honestatis. Semper, inquiunt, officio fungitur Princeps, qui utilitati publicæ consulit. Sed enim nihil ego utile puto, à quo honestum abest. Magnus ille & celebratus Politicorum in hac Batavia Scriptor, negat Principem debere præfracto rectum esse, neque tantopere illi curandum, ut semper superet vera illa & directa ratio. Verum liceat nobis, tanti viri pace, id quod sentimus eloqui. Principem obliquare sinus, instar prudentis Palinuri, permisero; & si hac via portum salutis publicæ assequi nequeat, mutata velificatione assequi. Sed nolim vel latum unguem à recto discedere. Non desinit vinum esse vinum, si guttulam aqua aspergas. at desinit virtus esse id quod est, si vitium adspergas. Non amat illa permisceri sceleribus, quibus adversatur. Fucum non fert, purpura est; lux est, tenebras nescit; colorem respuit, cœlestis naturæ est.. Nec desunt, qui Machiavelli patrocinium suscipientes, pro illo respondent, non fuisse eam viri hujus mentem, ut officium esse Principis æstimaverit, virtute ac religione in suum & populi commodum uti: nec hoc consilio conscriptas ab ipso eas, quas edidit de Repub. & Principe dissertationes, ut callida illa rerum gerendarum consilia imitari habeant; sed hoc solum fine, ut quæ sint imperantium insidæ

& do-

& dolosæ machinationes & studia clarius cognoscatur. Verum non quid fiat à Principibus, sed quid fieri oporteat, quid fieri necessum sit, exponit. Non Historici, sed Doctoris partibus fungitur. Licet subinde, ne non callide improbus videatur, sanas voces sceleratis permisceat. Et est hoc inter seculi hujus vitia non minimum, non solum cogitare, qua ratione occulte peccari possit, verum etiam modos comminisci, quibus impietas artificio suaderi possit. ut quemadmodum empto vultu se commendant turpes meretriculæ, sanctimoniæ quoque larva placeat certissima animorum pestis ἀθεότης. Et profecto eæ sunt impietatis illecebræ, ut etiam quidem ne pii quidem videri cupiant, hoc solum nomine, ut piis differant. Alios cum videant religioni addictos impense, ea nota ab ipsis discerni stolide amant, qua mali à bonis discernuntur. Populi & vulgi virtutem esse credunt pietatem. Et sicuti sordent multis lyræ & citharæ, quia mendicantibus placent; despectior quoque est religio, quia plurium est. Accedit ingenii sæpe vana ostentatio. Et quia religionis adoranda mysteria non rationibus humanis, sed divinis oraculis fulta vident, amant Creatoris sui sapientiam & voces profanis argutationibus, velut naso suspendere. Ac si laudis foret & egregiæ fiduciæ testimonium, ad instar Graji istius hominis, mortales oculos contra cœlum attollere. Nempe fidem exigunt vecordes animæ, quam demonstratione concludas, aut inductione sensibus objectes; cum ne quidem vel probabili ratione impietati suæ patrocinari queant. Quam libens lego illud Livii; qui postquam nepotem Consulis Papirii à religionis studiis laudasset, hoc elogio illum immor-

C talitati

talitati donat: *Iuvenis* (inquit) *ante doctrinam Deos spernentem natus.* Nobis talis Princeps formandus, cui scelus sit naturam sprevisse Dei; talis, qui credat summum illum arbitrium animis & mediis cogitationibus rectorum intervenire; talis qui credat prospera omnia eventura Deum colentibus, adversa spernentibus.

Vos itaque, quotquot aliis præestis, sive Regum, sive Principum, sive Magistratus titulo, famam multum, at conscientiam maxime vereamini. Hanc qui verberat, in seipsum latrocinatur, & postquam regna agrosque milite vastaverit, rabiem in se convertit. Eam religionem amplectimini, non quæ imperantibus vobis conducet, sed de vestra salute serio cogitantibus. Nec enim dum aliis consulitis, prudentiæ fuerit, vos perire; aut beatitudine æterna privari velle, dummodo terræ pugillum ad tempus possideatis. Tribunalia vestra fulciant Iustitia & Æquitas, nec satis sit ea possidere, quæ per vim ac fraudem possideri possunt. Sola vobis licent laudanda, nec permissum, quicquid commissum. Nulli subditorum injuriam facite, quia expediat, cum expedire non possit, quo solo fere Respublicas everti constat. innocentem lædere, non rectorum, sed tyrannorum est. Sævitiam aversemini, ut quæ plus timoris addit imperanti, quam securitatis. repertis autoribus de vindicta cogitant, quos metus terruit. Populum atterere, iniquum & periculosum credite. citius necis paternæ, quam ablati peculii obliviscitur egena plebs. nescit illa timere, quoties jejuna est. obsequii impatiens est, cum esurit. Semper compertum est, egentissimum quemque esse audacissimum, versa in desperationem paupertate. Fidem datam, vel hosti,

hosti, servare, aut hominum consortio exire. Hac lege si coerceri non cupitis, subditos fide ipsi solvitis. Nec sufficiat perfidiæ ac fraudis speciem reperisse. Distringit fraus, non solvit perjurium. Latebram perjurio quæsivisse opportunum putant multi: sed qui illam reperiat mens, in seipsam conversa, quæ si alios latere possit, seipsam non potest. Callidis vobis esse licet, sed citra iniquitatem. Fines extendere, sed sine scelere. Bella gerere, sed cum ea vitari nequeunt. Vim inferre, sed ut propria repetatis. De pace cogitare, sed ne noceat ejus obtentus. Diffidentiam non improbavero, modo solam excludat credulitatem. Vtrumque noxium, & omnibus credere, & nulli. Nec dissimulationem damno, modo ea solum tegat, quæ publice nesciri interest. In reliquis frontem mentemq; pariter exporrigi laudabile. Simulatio absit, quæ fallacibus blanditiis velet nequitiam. Inter consiliarios distinguite, & delatores, quos ut legum custodes amplexus est Tiberius, at longe ab aulæ foribus abesse voluerunt, melioris ævi Principes Nerva & Trajanus. Capreas Tiberianas cogitate, in optimorum civium & optimatium perniciem cessisse. Has qui probant & suadent, digni sunt quibus primis verbosa & grandis epistola à Capreis veniat. O vere Principem, qui in tanto fastigio positus, non magis magnus, quam probus audire desiderat. qui potentiam justitia moderatur, sagax in pernoscendis civium animis, peritus bellicarum artium, pacis bonis artibus tuendæ solers, dexter obsecundandi temporibus, constans in fœderibus, in promissis verax, cœptis magnanimus, expeditus adversus dolos, & quod primum dixisse oportuit, Dei & sacrorum antistes sincerus. Hæ vir-

tutes munimenta sunt imperii, quibus insistendum, hæ fulcra magnitudinis vestræ, Principes. Hæ populos veneratione implent, hæ vos tutos sanctosque præstant. Certissima debilis & jam fatiscentis Principatus documenta sunt, cum virtutibus ac viribus destituti, ad ignobiles illas & plenas probri Machiavellistarum sycophantias, nequitiasque confugere cogimini, quæ tametsi ad tempus juvent, postremo fallunt. Finiam Plinii verbis: Agitis cum Deo, Principes, qui vos incolumes sospitesque præstabit, si vos ceteros. Sin contra, ille quoque à custodia corporis vestri oculos dimovebit, & vos relinquet votis, quæ non palam suscipiuntur.

Recitata fuit ipsis Idib. Mart. 1633.

ORATIO
DE ENTE RATIONIS.



Quemadmodum citharœdi præluſiones suas in antecessum populo dare solent, tibicines in tibiarum inflatione τὸ ἐνδόσιμον ordiuntur, oratores à procœmio auspicium faciunt, poëtæ prologum in scenam præmittunt, adeoque sua cuivis solenniori operi præit παρασκευὴ; eundem quoque ad modum in professionis Logicæ antecessum quasi præcinere, præludere, ac præfari institui; ne suo quoque apparatu careat hæc nostra inauguratio, aut solus damnasse videar morem tot clarissimorum virorum exemplis veluti lege comprobatum. Verum ne seria magis apud vos loqui, quam præludere videar, nequaquam de

de rebus morosis, aut splendidis, aut obviis verba faciam, etiamsi morosum forte vobis videbitur, & venustatis omnis expers argumentum. Etenim cum hactenus, quotquot vel legere vel audire contigit Oratores, de rebus omnes dixerint, ego, ut novitate aliqua vos afficiam, de nulla re dicam. quid stupescitis? nec tamen de nihilo. Dicam tamen. at quædam subtilius, quia aliter se tractari non patitur id, de quo dicere institui; quædam ad delectationem, ne suo condimento nostra oratio, vester animus honesta careat refectione, plurima vero ad eorum utilitatem, qui Philosophiæ sacris operantur. Desideratis opinor orationis meæ cognoscere argumentum. Nondum dicam. Libet enim paulisper vobiscum in atrio & peristyliis orationis oberrare. Poëtæ fabulas vix triobolares modo admiranda carminis majestate illustriores reddunt, modo incredibili dictionis suavitate veluti nectare ac myrothecio perfundunt, lectori ut placerent, quas fecissent fabulas. Viri Oratores prisci juxta ac recentioris ævi res nauci & umbra asini viliores sæpenumero laudibus decantare amant, & ingenii pariter sui ac eruditionis specimen circa illa edunt, quæ in Velabro teruncio emas, hoc gloriosum arbitrati, si è re vilissima maximam laudem consectarentur. Murium & ranarum pugnam ante tot secula lusit Homerus, Culicem & Moretum Virgilius, nucis miseram sortem Ovidius. Est qui muscam laudavit Lucianus, qui comam Dion, qui calvitium Synesius. Non deest qui porcelli testamentum conscripsit, cujus D. Hieronymus meminit; qui Grylli cum Vlysse Dialogum, & asini aurei infandam calamitatem. Inter recentiores de laudibus anseris

dixit Iulius Scaliger, de umbra Ianus Douza. uterque in re, naturæ quidem placita, at exigua, ingentes ingenii sui laudes explicavit. Heroëm Polypoda, quem Græci φθεῖρα vocant, erudita dissertatiuncula æternitati consecravit Vir clarissimus Daniël Heinsius. Idem num Philosophi possunt in suis experiri libet. Sed experiri tantum. neque enim tantorum virorum egregios conatus exæquare nostræ opis est. Proposui de Ente Rationis, ejusque natura ac indole dicere. Quod ipsum si Metaphysicorum more facere aggrediar, inter nubes Socraticas versari, & ignoto multis sermone loqui videbor, aut caballistica mysteria reponere: sin oratorum stylo, rem inceptabo arduam & novam.

Vnde prius nulli velarunt tempora Musæ.

Quare mixto dicendi genere utar, & cum thema mihi sumpserim philosophicum, dicam quamplurima quæ ex intimis Philosophiæ penetralibus deprompta res difficillimas expedient. Cumque apud eos mihi dicendum sit, quorum alii dicendi facultate excellunt, alii his ipsis artibus delectantur, omnes vero orationem potius, quam Philosophicam διάλεξιν expectant, ita ditionis meæ filum moderabor, ut ea quæ dicturus sum, à Philosophia, modum quo dicturus sum, aliunde petita esse intelligatis. Vti enim jejuna est & exsucca oratio salutaribus philosophiæ præceptis destituta, ita putida est Philosophia, quæ cum Iavello, Scoto, Lombardo βαρβαρίζειν, quam cum politioris sapientiæ principibus recte loqui mavult. Vos Auditores animos advertite, & quod in Agyrtarum facitis concionibus, ac ludis circulatoriis, quoties saccarias istas artes excutiunt ingeniosi impostores, attentum nobis silentium com-

commodate, donec de Entium Rationis natura, origine, parentibus, antiquitate, commodisque disseruero.

[1] Ens nomen est barbarum, sic fictum à Philosophis, non linguæ Latinæ ignorantia aut penuria, sed consulto. Licet enim huic hominum generi ὀνοματοποιεῖν, & voces fingere, ut res planiores dent. Atque hoc jure freti, quod tamen nullo Principum edicto aut Imperatoria facilitate obtinuerunt, sed velut αὐτοκράτορες usurparunt ipsi, in Scholas dimanarunt Scoti hæcceitates, & quodlibeta, Iavellicum ly, Thomæ aliorumque quidditates, formalitates, instantia, ubicationes; communicantiæ, realitates, modalitates, suppositalitates, aliaque Ciceronis seculo inaudita nomina. Hæc inter Ens est, vox licet minus Romana, tamen hoc cum Agamemnone populorum principe commune habens, [2] quod sit εὐρυκρείων, hoc est, late dominans, aut si Horatium mavultis interpretem, late tyrannus: cujus tanta est amplitudo, ut ne quidem illis, quibus Solis cursus, terminis claudatur; tanta evidentia ac perspicuitas, ut vel balbutientibus infantibus, conceptum sui primo omnium ingerat; tanta antiquitas, ut cum antiquissimo dierum ætatem suam computet. Verum Rationis Ens cum dico, nonnihil majestati veri Entis derogo, & licet plus quam nihil dicam, parum ultra id, quod non est, dico. Est enim hoc Ens ingeniosæ mentis perutile figmentum, & veri Entis simulacrum quoddam ac imago, nec existentiæ aliam μορφὴν, præterquam quæ fingitur, habens. Philosophi lata significatione [3] Secundam notionem

[1] *De vocabulo Entis.* [2] *Ejusque amplitudine, evidentia, antiquitate.* [3] *Ens rationis quid sit.*

nem non primam, vocant. Hæc enim ipſiſſima ac genuina eſt rei imago, atque exiſtentiæ extra mentem in mente repræſentatio. Illa vero mentis conceptus eſt ac fœtus ejuſmodi, cujus extra illam in univerſo nec vola eſt nec veſtigium. Et cum prima omnium noſtrum de rebus ſit cogitatio, hæc circa hanc ipſam occupatur, & altera eſt mentis velut παρέκβασις & digreſſio. [1] Magna eſt materiæ primæ excellentia, ſi cum hoc ipſo Ente compareretur. Et tamen illam puram potentiam vocat Ariſtoteles. Atomi quid ſunt? corpuſcula inſectilia, quæ volitantibus in ſolis lumine pulviſculis comparare ſolent Philoſophi. At his minus eſt id, de quo loquimur. Puncta Mathematica ne quanta quidem ſunt, ſunt tamen, nec à mente dependent. Hoc ens nec ſine mente eſt, & cum per mentem eſt, ne res quidem eſt. Lineæ Appelleæ, quæ miraculo fuere toti mundo, tantæ fuiſſe dicuntur ſubtilitatis, ut viſum pene effugerent, at videbantur tamen. Hoc ens nemo oculis vidit unquam, niſi forte tam Lynceus, ut ea quoque per tenebras videat, quæ nuſquam apparent. [2] Atque ob hanc pene ἀδυναμίαν deſpectiſſimum eſſe cœpit, iis omnibus, qui præter hoc alia omnia admirantur & ſuperſtitioſe curant. Qui de rerum Natura ſcripſerunt, & æthereæ pariter, ac elementaris regionis opes chartis explicuerunt, hujus nuſquam meminerunt. Metaphyſici ſcientiis hoc ſubſterni velut prætorio edicto cavent. Logici omnibus prædicamentis, ſed ſociis partibus integrantibus punctis, momentis, totaque arte factorum congerie additis, miſellum embryonem, exulare jubent.

[1] *Quam debilis ejus ſit eſſentia.* [2] *Quam in nullo apud quoſdam pretio.*

jubent. Ambrosius Calepinus vir de quovis argumento breves discursus faciens, silentio quoque hoc ipsum præteriit, & num mas sit, num fœmina, num neutrum, nusquam expedit. Cum vero artificum & operariorum tanta sit ubique locorum copia, quanta vel æstivo tempore in campis cicadarum, nemo tamen horum in hoc Entium genere artis suæ documentum dedit unquam, cum & sordidam lanam sint qui tractent, & in bovis tergore ingeniose luxurietur sutor, & in vilibus Oceani conchis se torqueat argentarius. Ipse rerum opifex Deus omnia cum conderet hoc ipsum non condidit, id unum veritus, ne si non * Entia crearet, contradictionem imprudenter implicaret. Et Plato qui omnium rerum ideas esse dixit, hujus ullam extare non dixerit. Nolite mirari Auditores; cum enim omnia vel substantiis vel accidentibus definiantur, hoc Ens neutrum est. Amplius dicam. De Transcendentibus multa audivistis disserere Philosophos, qualia sunt Ens, Vnum, Verum, Bonum, Res, Aliquid. At hoc Ens bonum non est, quia verum non est: verum non est, quia unum non est: unum non est, quia Ens non est. At idem cum Ente est res & aliquid. Magis mirabilia audite, de quibus nec in Tusculanis quæstionibus disputat Cicero, nec in moralibus suis Plutarchus. † Super hæc transcendentia finguntur Supertranscendentia, opinabile, cogitabile, intelligibile, augusta vocabula, ad quorum recitationem assurgat ipse de curuli sella Cato, aut stupescat C. Marius. Inter hæc num referri possit sedulo disquiritur. Non referri debere, nisi adhibitis circumspecte di-

* *Cum nec accidens sit nec substantia, nec inter transcendentia.* † *Aut super transcendentia locum mereantur.*

ſtinctiunculis aliquot, omnes clamant. Adeo in ejus perniciem cuncta conſpirant. Quamobrem cum Ens voco, aut contradictoria ipſe loquor, aut ὁμωνύμως verum dico, uti hominem pictum hominem dicimus. Nebulas Ariſtophanicas legiſtis opinor. His ſimile quid habet, evanidam nempe nec ſtabilem naturam. Qui ſomniorum generationem capiunt, norunt, opulentiſſimos & feliciſſimos ſæpe ſibi videri ſomniantes. Pariter qui hæc entia fingunt, dum fingunt, magnum aliquid ſe moliri credunt, ac plus Homero ſibi ſapere videntur, cum umbras ſolummodo rerum captent, & imaginaria cœna ſtomachum deludant. * Nec minus tam tremendæ interdum ſunt eſſentiæ, ut Hircocervus, Chimæra, Cerberus, Geryon, Minotaurus vocentur, modo tam debilis, ut cæcitas, vacuum, tenebræ, privatio dicantur: modo tam nullius, ut qui exempla horum daturi ſunt, purgatorium, Platonis rempublicam, Apuleii aſinum, ac univerſalem omnium Eccleſiarum Epiſcopum Pontificem è pergula pictorum depromant: modo tam variæ, ut his caſus, declinatio, figura, aliis theſis, hypotheſis, ſtatus, aliis ſubjectum, prædicatum, ſpecies, aliis æquator, horizon, polus (cogor reſpirare,) aliis par, impar, impariter par, aliis aliis vocentur nominibus, prout quiſque rebus ſuis expedire novit. quæ omnia in occulto erant tunc, cum rebus ſingulis nomina imponeret protoplaſtus Adamus.

Ne tamen vos vocis fallam æquivocatione, ſcitote à Philoſophis quædam Entia Rationis ſic dici, quia à ratione formantur, qualia ſunt ea, quæ primo Epigrammate recenſet Martialis:

* *Ejus varietas.*

lis: quædam quia in ratione sive mente velut domicilio alte resident, uti sunt scientiæ omnes, & rerum conceptus genuini: quædam quia soli menti objiciuntur, nec, si cogitare de iis desinat mens, quicquam vel in mente vel in universo sunt. Illa Scholasticis Entia Rationis effective, ista subjective, hæc objective, dicuntur, habita argute paranomosias ratione. De his posterioribus nobis sermo est. Quæ subtilius philosophantes in * Entia Negationis, Privationis, & nescio quas relationes ac denominationes extrinsecas distinguunt. Ens Negationis Pegasus est, adeoque totus ille Deorum poëticorum cœtus tam frequens, ut turbam ipsam vix capiat cœlum, tametsi capacissimum. Ens privationis est Claudius Cesar, sed ea corporis parte, qua Drusillam euntem in cœlum sequitur non passibus æquis. Entia Relationis sunt præmissæ & Conclusio, aut ut vetera reponam, Antistrephon, Ceratine, Crocodilites, Vtis, Pseudomenos, Cacosystata, Asystata, aliæque monstrosæ ac terribiles Stoicarum argumentationum formæ. Quæ quidem omnia in hoc conveniunt, quod cum vera essentia careant, ad similitudinem tamen rerum concipiantur: in hoc autem differunt, quod Entia negationis in universo nihil sint; privationis, rem connotent perfectione sua destitutam; Relationes vero ex varia rerum inter se comparatione effingantur. Atque inter has primas tenent eæ relationes, quæ vocabulis technicis exprimi solent, & secundæ notiones presse dicuntur, quas modo umbræ de gnomone in scioterico sparsæ, modo monetulis illis æreis institorum, quarum cum nullum sit pretium, aurei tamen nummi

* *Species tres.*

ad eas expenduntur, comparare solet B. Keckermannus, sedulus horum Entium coordinator, qui in Logicis suis institutionibus per tot hæc ipsa Entia dissecuit διχοτομίας, ut qui in charta eas, sed sine intestinis ac ornamentis, hoc est, sine commentariis depinxerit, imaginem se videre jurabit istius exercitus, quo Alexandro occursavit Darius Persarum Rex. Tanta illic horum Entium copia, ut vix plura Hellespontum cum Xerxe capita trajecisse credam, aut tot Ægyptum vexasse locustas, aut Mario consule profligatos Cimbros. Ita cuneus cuneum, phalanx phalangem, acies aciem premit, quarum omnium dux primipilus est Terminus. Diceret Socrates in pulverem ipsum secuisse. Ego laboriosum viri otium suspicio, non carpo.

* Sed quoniam non perinde multis notum est, quo genere prognatum sit Ens rationis, id jam Musis bene juvantibus exponere conabor. Non ego hujus Entis, licet spurii, natales ad Rheam, ad Venerem, ad Iovem, Martem, aut id simile genus minime castorum numinum referam, quia qui primi ejus parentes, nec ex annalium memoria, nec ex Patrum nostrorum traditione habetur. Quod cum expedire me non posse ingenue fatear, gentem, familiam, ordinemque indicabo. Multum enim interest utrum purpuratis regibus, an cucullatis sacerdotibus, an lucernariis Philosophis ortus sis. Natum est Ens rationis non unius sed varii ordinis parentibus, unde & istud varium ac multiplex. Alia Mathematicus, alia Grammaticus, alia Rhetor, alia Poëta, alia Logicus, alia aliarum artium sibi finxerunt professores, quos omnes philosophorum laxo nomine complector.

* *Quibus natum sit parentibus.*

ctor. Quid ni? ipſe Homerus in Margite terræ foſſorem ſapientem vocat, eodem opinor jure, quo Eumæum ſubulcum divinum (δῖον) appellat. Maximam tamen horum partem ſibi Logicus vendicat, qui non leve ad capeſſendas ſcientias præſidium fore putavit horum Entium formationem. Gloriatur apud Homerum Pallas ſe Mentem eſſe Antilochi filium: & hodie ad nobilitatem vel id inprimis intereſſe putant, qua familia, qua ſtirpe originem trahas. At hæc noſtra Entia eo hominum genere ſe nata gloriantur, quorum maxima eſt per univerſum terrarum orbem famæ celebritas.* Mathematicis, inquam, qui radio totum orbem gentibus deſcribunt, aut ſi quando terram faſtidiunt, inter aſtra ipſa & cœlos habitant, & ſtellarum numerum, magnitudinem, diſtantiam, tanquam pollice filove metiuntur. † Oratoribus quoque, quorum tanta ſubinde in dicendo vis eſt ac dexteritas, ut (ac ſi parum foret res laude dignas deprædicare) Buſiridem ipſum, Therſiten, Phalariden, injuſtitiam, quartanam febrim, aliaque malorum nomina laudare, ſi velint, poſſint. *a* Poëtis, quorum tanta ſubinde divinitas pectus occupabat, ut poëtæ cum eſſe incipiunt ac Deo agitante incaleſcere, homines eſſe deſinant. *b* Grammaticis, quos licet ingeniorum puerilium carnifices quidam per odium vocent, ego tamen omnibus ſapientiæ numeris perfectos eſſe arbitror. Quod ipſum ne ſine ratione à me dici putetis, rotunda & veterum fulta principiis argumentatione evincam. Qui bene cœpit, dimidium facti habet. Qui Grammaticam didicit, bene cœpit; Ergo dimidium facti habet.

* *Mathematicis.* † *Oratoribus.* a *Poëtis.* b *Grammaticis.*

habet. Progredior. Dimidium plus toto, Qui Grammaticam didicit dimidium facti habet. Ergo qui Grammaticam didicit plus habet toto. At totum quo contenditur à litterarum studiosis Sapientia est. En ergo Grammaticum sapientem. * Dixi, à Logicis quoque formari Entia rationis. Sed de his parce mihi loquendum video, ne immodicus proprii ordinis laudator habear. At qui hi? rationis sunt directores, veri & falsi judices, sine quorum arte capiuntur Theologi, errant Physici, palabundi incedunt Medici, cæcutiunt non raro Iure consulti, adeoque omnes disciplinæ ac artes velut Ariadneo filo destitutæ,

Errabunda legunt dubio vestigia gressu.

† Atque hos omnes Philosophos esse dixi, genus hominum ab eruditione, curis & acri cogitationum agitatione pene exangue,

E tenebris tantis tam claram attollere lucem
Qui primi potuere augentes commoda vitæ.

Licet eos dicacissimus Aristophanes solius Socratis odio hostiliter insectatus fuerit, & scelestissimus Lucianus auctione publica vilissimo subinde pretio tanquam sub hasta distraxerit. Certe Platonis magis hic standum elogio, qui beatas fore Respublicas ajebat, si aut imperarent Philosophi, aut Imperatores philosopharentur. τούτων πολέμων εὔχεται εἶναι.

[1] Verum cum apud Physicos variæ sint rerum productiones, aliæque per generationem, aliæ per accretionem, aliæ per alterationem gignantur, hoc Ens nullo horum modorum producitur. Non per generationem, quia substantia non est, non per accretionem, quia quantum non

* *Logicis.* † *Aliisque Philosophis.* [1] *Quis modus productionis.*

non est, non per alterationem, quia qualitas non est. nisi quintam ejus quis speciem comminiscatur. Localis adhæc mutationis expers est, licet ad * Angelorum & spirituum modum definitive sit in loco, hoc est, non coextendatur partibus cranii, aut cum in Aristotelis residet cerebro, in Platonis reperiri non possit, aut, ut planissime loquar, cum Platonis occupat sinciput, occiput destituat. Quare produci & fieri hæc Entia cum auditis, rursus ὁμωνύμως me loqui cogitate. Non ita ad horum formationem argilla aut luto Promethei opus, non Leucippi ebore, aut metallorum principiis, quia à mente sola, & in mente finguntur, eademque hic patris, matris, obstetricis officia sunt. nec tamen vel de mentis substantia sunt, vel prorsus ex nihilo fiunt, sed ex rerum attenta observatione in mente efflorescunt. Sic è cerebro suo Palladem olim genuit Iuppiter, licet hoc discrimine, quod hæc non nisi obstetricante securi Vulcania in lucem edi potuerit, illa vero Entia minus periculoso partu nec ruptis cerebri panniculis per solam vocem in apertum erumpant. Sed exemplis horum generationem illustriorem reddamus. Chimæra Ens rationis est, πρόσθε λέων, ὄπιθεν τε δράκων, μεσσόθι χίμαιρα. Libet interdum Græcos versus intertexere, ut hirundinum in morem bisulcam quoque mihi linguam esse sciatis. † At ubi quæso terrarum tale monstrum pascit alias monstrifera tellus? Nusquam. At quod nusquam est, vel ipso Augustino Theologo teste, non esse putandum est. Fingit tamen hoc Ens ratio, ac si esset, & ex simplicibus, quæ natura committere exhorruit,

* *Quomodo in loco sint, definitive scil.* † *Quomodo Entia negationis formentur.*

ruit, audacula unum facit. * Tenebras quæ mens concipiat? cum omnis cognitio intellectualis à sensu originem ducat, hæ vero in sensum non incurrant, ne quidem aquilæ, aut Epidaurii serpentis, nisi forte eas in Luna sedens Menippus oculis assequatur, quoties terræ umbram illa excipit, aut animæ, quæ in specu Platonico rerum umbras pro rebus admirantur. Mens tamen nostra ut eas concipiat, nescio quam illis formam spissam, caliginosam & nigricantem inducit, ut sub hac saltem imagine apprehendat, quas sub propria concipi impossibile erat. Iam vero Genus & Species quid sunt? Non sunt. † Vult tamen ea esse mens, & dum in animalis natura meditabunda hæret, eam leoni, equo, pisci communem esse observat, imo ut communis sit ipsa facit. At neque ex hoc altero mentis conceptu quicquam rebus solidi aut perfectionis accedit. Nec enim rectius valet animal si genus esse fingas, nec pejus, si non fingas. Profecto lamiarum artes exerceri putes, & magicos vultus pro veris reponi. Vti enim illæ spectris solummodo & præstigiis nos ludunt, quoties Æneam, Hectorem, Andromacham oculis spectatorum sistunt, ita & mens nostra vere præstigiatrix est, & dum circa horum Entium non entium productionem ingeniose somniat, Morphei domum adornat, & novam rerum cudit Metamorphosin. Scilicet post creatum à Deo hoc universum illa quoque potentiam suam explicare voluit, & creatoris sui æmula novum quasi orbem meditari, in quo aliud creaturarum genus non invidendam prioribus essentiam, hoc est, fictam & exanguem, prorsus sortiretur.

1 Quan-

* *Quomodo Privationis.* † *Quomodo secundæ notiones pressè sic dictæ.*

[1] Quanquam autem aut nulla, aut ficta solum huic Enti sit essentia, tanta tamen hoc ipsum fœcunditate nascitur, ut cum aliis omnibus rebus definitus sit in natura quoad speciem numerus, huic sine fine ac modo nasci datum sit. [2] Causam hanc esse autumo, quod ea omnia, quæ in natura generantur, à primæva creatione legem hanc acceperint non multiplicandi ultra species, quæ vero rationis sunt Entia, in infinitum augeri & multiplicari possint, utpote nullis Creatoris sui legibus adstricta, uti numero semper unitatem addi posse tradidit Aristoteles, & lineam in infinitas partes resolvi. Ea enim vis soli inter omnes creaturas menti concessa est, ut supra se ipsam reflectatur, & de cogitatione cogitationem formet, plane uti à Sole parelius, ab hoc ipso alius refulget parelius, ab iride iris, ab hac tertia iris; aut uti projecto in aquam lapillo circulos posteriores ex prioribus nasci videmus. Nomen cum finxit mens, subjectum esse concipit, subjectum speciem esse dicit, hanc terminum facit, terminum extremum vocat, hoc majus vel minus extremum, hoc causam cognoscendi. Enunciationem ubi fecit ratio, finitam esse concipit, finitam categoricam judicat, supra hanc universalitatis conceptu reflectitur, ex hoc puram Enunciationem elicit, hæc porro meditanti propositio fit, hæc definitio, hæc ipsa principium vel conclusio demonstrationis; atque ita meditando finem suæ meditationis non habet; sed uti araneæ ex tenui ac gracili corpusculo telas indefinenter trahunt, ita dædala architectrix ratio ex semetipsa imagines alias supra alias format fingitque.

Sed

[1] *Quanta horum Entium sit fœcunditas,* [2] *& quæ ejus causa.*

Sed tempus est, ut de horum Entium dignitate, antiquitate & commodis nonnihil dicam. Sed confuse hæc omnia, ne aciem instruere videar, aut ulmos in quincuncem digerere. Profecto dignum & excellens aliquid sit oportet, in quo occupari superis, inferis, cœlestibus, terrestribus, & inter hos sapientissimis, doctissimis, sanctissimis non indigna res visa fuit. Ab ipso Iove, quia auspicatum hoc, ordiar. Etenim ii, qui de rebus divinis disputant, & Deum, quem universitas non capit, tribus solent explicare chartis, quoties objecta scientiæ divinæ definiunt, inter alia Entia scitu possibilia, quæque unico intuitu novit Deus, etiam hæc ipsa entia rationis locant. * Tota Angelorum cohors, quoties peccatorum nostrorum recordatione afficitur, toties Entia privationis meditatur. Ipsi Dæmones quot peccandi formas, quot nocendi artes instillant, tot ἀνομίας fabricant. Verum (ut ad Homeri exemplar relictis superis ac inferis in terras demigrem) quotusquisque mortalium est, qui non in his entibus versari amat, sive dormiens aureos montes somniat, sive vigil optat nec invenit. qualis fuit Micyllus ille Lucianicus, cui nisi galli cantus dives illud & aureum somnium abrupisset, non erat cur aliam optaret felicitatem. Plaustra mendaciorum quoties congeri auditis, toties plaustra horum entium vectari credite, quorum agaso est fama. Qui stupendis ac prodigiosis gaudent eventibus vel audiendis vel narrandis, cui quæso arti, quam huic nostræ operam locant, cujus tanta est suavitas, ut quo à vero absunt longius, eo & credantur lubentius & jucundiore pruritu titillent aures. Pontificii quam suavites

* *Quæ Entium rationis sit dignitas.*

ſuaviter ſibi blandiuntur, dum pœnarum in purgatorio tempora velut clepſydra metiuntur. Alcumiſtæ, qui novis & arcanis artibus rerum ſpecies vertere moliuntur, Ens illud rationis ſibi fingunt, cujus rem invenire etiamnum deſiderant. Adde his quadraturæ circuli inveſtigatores anxios, eoſque omnes, qui eſurire malunt, quam non fingendis Entibus operam dare. Plato quam altum ſibi ſapere videtur, dum Ideas cogitat, & equinitates, bovinitates, & aſineitates ſuas contemplatur. Et Ariſtoteles dum motores orbium facit intelligentias. Poëtæ ſi in hac arena ſe non exerceant, minus poëtæ, hoc eſt, nimis ſerii videbuntur. Tota Ilias & Odyſſea quid habent, quam eruditam horum entium farraginem, à quibus tamen ita inclaruit iſte nugarum pater, ut de patria ejus contenderint

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Ios, Argos, Athenæ.

Virgilius, qui Æneidem ſuam filis Homericis texuit, quam feliciter ſæpe mentitur, quum Æneam per Elyſium nemus ad ſuperos reducit, ſed ea porta,

Qua falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.

Tranſmutationes ſcripſit ingenioſiſſimus Naſo. Sed hæ fere omnes entia negationis ſunt. dico fere, nam cum cæcitatem Tireſiæ, & detractam Marſyæ cutem, & ſine veſte Dianam canit, Entia privationis facit. Sine his quoque Entibus vix quicquam jucundi ac faceti habent Vatum monumenta. Quis ille γελωτοποιὸς Vulcanus, qui ſola recti inceſſus privatione querulæ Junoni riſum movit? quis Silenus, Pan, Priapus, Satyri, Najades & Hamadryades, tantum ad jocos & facetias comparata nomina? Hujus certe

ordinis

ordinis sunt & ociosæ mentis erudita figmenta. quæ quantum æstimaverint prisci, vel ex hoc uno patet, quod vastam cœli machinam, cujus periculosissimus foret lapsus, ficto Atlante, hoc est, Rationis ente, libraverint. Quod si ea intueri libeat Entia, quæ vocabulis technicis exprimi solent, jam Palæmonem, Didymum, Donatum, ac vetustissimos sapientiæ magistros, Socratem, Platonem, Aristotelem, Themistium, Theophrastum, totamque Philosophorum turbam in medium producam, qui ex his Entibus æternam nominis memoriam consecuti sunt. Et si sacri magis placent, Augustinus, Damascenus, Hieronymus, & Chrysostomus de his ipsis præcepta dedere. * Ex quibus de horum Entium antiquitate judicium, quoque ferre licet. neque enim χθὲς καὶ πρώην nata sunt, sed cum antiquissimis Philosophis nativitatis suæ supputant primordia. Promethei sæculum nostis. At huic Plato in Philebo laudem tribuit inventorum præceptorum Logicorum. Et verisimile omnino est horum Entium ope disputasse acutissimum Salomonem. † Quanquam vero Pythagoræi, teste Aristotele, nulla vi Dialectica instructi philosopharentur, tamen ex horum secta fuit Empedocles, qui Rhetorum artem his notionibus instruxisse perhibetur. ut nihil jam de Chrysippo dicam, qui plures de rebus Logicis conscripsit libros, quam Sol anni spacio conficit parallelos.

* Cum autem Deus, Natura, Ratio, nihil frustra faciant, sed suos singulæ sibi proponant fines, etiam operæ pretium erit videre, quid ad hæc rerum imitamina Rationem impulerit. Ac primo

* *Antiquitas.* † *lib.* 13 *Metaph. cap.* 4. * *Necessitas & utilitas.*

primo quidem innatæ nobis cupiditati, qua in cujuslibet scibilis scientiam fertur intellectus, satisfactum oportuit. Parum enim menti visum fuit, si rerum solum cognitionem adipisceretur; in ipsas quoque negationes ac privationes aciem curiosa intendit, quas cum per se nosse non posset, rebus ipsis assimilavit. Deinde cum res in natura omnes pro innata sibi virtute suos edant effectus, Intellectus quoque noster, ne degener habeatur mundi accola, suæ quoque potentiæ documenta dare voluit. Accedit, quod subinde ea fingere necesse habeat mens, ut res minime distinctas distincte concipiat, cum aliter earum sibi parare notitiam ne possit quidem. * Quid? quod per omnes scientias ac artes sese diffundat horum Entium utilitas usque adeo, ut sine his tenebræ illæ sint, ingeniorum tortura, atque inordinata rerum congeries. His sermo noster à barbarie & vocum stribligine tanquam à ferrugine ferrum vindicatur. Iamque dudum misere occidisset Priscianus, nisi irruentes in ipsum barbarorum insultus sustinuisset Grammatica. Ab his eam capit vim Rhetorum dictio, ut vel cœlo possint deducere Lunam, & regum flectere supercilia. Hujus ordinis sunt Exordium, Propositio, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio, quæ amplissimum dicendorum exercitum disponunt. Duces Alexandri Magni mihi enumerare videor, aut eos, qui Agamemnoniam classem διακόσμεον ἔνϑα, & ἔνϑα. Rursus Græcisare incipio, quia de Græcis forte loquebar. Quid toties Romanorum rostra detinuit, flexit, terruit? hyperbole fuit, exclamatio fuit, συμπλοκὴ fuit,

* tum respectu scientiarum in genere, tum in specie respectu dictionis congrua & ornata.

fuit, apostrophe fuit. At hæc Rhetoricorum pulpam sapiunt. [1] Ii qui cœlum, quam terram intueri malunt Astronomi, ut vere ἄνθρωποι sint, hoc est ἄνω ἔχοντες τὴν ὦπα, sæpe in quibus cœli regionibus versentur ignorabunt, nisi prius ejus spatia per imaginarios circulos distinxerint. Hi ipsi, ne forte præscriptos sibi limites excedat Sol, fascia, quam Zodiacum vocant, qua eundum illi sit, designant, & ne quatuor anni tempora præpostere currendo confundat, quo ordine currendum illi sit, monstrant, primo per Arietem, mox per Taurum, inde per Geminos, & ita deinceps. quæ tamen omnia ipse, de quo modo dicebam in Luna sedens Menippus, tantoque primo mobili vicinior, nunquam sibi visa esse constanter affirmabit, vel per ipsum Δία. [2] Geometræ ἐπιχθόνιοι verius quam ἄνθρωποι, suam materiæ quantitatem sola ratione suffurantur, quam cum materia auferre malunt fures nostri, vixque ullam demonstrationem expedire audent nisi alphabeto angulos omnes, aut circulorum diametros, ac linearum terminos tanquam præsidiariis militibus munierint. Nec tamen hæc commenta quisquam in fundis agrorumque dimensionibus unquam reperit, sive longitudinem, sive latitudinem, sive profunditatem eorum spectes. His nostris Entibus instructus circulos suos in arena conscripsit Archimedes, & Geometriæ elementa expedivit Euclides, apud quem hypothesis, apodixis, figura, συμπέρασμα, definitio, artis instrumenta sunt, quæ in Logicam suam transtulit φιλογεωμέτρης Aristoteles [3] Arithmetici his destituti stipem petant oportet.

[1] *Nec non Astrologorum.* [2] *Geometrarum.* [3] *Arithmeticorum.*

oportet, apud quos numerorum diſtinctio, variæque horum affectiones utramque paginam faciunt. Etenim quæ extra mentem ſunt, multa ſunt, & dum multa ſunt, nec binario magis quam ternario, aut quaternario definiuntur. Quæ itaque hic paris, imparis, diviſoris & diviſi numeri ſunt notiones, à mente ſolum dependent. [1] Metaphyſica utcunque aliarum ſcientiarum ſit princeps, tamen ſecundarum quoque notionum adminicula non averſatur, præcipue cum de rerum unitate diſtinctionibuſque philoſophatur. [2] Theologi vero, cum quibus aliqua mihi intercedit cognatio, quam ſine horum Entium cognitione talpæ ſunt, quam in Scholaſticarum diſputationum lectione hoſpites. Quoties his ducibus deſtituti in principia impingunt, quoties ſub veritatis ſupparo falſum ſibi obtrudi ſinunt, quoties perperam definiunt, dividunt, diſcurrunt, reſolvunt, ordinant, ab horum ſcientia imparati. [3] Idem de Iureconſultis, Medicis, totoque Philoſophorum ordine dictum putate. Nunquam Plato hominem implume animal ac bipes definiviſſet, aut animam numerum dixiſſet, ſi definitionis modum probe noviſſet. Nec Iureconſulti (quod ipſorum pace dictum volo) Iuris præcepta partiti fuiſſent in tria hæc: Honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, ſi ad legitimæ diviſionis, quæ membra coincidere non patitur, leges attendiſſent. Et cur ſe ridiculum præbuit ſuis argumentationibus Chryſippus, cur veteres Phyſicos toties incuſat Ariſtoteles, niſi quia δι' ἀπαιδευσίαν hallucinati ſunt? [4] Quare unum

[1] *Metaphyſicorum.* [2] *Theologorum.* [3] *Iureconſultorum, Medicorum, &c.* [4] *Quanta denique horum Entium ſit felicitas.*

re unum hoc ad horum Entium commendationem & laudem addam, quod meo judicio felicissima sint omnium, quas Sol adspectat creaturarum. Nam cum aliis rebus sua sit miseria, suus labor & calamitas, hæc nec agunt quicquam nec patiuntur. Cœlum utcunque corruptionis expers sit, tamen perpetuo motu moveri necesse habet. Elementa mutuis pugnis occidunt. Mixtorum alia putrescunt, alia uti metalla igni & flammis torrentur, alia senio confecta tabescunt, uti plantæ, alia mactantur, jugulantur, secantur, aut ad stivam ac rhedam ablegantur. Hominum vero alii corporis morbis languent, alii ira, invidia, metu, spe, desiderio lancinantur, aut fament aut sitiunt. At nostra hæc Entia ætatem agunt lætissimam & ab omnibus malis immune domicilium inhabitant. Etenim cum in mente sola, cui in natura contrarium hostem non dedit Deus, velut umbræ volitent, nec extra eam reperiantur, nullis contrariis qualitatibus infestari queunt, & cum corpora non sint, οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσι αἴθοπα οἶνον. Quod si tamen sub imagine Martis belligerari, Invidiæ dolere, Fortunæ mutari, & claudicantis Vulcani misera quædam videantur, omne hoc rationis quoque esse credite & imaginarium prorsus. Et licet pereundum aliquando ipsis sit, nulli tamen hosti succumbunt, sed menti, cui essentiæ suæ principium ac originem, eidem quoque mortis ac interitus sui caussam debent, denuo ubi illa volet vel in instanti ac nullo negocio renascitura.

Atque hæc quidem de Ente rationis dicenda habui, quod essentiam non nisi precario habet, & in toto hoc Universo nusquam apparet. Dixi, fateor, non eo sermonis ornatu, quo de rebus

splen-

splendidis ac præclaris dicere solent oratores: neque enim hoc argumenti patiebatur morositas: aut ea gravitate, qua de regni rebus oratum veniunt Principum legati: sed adhibito aliquo voluptatis & festivæ dictionis auctoramento. Vt enim nihil nugacius, quam res serias nugatorie tractare, ita nihil festivius quam ita tractare res humiles, imo pene nugas, ut nihil minus, quam nugatus fuisse videare. Si tamen ea quæ dixi displicent, uti catapotia nauseantes solent pueri, expuite.

DIXI.

Habita Leidæ in Auditorio Theologico, cum Logicam auspicaretur, IV. Non. Febr. Anni 1618.

ORATIO
festiva
DE RE sive ENTE REALI.



Memini me A. O. aliquando de Ente Rationis in Illustri Batavorum Academia disseruisse, sed oratione istiusmodi, quæ severam sapientiam comitate, & Peripateticum sermonem Lucianico miscuit. Subibant tum temporis animum meum clarissimorum virorum exempla, qui in gracili ac exangui argumento ingeniosæ commentationis laudem quæsiverunt. quos dum imitari studeo, & mecum contendo, accidit mihi, quod Ascanio, Æneæ filio, qui profugum Troja patrem sequebatur, non passibus æquis. Quam jam vellem magis seria apud vos loqui, aut grandia verba fari; qualia de Sabinarum raptu, Oedipodarum odiis, Polyxenæ tumulo, aut

jamjam morituro Catone declamare solent tragici oratores. Quam cuperem de rebus loqui Reipublicæ huic salutaribus, pacis bellique momentis; qualem sermonem nuper exorsi sunt Brabanti, aliis pro pace induciisve placide, aliis pro bello turbulenta oratione decertantibus. Quam optarem muneris mei esse aut opis, expendere hac tempestate, vicinorum Principum molimina, machinationes, occulta apertaque bella: quorum studiis erigi, quorum affligi possint res nostræ: qui arma suadeant, ne armis petantur ipsi; qui dissuadeant, ut de ociosis ac segnibus aliquando triumphent. Verum cum nefas sit, sutorem de aliis rebus verba facere, præterquam de crepida, & periculosum sit, uti de Diis, etiam de Principibus vera dicere; stabo intra Philosophiæ cancellos, & quia superiore anno, cum adversus Florentinum scriptorem dissererem, præter meum morem, fui gravis, libet jam ineptire, & nugari & jocari, adeoque dum Bacchanalia Sapientiam omnem exesse jubent, lepide & festive philosophari. Homericus Iupiter, pater ille hominum ac Deorum, non semper de bellis Trojanorum ac Græcorum deliberat. interdum cum Iunone ludit, aut ad Æthiopas commessatum abit, interdum cum loripedem suum adspectat, ridet effusissime. Terribilis ille terrarum quassator Neptunus, modo urbes agrosque fluctibus territat, modo placidum sternit mare & obsitam spuma algaque barbam pectit. Magnæ Themidis sacerdotes, qui hominum fortunas ac fata Digestis suis circumferunt, non semper cruces, laqueos, crurifragia decernunt, verum non inutiles subinde casus egregia facilitate amicis indulgent. Medicorum filii inter ægrorum querelas,

relas,

relas, olidas crises, & melancholicorum somnia risus materiam inveniunt, & hilaritatem imperant, quibus labor est respirare. Miles detestata matribus bella, cantu, alea, Thaide solatur. Navita, postquam quassam procellis navem mari subduxit, cantat Auriacum Germani sanguinis Principem, aut nostratis Velsii audax facinus, aut puellæ propter rivum sedentis inconcinnos amores. Quare alienum minime fuerit, philosophum, qui inter tristes Categoriarum vultus, inter Prædicabilium macilentam quincuncem, & Syllogismorum formidabiles ordines ætatem degit, amœniora loqui, &, mutato nonnihil philosophandi genere, spacium exposcere dilutiori sapientiæ. Dicam de argumento, quale nunquam ausus fuit tractare Demosthenes, nunquam Cicero. cujus formulam nec Theo, nec Aphtonius Sophistæ tradidere. Altum de eo silentium in Senecæ Suasoriis & Controversiis, altum in Fabii declamationibus. Et tamen illud, de quo dicam, oculis omnes usurpatis, omnes manibus tangitis, omnes pedibus calcatis, imo vos estis ipsi. nullum aliud natura parit, nullum aliud ars format. volat in aëre, in aquis natat, in terris repit, in aulis superbit, in castris militat, in Scholis disputat. grave est, leve est, neutrum est. imperat, paret; ociatur, laborat; vendit, emit; fallit, mentitur; equitat, navigat; sedet, stat; jacet, currit. mas est, femina est, virgo est. Breviter, ejus compendio cœlum terra; supera infera, totumque hoc Vniversum absolvitur. Eo sublato, periit Senator & civis; orator & auditor, mercator & institor, Curia & Schola, aula & princeps, cum rege grex, & cum utroque lex. Nondum scitis, opinor, de

qua Re dicturus ſim. At jam dixi. quique alias Ens rationis in ſcenam produxi, habitu ridiculo, jam Rem ſive Ens reale vobis dabo eodem amictu. Quod dum facio & per Metaphyſicorum ſpineta molliori pede incedo, cupio abeſſe Scotiſtas, Occaniſtas, Albertiſtas, Thomiſtas, & quotquot barbara ſubtilitate Theologiæ pariter & Philoſophiæ majeſtatem conſpurcarunt. Solent ſapientes à definitione auſpicari. Factitatum hoc à Platone, Ariſtotele, Euclide. at Res tantæ eſt dignitatis tamque immenſæ amplitudinis, ut definitionis terminis coërceri nequeat. Ineffabile eſt Iudæorum τετραγράμματον, quia quatuor illæ literæ, quibus ſignatur, Iod, He, Vau, He, conjunctæ nihil ſonant. Res ineffabilis quoque eſt, non ſi vocem ſpectes, ſed rem, quia nec genus ſupra ſe habet; cum ipſa ſit ſummum; nec differentiam, cum hæc ipſa ſit res. Tametſi qui in ejus deſcriptione deſudant, Rem dicant eſſe, quod realem habet eſſentiam; manifeſta nugatione. quaſi apoplexiam dicas eſſe, qua laborat apoplecticus, Abbatiam cui præeſt Abbas, Flandriam, quam inhabitat Flander. Martem à Neptuno dignoſcas gladio & fuſcina; Dianam ab Actæone cornibus: Caſtorem & ſtudioſos hujus ævi agnoſcas calcaribus; Pollucem & noſtrates aulicos unguento. At rem non cognoſcas, niſi per rem, hoc eſt per ſeipſam. Illud quantivis eſt pretii, Rem pluribus titulis nominibuſque ſuperbire, veterum Romanorum exemplo. Sunt enim Synonymæ hæ appellationes, Res, Ens, Aliquid. quæ non magis diſſident, quam lena, meretrix, lupa. Habet ergo nomen, cognomen & agnomen. planè ac ſi Marcum, Tullium, Ciceronem nomines, aut Titum, Pomponium,

Atticum.

Atticum. Sed illud mirandum magis,cum omnia alia in aliquo conveniant, aliquo differant, ſola res in nullo convenit, à nulla re differt; cum ſtatim eſſe deſinat, quicquid res non eſt, & ſine re nihil ſit, quicquid per rem fuit aliquid. Duo tamen ſunt, ſi modo ſunt, à quibus res immane diſtat: Nihil, ſive non res, & ea omnia, quæ à mente ficta rationis Entia barbare vocantur. Inter hæc media incedit Res, uti inter Athenienſes, non homines, & umbram ſuam medius ambulavit Diogenes. Si ad Nihilum accedat, periit: ſi ad rationis Entia confugiat, actum eſt de ejus ſalute; Hannibalis fato, cui exuli nec apud Romanos hoſtes, nec apud Bithyniæ regem tuto eſſe licuit. Et quamquam ſpuria hæc rei proles veras res imitetur, naturæ tamen præſtantia, operum magnitudine & natalium ſplendore diſcrepant. Rerum ſiquidem aliæ æternæ ſunt, aliæ plus minus durabiles. At entia rationis quotquot ſunt, vix nata pereunt. nec tam facile eſt igni naphtam, Soli ſpiritum Alchymiſticum abſumere, quam menti illa ipſa. Rerum plurimæ honore, plures laude dignæ ſunt. At entia rationis aut prorſus inutilia ſunt & deſpectiſſima, qualia ſunt Hæcceitates, perſonalitates, ubicationes, formalitates, ſuppoſitalitates, quibus deſtitutæ ſcholæ nihilo fuerint inſipientiores: aut ſi utilitate aliqua proſunt, Ariſtoteli nec τίμια ſunt; nec ἐπαινετά. Præterquam quod omnis agendi vis à rebus ſit, entia vero rationis non magis agant, quam Lemures territant, aut pugnant umbræ. Laudatur in unoquoque genere illud, quod ſimpliciſſimum eſt. quamobrem præſtant cœleſtia ſublunaribus, ſpiritus corpori, circulus quadrato, Monarchia Ariſtocratiæ. Et in vocibus eæ,quæ

nulli originem debent, præſtant aliunde natis. Ex quibus apparet, Rem vocis quoq; ſimplicitate & brevitate commendari. Nec enim qui vocum etymologias expedivere, Iſidorus, Nonius, Feſtus aliiq; hujus originem dederint. Scholaſtici Theologi quantis polyſyllabis ſuperbiunt, beatitudinum, reverentiarum, ſanctitatum, benedictionum, maledictionum, anathematizationum, excommunicationum. quam operoſis vocibus loquitur Aſtræa, quoties emphyteuſes, uſucapiones, conteſtationes, litis ſuſpenſiones, excuſſiones, portiones Trebellianicas, Senatusconſulta Vellejana ingeminat. Poëtæ quam cothurnati ſibi videntur, cum ambubeias crepant, pharmacopolas, balatrones, ciniflones, ſeſquipedalia verba. Turget Hippocrates, cum apoplexias, epilepſias, raucedines, impetigines, cardialgias per Aphoriſmos ſuos rotat. Quarum vocum aliæ Græciæ, aliæ Latio, originem debent. At omnibus hiſce ſimplicior eſt Res, quæ ternario literarum, qui inter numeros ſacer eſt, definita, ſine origine, ſine natalibus eſt, ut merito inter Aborigines, & αὐτοχθονεῖς cenſeri mereatur. Nec minus tamen terribilis eſt, cum fronte eam literam obtendat, qua iras colligit Cerberus, cauda vero eam, quæ anguem aut Libycum ſerpentem refert. Græci modo τὸ ὂν vocant, modo πρᾶγμα, à πράττειν, quod eſt agere, quia cum mortua nulla agendi facultate polleant, ſola res iis viribus eſt prædita, ut gladium nacta urbes evertat ac regna; flammam, obvia quæq; devoret; aquam, perruptis cataractis aggeribuſq; agros inundet: ventos, turribus montibuſque infeſta ſit; claſſes, Indiam utramque Hiſpano extortum eat. Proverbiis locum fecere Apollines, Mercurii, Corœbi, Tireſiæ,

Glauci,

Glauci, Therſitæ, Codri, Sardanapali. quanta nomina. At in hoc Deorum, regum principumque ordine ſuas quoque ſtationes tuetur Res. ſive rem libeat acu tangere, ſive res in cuſpide ferri ſita ſit, aut in cardine verſetur, ſive omnis res duas anſas habeat, teſte Epicteto, ſive rebus turbatis, peſſimus ſit in honore: ſive res in noſtro foro vertitur: ſive res ſit palæſtræ & olei: ſive alia res ſit ſceptrum, alia plectrum. Nec illud infitias ibitis, eximium ſemper & excellens habitum, à poëtis laudari. quo nomine Achillem felicem prædicabat Alexander, quod Homerum nactus fuiſſet præconem. Et Scipio Africanus Ennium belli ſocium eſſe voluit & tumuli, non ob hoc ſolum, quod victum Hannibalem cecinit, ſed ob hunc opinor verſiculum: *Vnus homo nobis cunctando reſtituit Rem.* Virgilius vatum princeps, cum Priami faſtum, opes, regna collapſa innuere vult, ſatis habet dixiſſe: *Poſtquam res Aſiæ*, &c. & ubi Marcello adulatur: *Hic rem Romanam*, &c. Horatius civilis prudentiæ optimus magiſter adeo hujus vocis amore captus fuit, ut eodem ſpiritu ter eam repetat:

Iſne tibi melius ſuadet, qui ut rem facias, rem
Si poſſis recte: ſi non, quocunque modo rem.

Nuſquam Lydiæ ſuæ, nuſquam Chloes, nuſquam Pirrhæ toties vacavit illi meminiſſe, quoties rei. Et jam ante me obſervatum ab homine non ocioſo, vocem Rei centies ſexagies in Horatio reperiri. Livius grande illud opus exorſurus, *Operæ pretium ſe facturum*, ait, ſi de rebus P.R. dicat. Et Trogi abbreviator à *Principio rerum* arceſſit hiſtoriam. Ariſtophanes Græcæ Comœdiæ facile princeps, Plutum ſuum auſpicaturus, ad Iovem & Deos omnes exclamat,

ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστιν ὦ Ζεῦ καὶ θεοί. Quam difficilis eſt res. Latini non ſolum imperia ac regna, ſed & opes, quas tantopere ſectamur & amamus, Rem vocant. Hinc illa paſſim reperire eſt, rem facere, quadruplare rem, in re lauta eſſe, rem frangere, virtutem & genus ſine re viliorem eſſe alga: tecum mihi res eſt, Roſci: frater ejus ad rem eſt avidior. Et quoties ſuaviſſimam viri feminæque *συνουσίαν* exprimere volunt, ajunt, Martem rem habuiſſe cum Rhea. quam ob cauſam doctiſſimus Auſonius, cum magna induſtria monoſyllaba colligit, Rem addit, cum hac quæſtione:

Imperium, litem, Venerem cur una notat Res?

Sed omiſſa voce, Rem ipſam aggrediamur. Sine re, omnes artes, ſcientiæ, diſciplinæ languent ac frigent. Tolle æs ac lignum, nec Phidias erit, nec Polycletus. tolle tabulam, tollis Apellem. Nec aliter ſublata Re tollis Philoſophum. Equidem toti Philoſophiæ ſubſternitur res, & ab artibus organicis Grammatica, Rhetorica, Logica hac nota diſtinguitur, quod illæ circa voces & notiones ſecundas conſeneſcant, hæc circa res verſetur. Romanorum Ducum alius à victa Africa Africanus, Dacia Dacicus, Aſia Aſiaticus, Numantia Numanticus dictus fuit. Philoſophi à re Reales dici voluere, & per rem à Nominalibus diſtingui, uti Græcos à Romanis pallio & toga diſtinguimus. Et quis quæſo colores in Apparentes dividit & Reales? Phyſicus. Quis omne Ens in reale & rationis? Metaphyſicus. Quis primæ Philoſophiæ ſolam Rem ſubſternit? Metaphyſicus. Quis cum omnia diſtinxit, ipſam diſtinctionem diſtinguit in realem ac rationis? idem. Quis rerum alias dicit eſſe univerſales, alias ſingulares? Logicus.

Quis

Quis res ubique asseverat esse easdem: divisionem aliam esse nominis, aliam rei: scientiam non nisi rerum esse? Logicus. Ab Optico audias, res sæpenumero aliter apparere, quam sunt: ab Astrologo res alias prædici posse, alias non. Totum insuper Ius annon in personas, actiones & res dispescitur? Quin imo nisi rem ponas, tollitur actio in rem, quam utiliorem arbitramur ea, quæ in personam est. Et licet vocem rei in angustias cogant Iurisperiti, tamen ea ubique non uti amant; cum rem Comperendinatam & Iudicatam vocant, cum rem creditam dicunt, cum res mobiles & immobiles distinguunt, cum teste Cicerone pro Murena, dubitant, utrum litem, an rem dicere debeant. Medicina vero quid aliud est, quam rerum naturalium, non naturalium & contra naturam scientia? Orator cum in genere demonstrativo occupatur, non personas solum sed & res laudat. Ethicus sine re nec virtutis mediocritatem, nec Iustitiæ distributivæ & commutativæ discrimen expediat, quarum illa medium personæ, hæc rei servat. Et quæ Vegetii foret laus, nisi de re militari scripsisset? quæ Modesti, nisi de vocabulis rei militaris disseruisset? quæ Varronis, nisi rem rusticam posteris dedisset? Theologis si rem eripias, quomodo vel personarum inter se, vel ab essentia distinctionem expedient? Comœdiæ ac poëmatis nullum est momentum, nisi spiritus acer ac vis rebus simul insit ac verbis. Vt si omnium ore laudari, celebrari, ab omnibus coli non infima laus est, res omne punctum ferat.

Quod si, qui late imperant Principes, augustiores habentur, inter Augustissimos Res erit, quæ ne illis quidem, quibus Solis cursus, ter-

minis terminatur. Romanorum imperium Danubio & Euphrate claudebatur. Alexander ultra Indum ivit, ulterius Liber. Nos Batavi longius in ipsos Auroræ thalamos penetravimus, & occiduo ſtridentem gurgite ſolem ſecuti, cum ipſo occaſu orimur. At res terras omnes, maria omnia complectitur, Antœcos, Periœcos, Antipodas, Heteroſcios, Periſcios, Amphiſcios. Nihil tam vile & exile adſpicit Sol, quod res non ſit, nihil tam grande & præcellens, cui pudor ſit rebus accenſeri. Iovis filium cum ſe appellari voluit Macedo, intra res ſtetit. Qui ſe Aſiæ Africæque dominatorem jactitat, non niſi rebus imperat. Cum Dictaturam, Conſulatum, Præturam ambit Romanus, ſolius rei cauſa tribus ambit. Qui à nullo ſe in ordinem redigi patiuntur Imperatores, intra rerum ordinem ſe cogi non inviti ferunt. Sub re ſceptra æquantur ligonibus, conſul civi, miles Duci, Davus hero. Nec enim qua res ſunt, alterum alteri poſtponas, aut præferas. Angelos tanta locorum intercapedine ſejunctos ſociat nobiſcum communis Res. Immenſam ſubſtantiarum & accidentium congeriem ſub ſua ſigna vocat. à quibus ſi receſſerint vel latum unguem, corruptioni proxima fuerint, & ἐν πύλαις ἅδου. Miramur Principum genealogias, & longa ſerie deſcendentes nepotum ordines. Eſt qui ab Ænea, eſt qui ab Antenore arceſſit gentis ſuæ primordia. Verum hi ipſi populorum autores à re fluunt. Hinc Æacidæ, Atridæ, Heraclidæ, Pelopidæ, Aſſaraci, Cecropes, Promethei, Iapeti, mortalium antiquiſſimi, inde fluxere. Ipſe Iupiter, quanquam res hominum ac Deorum temperet, ſupra ſe rem agnoſcit, quia nobiſcum res eſt. Vt ſtupeam audaciam Venu-

ſini

fini vatis, qui spreta hac imperatrice, ausus fuit canere, *Et mihi res, non me rebus, submittere conor.* Nec illud leve, rem, quam in Scholis Ens vocant, longissime à sensibus & singularium intuitu abesse. Cum non nisi solo intellectu percipi possit, ut quemadmodum hujus operatio divinior est & defecatior ea, quæ sensuum est, dignior quoque sit Rei abstracta contemplatio, eorum omnium quæ terrenis crassisque corporum organis percipiuntur. Et sicuti vulgo bellaria ab Afris aut Indis petita æstimamus, & quæ longius dissita sunt, suspicimus aut veneramur; ita nescio qua religione, in Rei admirationem rapior, quæ tanto intervallo à Petro ac Paulo distat, ut non nisi scala prædicamentali, qua per hominem, animal, vivens, corpus, substantiam itur, ad edita Divæ rei templa conscendere detur. Nec est quod quis objiciat, Rem ob hoc miserrimam esse, quod omni forma denudata à naturæ speciebus longissime absit, quasi in Pathmon relegata aut ultimam Thulen. Equidem hoc ipso felicior est res, quod ad spiritualem & simplicem intelligentiarum naturam accedat, nec iis egeat, quibus fullo aut vespillo dapibus. Etenim Res à formis specierum per intellectum vindicata, nec cæditur, ut lapis, nec tunditur ut ferrum, nec uritur ut lignum, nec coquitur, ut cyprinus, nec sordet in volutabro, ut sus, nec ingemit aratro, ut bos. Res, universim si spectes, nec pudescit, quia virgo non est; non vexatur ambitu, quia nulla re, præterquam seipsa, eget; non invidet, quia figulus non est; non dolet, quia sine sensu est; non plorat, quia Niobe non est. Denique cum legem nesciat, non peccat. Hinc jam expendite, quot malis, quot sollicitudinibus obnoxia,

ſit hæc vita, quantis periculis degatur hoc quicquid eſt ævi, & cognoſcetis, quot quantiſque malis ſubducta ſit ſuprema & univerſaliſſima Res, οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἀπτομένη, *Nec cælum nec terram tangens.*

Et quanquam remotiſſima ſit à ſenſibus, nihil tamen Re notius, nihil evidentius, nihil quod prius ſe hominum animis cognoſcendum ingerat. Da infantem bimulum & vix ære lavatum. neſciet, quid ſit homo, pomum, ceraſum. at entis & non entis, rei & non rei diſcrimen obſervabit ocyus. Eminus ſpecta, & oculorum aciem in diſtantia differ, citius hominem eſſe cognoſces, quam Socratem; citius animal, quam hominem, citius vivens & corpus & ſubſtantiam, quam animal, citius vero Rem vel Ens. Quamobrem communi ferè Philoſophorum ſuffragio primum intelligibile, primumque cognitum Res eſt. Et arbitror ideo rem in Proverbium abiiſſe Platoni, Ariſtophani, Luciano. Quoties enim de rei evidentia dubitatur, Res, inquiunt, indicabit, res clamat, res docet, res ipſa loquitur. Inter virtutes non infimo loco cenſetur veracitas, candor, ſimplicitas, integritas, cum nihil rectæ rationi magis ſit adverſum, quam alius eſſe & aliud videri. Homerus certe hypocritam, qui aliud lingua loquitur, aliud in corde agitat, magis odit, quam ipſum Orci limen. At res fucum detrahit ſimulationi, hypocriſin odit, candoris omnis & veracitatis ſtudioſiſſima. Si colenda eſt amicitia, re oportet amicum eſſe, non verbis. Si viro forti pro aris fociſque decertandum, non in ventoſa lingua Mavors erit, ſed in re. Tantali epulas, & officioſas aulicorum, ſine re, voces execratur. Quod ſi adverſus ignorantiam

&

& errorem muniendum pectus, ipsa res opinionis levitatem discutit, & non contenta persuasione, rem sectatur, non umbram. Canes Æsopici sunt, qui imagines rerum captant, neglecta re. A Socrate & Æschylo didicimus, virum bonum non videri, sed esse talem. quia ipse modus, quem ultra citraque nequit consistere rectum, est in rebus. ut stolidam Scepticorum sententiam explodam, qui res tales esse volunt, quales apparent, & opinionem non minus valere arbitrantur, quam rem ipsam. Falsum ergo est illud Terentii in Adelphis: *Si tibi istic reipsa non dolet, at simulare certe est hominis.* Rectius in Tusculanis Cicero: *Rem opinor spectari debere, non verba.* Habet enim nuda & simplex rei veritas aculeos suos, quibus multo plus afficimur, quam tumultu verborum. Cum Polyxenus Dialecticæ professor Dionysio juniori dixisset, ex more Dialecticorum: *Ego te redarguam verbis, verbis quidem*, respondit ille, *at ego te rebus ipsis refellam.*

Quin tanta est rei in omni negotio excellentia & autoritas, ut quicquid ad rem non faciat, aspernari soleamus. Flaccus in carmine seculari, in quo vota pro imperio Romano facit, rogat, uti Dii Romulæ genti dent Rem, prolem & decus omne. ut jam inter Deorum munera censeri possit res. Tanta ejusdem est constantia, ut si quis rem unam tentet prodigialiter variare, Delphinum appingat silvis, licet interpretes nonnulli tentaverint, num dignè rem vertere possint. Hinc fit, ut male rem gerere, insani sit; contra, bene, sani. at prudentis, nec majorem facere rem mala ratione, nec vitio nostro aut culpa minorem. Ea insuper est rei castitas, ut meus non audeat rem tentare pu-

dor,quam vires ferre recusant. Amicitiæ usque adeo studet, ut alterius rei opem poscat res, & conjuret amice. Et ubi anceps est eventus rei, quo res cunque cadent, unum & commune periclum, Vna salus ambobus erit. Ideo ab antiquis dictum, amicum certum in re incerta cerni. & res tua tunc agitur, paries cum proximus ardet. Sane inter summa philosophorum decora res est, cum Aristippum non solum omnis color & status, sed & res decuerit. Quod si comitatus famulæque ad splendorem faciunt, non caret pedissequis res. Equidem voces & verba, prævisam rem non invita sequuntur. quin se ad rei nutum prorsus componunt. Si enim de re tenui dicendum, sermo tenuis est; si de gravi gravis, si de mediocri mediocris. Verum illud lepidum, ut res salva sit, saltare in ejus gratiam senem, ex veteri proverbio: *salva res est, saltat senex.* Sed pene omiseram de Rei potentia viribusque disserere. Audivistis, Auditores, magnam vim fuisse Romani exercitus in prima acie hastatorum, qui ex florentissima juvenum pubescentium turba constabant: majus vero in acie principum ac robustiore ætate scutatorum. Sed his profligatis, ubi ad triarios Res venit, tum demum pugna incrudescere, extrema tentari, victis animus redire. Ergo ubi Res bellica est, victorem Ducem ostendit Capitolio: ubi comica, Romanis equitibus & peditibus cachinnum extorquet: ubi tragica, irarum plena est, & peruncta fecibus os tumultuatur. Illud certissimum potentiæ non levis argumentum, quod rebus parvis magnæ juvari possint: quod magni atque humiles simus, prout res dant sese; ut est apud Comicum. Etiam tantum confert ad elo-

eloquentiam momentum, ut cui potenter erit lecta res, nec facundia hunc unquam deserat, nec lucidus ordo. Proinde Epaminondas Thebanorum dux capitis postulatus apud judices paucis verbis causam absolvit, negans se habere verba rebus meliora. Et Græcis ita visum est, Demosthenem quidem summum esse oratorem, Phocionem autem ad dicendum efficacissimum, non ob aliud, nisi quod Phocion vera & ad rem pertinentia loqueretur, cum Demosthenes multa simularet ad gratiam populi. Vnde factum, ut unum Phocionem metuerit Demosthenes, reliquos contemneret. Et semper ita à sapientibus, judicatum, majorem esse rei ipsius ad persuadendum vim, quam orationis. Heraclitus à civibus rogatus, ut concordiam pro concione suaderet, suggestum ascendit, calicem implevit frigida ac infusam farinam miscuit ac bibit, & mox discessit. videlicet reipsa loquens, & docens, seditiones ex luxu & superfluarum rerum appetentia nasci. Scylarus Schytarum rex filios ad concordiam hortaturus, colligatum primo, mox dissolutum fasciculum ostendit, re ostendens efficacius, quam verbis, potentiam illorum invictam fore, si concordes manserint, dissidiis singulos superari posse. Et cur Sertorius adductis in medium equis Lusitanis persuasit, quod facundia non poterat? Cur Lycurgus canes duos aliquando produxit ad populum, venaticum & domesticum? Cur Tarquinius filio, per nuncium rogatus, quid de Gabiis faceret, nihil respondit, sed altissima papaverum capita decussit? nempe ut exemplis commonstrarent, rebus ipsis debiliorem esse eloquentiam. Præterea, quia alios aliis rebus affici certum est, libet Rem per om-

nes

nes vitæ humanæ gradus circumducere. verum duplici lege. Prima eſt,ne quempiam à me tangi putetis, niſi cui ulcus eſt. Altera, ne quicquam à me in rem aut pro re dici putetis, niſi præeunte ſuis verbis Horatio. Equidem omni fortunæ negotium eſt cum rebus, ſive illæ adverſæ ſint, ſive ſecundæ, ſive dubiæ ac trepidæ. Rebus anguſtis fortes nos & animoſos eſſe oportet,adeoque pectora adverſis rebus opponere. Secundis contrahenda ſunt vela, & ab inſolenti lætitia temperanda mens. Trepidis autem ac dubiis, ſatius eſt neutros eſſe,quam cum Antonio ac Catone ſtare à partibus. Imperatores, Reges, Principes novæ ac auctioris ſemper potentiæ cupidi, rem ſæpe perdere malunt, & uni fortunæ ictui fata ſua & populi exponere, quam illum, quo allevantur, ſpiritum compeſcere. Populus, quem Divûm vocet ruentis imperii rebus, neſcit. Tum ſe turbulenta miſcent ingenia, quibus perdita republica opus, & novis rebus infidelis Allobrox. Legati magnis de rebus peroraturi ad exteros mittuntur, an ad mentiendum Reip. cauſa, non auſim dicere. Miles rei ſacræ contemptor improbus, nec Deorum aris templiſque, nec virginum aut matronarum pudori parcit. Sacerdotes & divinæ mentis interpretes, ſi religioſe diſtinguerent, inter res ac modos rei, nec de his tam pertinaciter contenderent, melius ſe haberent Chriſtianorum res. Iudex, cum muneribus res agitur, ſordet & evileſcit. Actores cauſarum rem litigioſam amant trahere, tanquam finiendam nunquam. & cum cauſa exciderunt, cliens vero rebus ſuis, mercedem nihilominus poſtulant, vel ob hoc, quod erubuerint. Qui ægris opem ferunt, ubi ægroto corpore

pore febres deduxerint, rem bene gestam Soli aperiunt, ubi vero hypercatharsin secuta est invita animula, rem male gestam tota tellure & superingestis saxis tegunt. Paracelsistæ, cum tincturas, extracta, salia, magisteria, vitra, regulos miseris propinant, viam compendiariam quærunt, sibi rem faciendi, aliis moriendi. Mercatoribus quibusdam res crescit multo sub fenore, versuris intricant rem, & ubi nominibus detinentur, cogitant, quibus artibus amissas res queant reparare. Mercatorum pararii alienas res curant, quia propriis non raro excussi sunt. Ruris cultor suas quoque callet artes rem faciendi. ambulat vafer Menalcas tardius, pluente Iove, ut crescat lactis copia ex imbre. forte, ne minus noceat civibus dilutus humor. Invidus alterius opimis rebus macrescit. Ignavus clamat, optimam esse rem, non partam labore, sed relictam. Amantium autem res quam sunt stolidæ & ridiculæ. Hic libertatem dote modica vendit. Ille vetulam ducit, ut citius discat tussire. alter zelotypus semper metuit, ne Iupiter denuo fiat olor. ille agros & jugera crepat, quæ oculatissima natura nusquam videt. Sunt qui rem piam putant, si mortua noverca lugubri pallio tegant gaudium. Sunt qui videri volunt reapse divites, cum domi arescant, Sole & frigore & esuritione, ut dentes vel silicem comesse possint. Prodigus rem patris oblimat, & decoctis rebus Moluccas adit, ut quam à parentibus domi noluit, à pipere & cariophyllis discat virtutem. Avarus in triviis discurrit ob vilem assem. & dum semper in augenda re festinat, obruitur re. At rectius parcus ex magno acervo sumit, quantum res poscit, & comportatis rebus bene cogitat uti. Qui alienas cœnas

ac

ac prandia captat, frigente domi culina, bonis rebus agit lætum convivam. At inter insanos est iste dapifer, qui in una re curam consumit, & dum vini vitia corrigit, securus est, quo olivo perfundat pisces. Senes, quo sunt animi ac corporis languore, res omnes gelide timideque ministrant, juvenes calide & audacter. Meretricum ac lenonum rebus favent non infideles arbitræ, Nox & Diana. Fur, latro, perduellis, æris recisor, & quotquot rebus male partis vivunt, in quanta sunt rerum desperatione, cum res ad restim rediit. At ambitiosi, postquam amissa Noachi diluvio nobilitatis insignia, in Hyrcaniæ aut Armeniæ montibus reperere, tenui alias re, pennas extendunt nido majores. Historici sapientes res gestas componere malunt, & Nassoviorum bella exequi, quam repentes per humum sermones ducere. Amanuenses publici de re communi magna & nova scribenda habent. ideo rogant Horatium, ut velit cras reverti, quo grande secretum aperiant. Verum ille, qui lectione fastorum hebdomadalium ac Volusi annalibus pascitur, iisque pinguescit, sicut aëre chamœleon, garrit aniles fabulas ex re, & esurire mavult aut ad secundam prandere, quam nescire mendacia. Litterarum studiosi quam frustra sunt, dum sterile vocum studium sectari malunt, quam res ipsas, rectius facturi, si vocum elegantiam rebus, & rerum pondus vocibus adderent. Quam tragici actores ineptiunt, & tragœdiæ res decusque infamant, quoties pueros coram populo trucidant, & postquam ingenti clamore Ajacem furentem despumarunt, eosdem actores ad molle tripudium producunt. Satyrici quia non audent Cæsaris invicti res dicere, humanis rebus amant

illu-

illudere, & opus suum aut ultra legem extendunt, aut corpus sine nervis componunt. At nemo utiliorem rem præstat orbi terrarum, quam Criticus, quoties observat, esse unum in toto Homero versiculum, in quo omnes partes orationis deprehendas: prima Livianæ historię verba hemistichio constare: Tacitum annales suos à carmine hexametro ordiri: Valerium Flaccum peccasse, quod in primo Argonauticorum versiculo amphiboliam commiserit. Et his commentis adeo sibi placet, ac si Americam Ferdinando monstrasset. Nec minus Dialectici cornua sumunt, cum Sophismate uno aut altero instructi quavis de re cum quovis audent decertare. Inter hos vir bonus & sapiens contemptæ rei splendidior est dominus, & ubi pecus, rem, lectos, argentum sublata videt, animum bonum servat in re mala, & hoc se solatur dicto: mors ultima linea rerum est. Quod si poëtas tangere libeat, audite quo rem deducam. De rebus dissona valde loquuntur Persius & Virgilius. quorum ille clamat: quantum est in rebus inane! hic, Iovis omnia esse plena. Qualem rem, Auditores, canit Maro, cum Æneam & Didonem in eandem speluncam devenisse ait: quantam rem, cum Italas res Trojani Ducis scuto insculptas perhibet. quam idem ubique rebus apta loquitur, sive Tityrum, sive pastorem ab Amphryso, sive Turnum loquentem inducit. Naso quam est petulans, cum res Veneris canit. Catullus quam suavis, cum mille & centum basia Lesbiæ confundit, ne tantæ rei malus livor invidere possit. quam non nova res est, à Sulpitia Tibulli Cherinthum amari. quam sunt rotatiles Elegæ Propertii, ubi Cupido, Græcorum more, elegias polysyllabis claudit. Flaccus,

cus, quam eſt ſeverus, cum robuſtum acri militia puerum jubet ſub dio agere & trepidis in rebus. Martialis quam eſt ſalſus, cum mœcham uxorem dicit eſſe rem, quæ ad Ollum pertinet. Claudianus quam eſt verax, cum injuſtos negat ad culmina rerum creviſſe, ſed in altum tolli, ut lapſu graviore ruant. quam idem ubique ſibi eſſet ſimilis, niſi à rebus & argumento deſtitueretur. Illud in Claudiano peculiare, quod nullibi excellat magis, quam cum de non rebus agit, hoc eſt, Proſerpinæ raptu. In Statio major eſt tumor verborum, quam rerum. In Silio major rerum, quam verborum. At Seneca tragicus verba rebus æquat. Lucretius naturalium rerum ſcabritiem Latini ſermonis puriſſimo nitore expoliit. Perſius, de quo modo loquebar, dum res bonas loquitur, ſaxa ſpuit & lapides. Iuvenalis, cum res Quiritium perfricat, illud inter reliqua eximium habet, paucos cognoſcere, quæ ſint vera bona. Lucanus & nimis hiſtoricus eſt & à re propria amat digredi. De Comicis ſi res ſit, Plautus Comicorum ingenioſiſſimus ſervorum res tractat diſertius, quam militum. Vnde colligo illum in piſtrino vixiſſe, non in caſtris. Terentius fatetur ſe res accepiſſe à Menandro, ſed Romanum iſtum leporem & ſcenæ decorum & judicii exacti vim Lælio ac Scipioni deberi, diſſimulat. Homerus, qui nil molitur inepte, omnium rerum periti ſſimus, primum Sapientiæ rerumque omnium fontes monſtravit poſteris. Callimachus res divinas, Theocritus paſtorales, Heſiodus agrarias, Ariſtophanes hiſtrionicas Græcis pedibus adſtrinxerunt. Inter Hiſtoricos Livius rerum copia & gravitate excellit, Polybius antiquitate, Tacitus utilitate, Suetonius veritate, Cæſar

per-

perspicuitate, Salustius compendio, Florus poëtica subtilitate, Curtius orationibus directis, Iustinus rerum Iudaicarum ignorantia, Plinius mentiendi dicam felicitate an infelicitate? Inter Philosophos res sapientissimas oraculo Apollinis locutus fuit Socrates, Plato divinissimas, gravissimas Zeno, verissimas Aristoteles, lætissimas Democritus, tristissimas Heraclitus, facetissimas Diogenes, sanctissimas Epictetus. Et proximis seculis de rebus scripsit universalissime Thomas, obscurissime Scotus, sincerissime Durandus, copiosissime Cardanus, subtilissime Scaliger. Hippocrates Medicorum princeps, si plura scripsisset, feliciores essent res medicorum. Galenus si de quarta figura tacuisset, nihil medicæ rei decessisset. Dioscorides, si hoc viveret seculo, rem Botanicam miris modis auctam stuperet, præcipue tot versicolorum Tuluparum & nucis Maldiviensis horribili admiratione. De Aëtio, Tralliano, Avicenna, Rhase, nihil dicam, quia fateor, me non legisse. At quid quæso Mathematici rerum agunt? cum disputant, an puncta & lineæ sint res, quam prodigiosam rem moliuntur, quando scrutantur, quot hordei granis primum mobile à terra distet, interea ignari, quot à morte absint passibus, quam periculose philosophantur, cum terram rotari, Solem stare contendunt, quod jam inter hæreses Transalpinas est. Et ne putetis rem populis gentibusque Europæis non esse cordi, ita statue: Gallos indirectis bellis directum à se prudenter amoliri, & sic res suas stabilire: Anglos invidenda pace beatos rerum exterarum non valde satagere: Hispanos hic res, quondam suas, pertinaciter repetere, & alibi alienas ad se rapere: Federatos Belgas re

ma-

maritima Tyriorum, Græcorum, Carthaginen-
sium exemplo, imperium late differre. Germa-
nos Principes eo rerum statu esse, ut inter Cæ-
sarem, Gallum & Suecum positi lupum videan-
tur auribus tenere: Suecos afflictis Germaniæ
rebus feliciter consuluisse: Cæsaris res in pejus
lapsas, ex quo Principum æraria sollicitare cœ-
pit, & Petri patrimonium reposcere: Archiepi-
scopos jam credere, non omnium rerum vicissi-
tudinem esse jucundissimam: Sabaudum cum
de Brabantia litem movet, forte istius prover-
bii meminisse: *Suam quisque homo rem memi-
nit*: Pontificem Romanum Regum Princi-
pumque suæ sedis res ea cautela moderari, ne
de invadenda Roma cogitent: Venetos res ma-
jorum laboribus ac fide partas circumspecte
modesteque tueri. Polonos & Russos de Smo-
lensko nimis diu contendere, quia res Polior-
ceticas ignorant.

Sed missos faciamus homines, qui ideas re-
rum & umbras sectari malunt, quam res veras.
Redeo ad Rem, cui triplicem vultum inducit
prima Philosophia. modo enim Vnam vocat,
modo Veram, modo Bonam. Sileni Alcibiadis
duas habebant facies inter se dissimiles. At Ens
tres habet. Quicquid enim res est, hoc ipso non
est aliud, ideoque indivisibile & unum. Homo
ut esset homo, omnes partes ejus omnisque na-
tura in unum solidata est. Eodem modo arbor,
lapis, equus. Si unitatis patiantur divortium,
cessabunt esse. Apud Lucianum gloriatur Gallus
ille Pythagoricus, quod unus omnia fuisset, phi-
losophus, vir, mulier, rex, privatus, piscis, rana.
Nec aliter res, si demigret in species suas, fiet
aper, modo avis, modo saxum, & cum volet
arbor. Eadem res vera est, at quid veritate lau-
da-

datius? In ſcena fucum amat actor, in aula adulator. alius tingit canos. alius emptis dentibus mandit. alius frontem capillitio abſcondit, ut effrons habeatur: alius verticem radit, & ſerico tegit, ut naturæ exprobret. Res quælibet talis eſt, qualem eam aut Deus fecit aut ars. Vt negem verum eſſe illud Alcibiadis, vino pueritiæque tribuendam veritatem. Omne ens verum & omne verum ens. nec ullius favore vel odio falſi ſpeciem induit, nec Principibus, Pontificibus, non divitibus, potentibuſque placere ſtudet. Denique omnis res bona eſt, & omne bonum res. Nihil condere viſum magno opifici, quod non conveniens alicui ſit & amabile: Notum eſt Epiphonema creationis; Vidit Deus omnia eſſe bona. Quamobrem nec malum, qua tale, res eſt, ſed rei privatio. & ſi quid illi adſit boni, id omne à re eſt. Hanc vero bonitatem tam diffundit late, ut nullam orbis particulam ſui muneris expertem eſſe ſinat. Non omnis tellus fert omnia. alibi arborei fetus, alibi injuſſa gramina naſcuntur. Pontus Caſtorea dat, Tmolus odores Tyrios, India ebur, Sabæi thus. At res nuſquam non viget & viret, cum ſingulis neceſſum ſit rem eſſe. Ac ut ſuprema loquar, ea eſt Rei beatitudo, ut mortis metu vacet, quatenus in Iove Intelligentiiſque reſidet. Vacat conſcientiæ carnificina, cum omnia alia tranſcendat, non territatur à lamiis, cum illis ſit defecatius quid. non metuit, non ſperat, cum à loco & tempore, ut Philoſophi loquuntur, abſolvatur. Tempus eſt, Auditores humaniſſimi, ut deſinam de re loqui. Nihil enim de re, præter rem, aut ſupra rem dicendum. Qui veſtrum lauta ſunt re, malint audire tinnitum rei in loculis, quam in ſcholis. Qui minus lauta, ab hoc rei

enco-

encomio non redibunt unctiores. Bacchanalia sunt, quo tempore de bello Moscovitico perorare nihil πρὸς Διόνυσον. Superest ut rogem hanc uti de Re dissertationem nullius infectationi, sed exercitii causa scriptam boni consulatis. Iniqui profecto sunt, & tristes Dii, quotquot patienter aspectant latrunculorum lusus, studiis vero nullum lusum, nullam intermissionem concedunt. Verum hi ex præscripto Martialis lactucis utantur & mollibus malvis & mitescent propediem.

DIXI.

Recitata fuit, cum libros Metaphysicorum auspicaretur, 27 Febr. 1634.

ORATIO DE ANIMÆ HVMANÆ ADMIRANDIS.

NOn valde miror, A. O. Vos solito frequentiores ad me audiendum convenisse. Invitavi vos magno promisso. nempe, de rebus Admirandis me dicturum. quæ sicuti sine Numine confici nequeunt; ita incredibilem vim habent, rapiendi animos hominum in admirationem. Curiosum nobis natura dedit ingenium, avidumque cognoscendi, quicquid abditum insolitumque. Et quia obvia fastidimus, solum id amamus, quod vel novitate, vel pretio, vel raritate commendabile est. Quoties in foro ludio aliquis aut agyrta, rem miram, nec visam populo, inccœptat, brachia ferro trajicit, venenum secu-

us haurit, lumbricos tricipites è novacula suspendit; alius fumos ignesque ore eructat: alius mira manuum agilitate præstigias oculis facit; stamus attoniti, & dubitamus, an Dii in terras migraverint, an homines Dii facti sint. Cum Dodona loquitur, cum arius parturit, statuæ plorant, sanguine rubet Sol, arbores ambulant, equa leporem gignit, cum armatæ acies in nubibus concurrunt; ad tantarum rerum conspectum accurrimus omnes. nec displicet sæpè ficta & mendax fabula, modo miraculo vel prodigio affinis sit. Norunt callidi & versuti mortales, incredibilium rerum vel relatu, vel ostentatione, commendationem parari, & auditores, alio abituros, si per quotidiana ducantur, miraculis esse excitandos. Nunquam majorem Quiritium frequentiam vidit Tyberis, quàm cum Æsculapium sub forma Epidaurii serpentis è Græcia advectassent Romanorum Legati. Nunquam magis strepuerunt Tarentinorum compita, quam cum columbam ligneam in aëre volitantem exhibuisset Archytas. nunquam magis curfitatum apud Indos, quam cum tripodes ambulantes, & pincernas aureos conviviis ministrantes exhiberet Apollonius Thyanæus. nunquam magis stupuerunt Byzantini, quam cum pediculum aurea catena vinctum circumduceret circumforaneus mercator. Ideo ad spectacula & ludos properamus, præclusa naturæ rimamur, secretiora indagamus, antiquitatis reliquias anxiè conquirimus, mores habitusque barbararum gentium avidi audimus, & pronas aures commodamus miracula narrantibus, rerum vulgarium, quasque indies aspectamus, contemptores superbi. Hoc consilio, ut apud plures quoque jam loquerer, nolui communia

sectari, aut ea via ire, qua itur indies. Magni rara, ambitiosa loqui institui. ut necessum no sit, benevolentiam vestram & attentionem sol licita præfatione emendicare. quam facilè argumenti novitate, dignitate & excellent impetrabo. Philosophabor utique de Anim humanæ Admirandis, quidque in ejus contem platione maximè suspiciendum sit, quid ine tricabile & rationi humanæ impervium, id om ne selectum dabo. Novi, quàm sitis plerique Apitii, quàm delicatioris palati. Mullos vu tis, & apros & sumen & ostrea. Diaria fastidi tis & quicquid quotidiani ac publici est sapo ris. Cupedia quærenda sunt, & conchylia Eo intonata fluctibus, ut oscitantes vestros stoma chos pelliciam. ad hoc meum Convivium, siv Miraculorum Diatribam. Quare ut idonei con vivæ, hoc est, auditores sitis, exuite paulisp ab animis vestris earum rerum admirationem quæ nec bonæ sunt, nec laudabiles, nec quic quam eximium, excellens, dignumque hum na admiratione in se habent. Nec enim re magnas dignoscit admittitque animus, vilibu minimisque intentus. nec capit aliquid maj se, qui quicquid minus se est, amat & vener tur impensius.

Duas Respublicas vos velim animo compl cti. Vnam magnam, cœlestem & verè publ cam: Alteram minorem, subcœlestem, cui no mortalitas adscripsit. In illa miraculorum un cum autorem Deum, Angelosque: in hac alte rum summi opificis miraculum, Homine contemplamur. Vnde duæ Philosophiæ parte natæ sunt, ex mente Stoicorum: Vna altio quæ ad Deum & res à materia secretas specta altera depressior, quæ Hominem, & quod i

homin

homine diviniſſimum eſt, Animam intuetur. Non ita pridem divinioris ſapientiæ secreta inveſtigavimus, quæſivimuſque de univerſi auctore & conditore, de mundi materia, quid ſit Deus, totus ſibi vacet ex Epicuri mente, an etiam ad nos reſpiciat, faciatne quotidie aliquid, an ſemel feciſſe contentus ſit, an pars ſit mundi, an mundus, an neutrum; poſſitne pro imperio mutare, quæ fecit; an fatorum lege factorum ordini adſtrictus ſubjectuſque ſit. quæque alia Metaphyſici ſunt fori. Iam vero ad alteram Philoſophiæ partem, quæ de Homine agit, provectus, ſubſtiti attonitus ad Animæ Humanæ contemplationem. Et quanquam in corporis humani fabrica totius Vniverſi compendium artificioſe exhiberi deprehenderim; ſuos illam habere orbes, ſua aſtra, ſua elementa, ſua metalla, plantas, flumina, nubes, fulmina, totique naturæ analogas partes: tamen detinuit me, & detinet etiamnum Animulæ noſtræ, quam hoc corpuſculo circumgeſtamus, attenta conſideratio. ſive ejus naturam, originem ac propagandi modum, ſive operationes, functioneſque diverſiſſimas, ſive ſummam imperii in mente ac voluntate vim majeſtatemque propius advertam. Homerus, quoties Iovem Deoſque introducit, nubibus & caligine eos involvit, ut imperveſtigabilem humanæ menti divinitatis gloriam demonſtraret. Idem de Anima verum. ideoque Apulejus, quoties Pſychen ſuam apparere facit, fumis nebuliſque cinctam deſcribit, ut videri nequeat. Rerum, quotquot ſunt, aliæ ſciunt, aliæ ſciuntur. Sola anima in terris omnia ſcit, præterquam ſeipſam. Lux eſt, quæ alia omnia illuſtrat, ſibi caligo eſt. Oculus eſt, qui intendi in quævis poteſt, in ſe

nequit. Manus instar est, quæ apprehendit o[mnia,]
via, [...] excepta. Docet quidlibet, capit quidl[i]
bet, profitetur quidlibet, seipsam ignorat. M[a]
gistra est omnium, non sui. Tot retro secul[is]
investigatum fuit, quid anima sit. Quæsiv[it]
Chaldæus, nec invenit. quæsivit Ægyptius, ne[c]
repperit. quæsivit Græcus, & nescivit sempe[r.]
Alius substantiam esse vult, alius accidens. H[ic]
corpus, hic spiritum. Critias sanguinem es[se]
contendit. negat Zeno & ignem esse vul[t.]
Hippo aquam esse clamat, Diogenes aërem,
Heraclitus vaporem, Pythagoras numerum es[se]
dicit. Democritus etiam atomos in anima in[-]
venit. Aristoteles entelechiam esse contendit.
Aliis cor ipsum animus esse videtur. unde ex[-]
cordes, væcordes, concordesque dicuntur. Di[-]
cæarchus, omnibus deterior, animam nihi[l]
esse dicit, præter inane nomen. Harum sen[-]
tentiarum, præter postremam falsam, quæ si[t]
vera, Deus aliquis viderit. quæ sit verisimillim[a]
magna est quæstio. Singuli dum aliud dicunt,
probabile est nescire neminem. Vt in tam
opinionum diversitate Deus crucem fixisse vi[-]
deatur excellentissimis ingeniis, ut eo esset re[s]
admirabilior anima, quo ejus minus explorata
est cognitio. Qui vero omnium rectissime d[e]
ea judicarunt, tam stupendis eam & superbi[s]
vocibus prosequuntur, ut dicentes illud, quo[d]
pene est verum, falsum tamen dicant. Hi ani[-]
mam Deum esse perhibent, aut divinæ aur[æ]
particulam. Vti enim ille in Vniverso, ita ani[-]
mus in corpore vivit, præsidet, imperat. uti ill[e]
perituram mundi machinam agitat, ipse æter[-]
nus & immortalis; ita animus mortis ignaru[s]
fragile ac luteum corpus. Nihil in terra ma[-]
gnum, præter hominem, dixit Phavorinus, nihi[l]
in

in homine præter mentem. nec ob aliam caussam Trismegistus hominem miraculum vocavit, quam ob animæ excellentiam divinitatemque. quæ, quia spiritualis est, Angelos sibi cognatione junxit. & quia corpori uniri potest, mediam inter illos ipsos, corporaque naturam obtinet. ut plus sit, quam id, quod corpus est, & minus aliquid, quam quod Intelligentiam vocat Peripateticus.

Illud quoque admiratione dignum suspexerit quisquam, eundem animum in corpore habitare, & tamen nescire ipsam animam, qua corporis parte resideat potissimum, & num una sit in uno corpore, an multiplex. Etenim dissentiunt etiam hic doctissimæ animæ. & cum sciant se alicubi esse; nec esse, nisi in corpore: nesciunt tamen, ubi in corpore regiam sedemque fixerint. Democriti anima dicit se habitare in toto capite; Medicorum, in cerebro. Stratonis in superciliorum interstitiis. Erasistrati in membranis cerebri. Si Herophili animam roges, ubi habitet, dicet se in ventriculo cerebri habitare. si Parmenidis, in pectore. si Zenonis, in corde. si Empedoclis, in sanguine. Nec defuere, qui animam in certa corporis arte latitare dicerent, è qua araneæ instar pro rerum opportunitate per totum corpus discurreret, & in quam, quoties vellet, ilicet recurreret. Quis non stupeat esse in regno suo Regem, jussa dare subditis, & ipsum nescire Regem, an Persepoli habitet, an in Ecbatanis: an Hagæ, an Delphis: an Pragæ, an Viennæ. Præterea eundem nescire, an unus sit in aula imperator, an plures. In tanta miseri rerum ignoratione versamur, ut nesciamus ipsi, ubi domicilium fixerit pars nostri melior, qua sumus, quicquid

fumus, qua fcimus, quicquid fcimus. Imo & hoc nefcimus, an una nobis fit anima, an tri plex, difcrepantibus etiam fuper hac re clariffi morum virorum fententiis.

Familiare eft Phyficis noftris, maximos naturæ effectus, quorum caufæ minus in aperto funt, ad Planetarum occultos influxus referre quales funt tractio magnetica, maris reciprocatio, metallorum & animalium è putri materia generatio. Verum cum fingulis finguli inferviant Planetæ, & metallorum aliud Saturni, aliud Iovis, aliud Martis, aliud Solis, aliud Veneris, aliud Mercurii, aliud Lunæ arbitrio regatur; tanti momenti res credita fuit Anima, ut ei omnes Planetas famulari divina fapientia jufferit. Saturno juffum, ut ad intelligendum ratiocinandumque illam difponeret; Iovi, ut vim agendi fortiter illi conferret; Marti, ut animofitatis ardorem acueret; Soli fentiendi opinandique naturam; Veneri defiderii motus; Mercurio pronunciandi, & quæ fentiat, interpretandi vim; Lunæ nutriendi, augendi, generandique facultatem. Tot Deos, aut potius aftra, fibi famulantia habet. nec fimplicis aftri contenta eft obfequio, quæ, quoties vult, cogitationum fublimium motu aftris omnibus fuperior eft.

Procedentibus vero Sapientum de ea altercationibus, eo deventum eft, ut in labyrinthos inexplicabiles devoluti, eam rem, quam animam vulgo vocamus, dixerint effe totam in toto corpore, & totam in qualibet parte. Ita vifum Angelico Doctori, ita Cajetano Cardinali, ita Ægidio, Marfilio, & ante hos Averroi. Invaluitque olim hæc opinio eoufque, ut etiam Hipponenfem Epifcopum in fuas partes pertraxerit

traxerit. Quorum opinio si vera est, sequetur: eandem animam totam moveri in una parte, totam quiescere in altera: totam esse in capite sursum, totam in pedibus deorsum: totam loco à se distare: totam esse in pluribus locis, nec tamen multiplicari: esse instar puncti indivisibilis, & tamen in quavis parte. Quæ quidem singula miraculorum omnium fidem excedere manifestissimum est, utpote contradictioni proxima. Auget admirationem hanc, ipsam animam per universum corpus spargi, singulis membris adesse, nec tamen divisis membris secari aut dividi posse. Cum facinorosis reciditur cervix, anima celerrimum ictum celeriore motu evadit, & inter media tela & acinaces illæsam se, velut in arctum, contrahit, ut vulnus corpori inflictum ocyus eludat. Cum Priamo caput humeris avelleret Pyrrhus, de corpore triumphabat victor, invicta anima. Cum laceraretur toto corpore miser Deiphobus, distraheretur Hippolytus, raptaretur Hector, corporis continuitas soluta fuit, non animæ. Domicilium suum destrui patitur, at se incolumi. & cum in frusta secamur, manet illa una, nec numerum facit.

Aristoteles, dum in Animæ scrutinium altius admittitur, negat animam moto corpore moveri. Nempe, vult vos credere, currente Atalanta, non currere primo animam: volante Dædalo, non volare animam. Et tamen in illo ipso corpore est, quod movetur. quin & illud ipsum est, quod movet corpus, & sine quo iners illud est & immobile. Quod si sciret apud inferos Sisyphus, posset indefessos corporis sui labores hac animæ immobilitate solari. Prodigiosa loquimur, Auditores. Itur in Orien-

tem, nec it anima. comes est corporis, & quiescit nihilominus. Scandimus montes, descendimus, saltamus, remigamus, pugnamus, fixa interim & quiescente in corpore, quæ motuum horum causa, anima. At, inquies, movet ferrum magnes, ipse licet immobilis. quid mirum? locis suppositisque differunt. At animam corpore claudi, corpus impellere, nec impellere primo seipsam, credat Alexandri præceptor. mea hoc, ut ingenue loquar, comprehensione majus est. præsertim, cum novas partes per nutritionem appositas subeat, & veteres vel calore absumptas, vel vi resectas deserat.

Quod si originem & natales Animæ investigare animus sit, non illam è semine elici, non per traducem transfundi credimus, aut more aliorum viventium à simili generari. Solum Deum autorem habet, nec nisi ex nihilo, hoc est, miraculo produci potest, quæ omnium miraculorum ipsa est maximum. Quietem sibi imperavit magnus opifex, cum cœlos, terras, maria condidisset. In sola animarum creatione perstitit indefessus. Omnium suorum laborum periplum sabbatho finivit. Sola animarum productio sabbathum nescit. Nec enim spiritum produci possibile est, quam per spiritum: nec modus productionis alius, quam per creationem: nec potentia ulla huic operi par, quam quæ infinita est & omnipotens. Potuit Amphitheatra exstruere Titus, aquæductus quaquaversum diducere Agrippa, Danubium ponte sternere Trajanus, Athon perfodere Xerxes, Alpes aceto dividere Annibal. At hæc tanta qui potuerunt, unicam animulam condere non potuerunt. Nihil ad hanc rem confert Lysippi industria, penicillus Apellis, Phidiæ solertia,

Archi-

Archimedis ſagacitas, nihil tot architectorum dædalæ & ingenioſæ manus. ne quidem ipſa Angelorum dextera, quantumvis potentiſſima, in hujus operis conſortium partemque admittitur.

Ad illud non ſemel obſtupeſco. animam noſtram in corpore eſſe, cum corpore eſſe, ſubſtantiam eſſe in ſubſtantia: nec tamen corpus eſſe. quin tam diminutæ, tenuis & ſubtilis eſſe eſſentiæ, ut nulla corporis pars ſit extra ipſam, nec illa ullibi, ubi non ſit corpus. Et tamen in tanta unione, partiumque penetratione, ac naturarum indiſtantia, non affici à corpore aut lædi animæ eſſentiam. Si paralyſis partem nervi obſtruat, ipſa permeat. ſi apoplexia ſpiritibus viam occludit, nondum occludit animæ. ſi exareſcat oculus, flacceſcant brachia, caries erodat oſſa, deficiat ſanguis; illa nihilo ſecius integra & vegeta manet. Cum claudicat pes, balbutit lingua, manum diſtorquet chiragra, corporis illa vitia ſunt, non animæ. Inſtar citharœdi eſt, cujus ſive fides laxæ ſint, ſive ad verticulos appoſite intenſæ, ars tamen, quæ in mente reſidet, nihilo vel deterior eſt, vel melior.

Accedit, quod virtutes functioneſque innumeras exerceat unus idemque animus. Mirantur poëtæ in Apolline numen triplex, tergeminam Hecaten, tria virginis ora Dianæ. Mirata fuit olim Roma pantomimos ſuos, qui exercitato vultu corporiſque motu quoſvis imitabantur. Stupuit Græcia illos, qui quovis certaminum genere victores erant, quos πενταθλοὺς vocabant. At nihil hæc ad animæ vim, quæ ſibi ubique ſimilis, in eadem corporis parte, trahit, retinet, alterat, expellit, nutrit, au-

get, ſentit, appetit, movet, ratiocinatur, vult. Miramur in horologiis artem, quæ alias partes aſcendere faciat, alias deſcendere, tardius, celerius; alias in orbem rapi, alias in obliquum; alias trudi, alias trudere. Sed quid hæc ad animam? quæ innumerabiles corporis particulas, forma, mole, finibus diverſiſſimas regit, flectit & moderatur.

Et quis ratione aſſequi poſſit, in eadem anima eſſe aliquid rationale; aliquid irrationale: moriturum & immoriturum: partes miniſtras famulaſque, & principes dominaſque: aliarum tam ignobilem ſortem, ut non niſi ſervire debeant; aliarum tantam eſſe dignitatem, ut cum omnibus præſint, ipſæ ſolum Deum ſuperiorem agnoſcant.

Quod ſi diſtinctius libeat Animæ humanæ vires ſcrutari, major latiorque rerum mirabilium & ſtupendarum ordo panditur. Cum nutrimur, ecce, quæ alimenta ſpecie tota erant diverſiſſima, vi animæ unum fiunt in ventriculo, & veluti in pulticulam & polentam concoquuntur. Illic terreſtria aquatilibus, utriſque volatilia permiſcentur. Illic obſonium & ferculum, furfuracea & hordeacea, ovilla & vitulina, aſſa, elixa, toſta, frixa coëunt. illic columba patitur ſturnum, aſellus lupum, perca porcellum, aper leporem, vitis braſſicam. Quæ omnia ſimulac unam chyli formam nacta ſunt, paucarum horarum interjectu, ejuſdem animæ induſtria in diverſa rurſum abeunt. & ex eodem ſanguine, ejuſdem caloris ope, os fit ſicciſſimum, caro humidiſſima, membrana validiſſima, pulmo flaccidus, oculus multicolor, nervus candidiſſimus, res ſubſtantia, temperamento, officiis diverſiſſimæ. Quoties domum molitur architectus,

tectus, facit rem unam ex materia non una. sed hęc unitas mera partium aggregatio est. Anima in unius naturæ substantiam mutat diversarum specierum res. & veluti Chymicæ artis perita, quod unum esse fecerat, distrahit rursum in diversa. Maximæ sapientiæ esse putamus, si ex tot autorum aliis atque aliis lucubrationibus ea seligat studiosus lector, quæ sibi conducere arbitratur: aut si ex rerum civilium infinita congerie vir prudens, quod utile & frugiferum, in suos usus convertat. Num ergo animæ occultam sapientiam mirabimur? quæ ex rudi, crassa & feculenta sanguinis colluvie, singulis partibus impertit suum? & eo quidem distributionis genere, quod Geometricum vocant & quoad nos. In Accretione illud inexplicabile, quomodo crescente corpore non crescat anima, tanquam nullius alimenti indiga. & tamen minorem eam esse in puero, quam in viro, majorem in viro, quam in decrepito & contracto sene. quin potius crescente corpore debilem esse rationis vim, illo decrescente, incrementa illam prudentiæ virtutumque capere. In Generatione vero nostra, licet omnia humanæ mentis captum excedant, illud prorsus suspiciendum, ex informi semine edolari tanto artificio corpus, capax tam illustris hospitæ. Iurares Zeuxin aliquem vel Polycletum in utero matrum ingenii omnes vires in formando homine explicare. Tantus ordo partium, ea symmetria, ea figuræ & quantitatis in singulis membris ratio, ut nihil non ab exactissima scientia profectum videatur. Fulcitur moles corporis nostri plus, quam ducentis ossibus, quæ pro trabibus sunt, illa totidem cartilaginibus, ad motus facilitatem incrustantur. Hæc ipsa ligamen-

tis, quæ pro clavis ſunt, ne locis ſuis excidant, nectuntur validè; nervis autem & tendinum ope, veluti funiculis & chordis, moventur. Accedunt venæ arteriæque innumerabiles, quæ velut aquæductus ſingulas partes irrigant. Muſculi pene quadringenti carneſque diverſi generis fibrarum ſpatia, ceu tomento, replent. omnia denique cute, tanquam univerſali veſte, adverſus injurias muniuntur. Atque hæc dum molitur natura, neſciunt bonæ matres, quid intus agatur. & cum alias imperioſæ ſatis ſint, nihil hic, quod imperent, mutent, corrigant, habent. Quæ admirati Arabes, non ſeminis brutam & ſtupidam vim, quam animæ vicariam vocant Peripatetici, ſed Deum aliquem, vel intelligentiam, vel animam mundi tam admirabilis & elaborati operis autorem prodiderunt. Hæc dum mecum conſidero, jacet magnitudo Romana, vileſcunt omnes veterum toto orbe decantatæ fabricæ. in quibus non unus artifex deſudavit, ſed plures, aliæque fuerunt partes architecti, aliæ lapicidæ, aliæ fabri lignarii, aliæ ferrarii, aliæ vitriarii, aliæ cæmentarii. cum in adornando corpore noſtro, una magiſtra ſufficiat anima, vel animæ miniſtra virtus plaſtica, quæ ſola & præparat materiam & univerſum opus abſolvit. ſola rotundat, quadrat, ferruminat, contignat, inveſtit, tegit.

Sed abripit me Senſuum contemplatio, tum eorum, quos poſitos habemus in propatulo: tum eorum, quos altius abdidit natura. Omnia hic miraculis majora ſunt. At nullibi magis extra me ſum, quam cum in viſus oculique naturam penetro. Vetus inter ſapientes lis eſt, An viſio fiat emiſſis ab oculo radiis, an receptis ab objecto ſpeciebus. Prius Platoni, poſterius Ariſtoteli

ſtoteli arriſit. Nihil jam definio. Sed illud aſſevero magna animi contentione, Deum utrobique infinitæ ſuæ virtutis documentum grande dediſſe, ut vel in ſolis oculis præſens Numen oculis videri poſſit. Placet viſionem fieri radiorum emiſſione? quanta illa res, tantam lucis vim in puſillis oculorum orbiculis circumferri, quæ à terræ ſuperficie ad ipſa uſque ſtellarum fixarum corpora per aliquot miliarium myriades diffundi poſſit, & ad oculos redire, idque momento. cum immane illud Solis corpus, centies & ſexagies ſexies majus terra, omnis lucis fons & ſcaturigo, radios ſuos in terram jaciat, ſed ad ſe revocare nequeat. Placet ſpecies recipi à re viſa? jam illud non minus admirandum, res, quæ minus ſunt, quam res, imò rerum imperceptibiles umbræ & ſimulachra ſolummodo, & pene nihil, per immenſa ſpacia ſalvas integraſque deferri. Deinde, eam iiſdem ſpeciebus ineſſe propagandi ſeipſas virtutem, quæ cœlos omnes intermedios, & elementorum interjecta corpora permeet trajiciatque. Etiam illud horribile naturæ ſecretum eſt: imaguncuIam illam, quam ſpeciem vocamus in ſcholis, ſecundum aëris extenſionem extendi, & nihilominus, in quovis aëris puncto, animæ noſtræ repræſentari totam rem. ut totos montes, turres, arces intueamur, in indiviſibili aëris punctulo. Creſcit miraculum. ſi obſervetis, ſpecies plurium rerum, etiam contrariarum, in eadem eſſe aëris parte. nec tamen aut ſpecies confundi, aut vim repræſentandi debilitari, aut figuras ſe mutuo deſtruere, aut ventis tempeſtatibuſque à linea recta, qua oculum petunt; vel minimum dimoveri. Inter ſenſus interiores Memoria occurrit,

cujus modus tam est inextricabilis, ut meritò inter ea referri debeat, quæ mirari nos Deus non scire voluit. Hæc illa est facultas, quæ parvo cerebri spatio circumscripta, infinitas rerum species recipit, nec confundit. Et quamquam in humida & flaccida capitis substantia resideat; is tamen specierum in ea ordo, is nexus, ut ad imperium voluntatis vel omnes adsint, vel plurimæ, vel singulæ. Inscripsit aliquis memoriæ Æneidem Virgilii, vel Iliada Homeri, quæ aliquot millenis vocibus decurrunt; illa eo ordine singularum vocum species reddet, quo exstant extra ipsam. Orator, quoties verba facit, ex tam grandi specierum acervo, contexit & recitat Philippicam, ut citius auditorem patientia, quam memoriæ fides dicentem destituat. Qui memorandi artem callent, millena aliquot vocabula, Græca, Latina, barbara, ficta, in memoriæ tabulis disponunt, & eodem, quo semel lecta fuerunt ordine, aut, si voles, retrogrado recitant. singularum ad hæc vocum numerum situmque, sine errore & perturbatione, designant. atque hæ imagines cum in eodem cerebro stabulentur; ea tamen illarum ratio est, ut quædam adsint ultro & injussæ, non aliter ac si in labris natarent; quædam non nisi longiore meditatione subeant; quasi precario & invitæ adessent: quædam vocatæ & injussæ adesse recusent; tanquam altius repostæ. ut non nisi per attentam reminiscentiam excitari & in apertum produci queant.

Memoriæ assecla est Phantasia, sive Imaginatio. in qua illud admirandum, quod cum sedibus & loco distet ab ea facultate, quæ formando corpori in utero incumbit, tamen hæc illius

illius impetus motusque persentiscat. usque adeo, ut fortior imaginatio membra subito distorqueat, numerum, situm, figuram partium pervertat, vibices tenello corpori imprimat, cœteramque fabricam mutilet ac deformet. Hic ignorare puto sapientissimos, qui fiat, ut impressa phantasiæ coloris aut partis monstrosæ sola species & imago, verum stabilemque colorem deformitatemque imprimat embryoni, & opus edat, causa sua, ut videtur, nobilius. Quam quoque stupenda est, Auditores, somniorum generatio. Feriantur sensus, feriatur ratio. viget tamen phantasia & portentosis se spectris vel oblectat, vel terret. Dormit causidicus, & apud se causas agit. dormit Imperator & pugnat. dormit nauta & decumanos fluctus vitat. dormit mercator & pecunias numerat. Et quanquam imaginatione hæc fiant, tanta tamen ejus est fiducia, ut mendacio juvet somniantem, & se somniare neget tunc, cum somniat maximè. Hæc ditissimos nos facit, cum habemus nihil: reges, cum imperamus nulli. cubamus in reginarum thalamis, positi inter sues. ostro villisque pretiosis induimur, pannis annisque obsiti. ut non mirer, indignatum valde fuisse Mycillum Lucianicum, quod aureum & dives somnium galli cantus abrupisset. At quoties ineptire vult, & ridicula esse in melancholicis, quid non persuadet miseris. Hic se vitreum credit, metuitque sibi sollicitus ab astantibus. Ille ranas in ventre coaxantes se audire jurat. Alter se granulum hordei esse arbitratur, timetque, ne gallinæ pabulum fiat. Est, qui montes sibi incubantes sentit, & sub tanto onere dum gemit, jacet immobilis. Apud Trallianum muliercula, cum se digito totum orbem

orbem geſtare affirmaret, auſa non fuit illum inflectere, verita ne tota mundi machina laberetur. Iam vero videtis, nihil morti tam eſſe ſimile, quam ſomnum. atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem ſuam. multa enim, quoniam remiſſi ac liberi ſunt, futura perſpiciunt. ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cum plane ſe corporis vinculis relaxaverint.

Præter ſenſus, etiam Appetendi vim nobis largita eſt divina providentia. Quam ſi cum ratione compares, manifeſtum erit, unam eandemque animam ſecum bellum gerere: unam eandemque imperare ſibi & dicto parere: idem fugere & proſequi: damnare & probare. Omnis lucta duorum eſt. omnis pugna plurium. Anima noſtra licet una ſit, ſecum pugnat. videt meliora probatque, deteriora ſequitur. aliud illi cupido, aliud mens ſuadet. eademque eſt, quæ ſuadet, & cui ſuadetur, diſſuadet, & diſſuadetur. In bellis inauditum prorſus, eundem eſſe victorem & victum. eundem triumphare & in triumphum abduci. Anima vincit, anima vincitur. Anima triumphat & refractariam cupiditatum turmam, hoc eſt, ſeipſam, in triumphum abducit. In foro differunt, actor, reus, judex, forum, arbiter, teſtis, lictor. Anima noſtra omnia eſt. eadem accuſat ſe & accuſatur. abſolvit vel condemnat. eadem inter rationem & turbulentos affectus arbitra eſt. nec ad aliud forum provocat, quam ad ſeipſam. nec aliis teſtibus eget, quam ſeipſa. nec alio lictore aut flagello, quam ſeipſa. In ſcholis diſputant partes. diſputationem moderatur præſes aliquis. Animus noſter ſecum diſputat, & modo rationem, modo obluctantem ſenſum diſputantem

tantem audit, & utrique pro arbitrio præsidet.

Appetitui comes it ea animæ vis, qua loco movemur, qua currimus, saltamus, brachia pedesque jactamus. Sed illud mihi expediat, quisquis fiet ille Sophorum: qua ratione necessum sit imperio voluntatis, quæ in sublimi est, nec cum corpore communicat, moveri extrema infimasque corporis partes: vel qua ratione, & quibus apparitoribus mandata mentis deferri possint momento ad membra remotissima. cum nec membra hæc, nec spiritus internuncii aut mandata capiant, aut mandantem norint. Volo currere pedes? currunt. quiescere? quiescunt. loqui linguam? loquitur. silere? silet ocyus. at qui meus pes intelligat capiatque jussa voluntatis, plures mecum nescitis. Quin illud omni sapientia humana majus est, quomodo pulsantes citharam digiti, pari motu celerrimas cogitationes assequantur, ut nec à mente digitus, nec à digito mens relinquatur.

Atque hactenus ea prosecutus sum Animæ officia, quæ vel cum plantis, vel cum cæteris animantibus nobis communia sunt. Nunc divinissimam animæ particulam, qua homines sumus, perpendamus. Hoc primo eximium & excellens est in homine, Animum immortalem esse in domicilio mortali: sine materia in materia: expertem corruptionis in corpore corruptibili. Disserit de morte, mori nescius. disserit de morbis, morborum ignarus. verberat, lædit, vulnerat, necat, nec ultorem metuit. Quo morti propius corpus, eo ille vivacior. quo magis illud extabescit, eo ille erectior. Patitur corporis exuvias concuti, organa labefactari, nec de abitu, nisi destructo corpore, cogitat: Bibit Socrates cicutam, quam anima in

im-

immortalitatis vertit medicamentum. Contusus fuit in mortario Anaxarchus. non, inquam, Anaxarchus, sed follis Anaxarchi. Anima Catonis inter ruinas publicas recta stetit, & licet legionibus custodirentur terræ, classibus maria, invenit tamen, qua exiret. Cum lectulo affixus esset æger Vespasianus, erexit se anima, & Imperatorem voluit stantem mori. Cum Thraseam Pætum destitueret vigor corporis, de natura sua, & spiritus corporisq; dissociatione, inquirebat Animus. Cum fugiente sanguine deficeret Seneca, anima de se, de republica, de iustitia, patientia, ad stuporem disseruit, & constantibus exemplis se aliosque munivit. Irruente in Ciceronem Popilio, valedixit corpori dissertissima anima, & de se secura feriri jussit cervicem. Cum piorum corpora exucca sunt & putrida, animus ultra cœlos sibi rapi videtur, & inter beatos vivere. Destruunt ignem aquæ, aquas ignis. Viventium alia his, alia aliis modis intereunt. Anima sola in terris hostem non habet. Cum corpore conspirat, nec tamen illi incolumitatem suam debet. Spiritum non metuit, quia ipsa spiritus est. Si qua inter animos hostilis decertatio est; non in animæ, sed corporis destructionem noxamque dirigitur. aut, cum doctorum animæ disceptant, emergit ex hoc conflictu clarior veritas. Modum quoque corruptionis nescit. non illum, qui corporum est., nec enim corpus est. non illum, qui accidentium est, cum sit substantia. non illum, qui est rerum à materia dependentium, quia in materia operatur & tamen sine illa. non illum, qui est rerum à generante perpetuo emanantium, quia à solo Deo creatore dependet. Septem orbis miracula tot retro seculis suspe-

xit orbis. At eadem vel ſolo æquata ſunt, vel æquantur indies. Nihil immortale manus mortales fecere. Animus licet eſſe incipit, eſſe non deſinit. Mundo interitum ipſe mundus minatur. inveteraſcet cœlum, colliqueſcent elementa, in confuſionem forte primaſque tenebras omnia redibunt. Anima fatis exempta, quia æterna cogitat, æterna appetit, mortalitatis & immortalitatis diſcrimina novit, quia in futurum longe videt, vivit æternum. Si fauces nodus conſtringat, ſi lapſus comminuit caput, ſi jugulum ferit mucro, inter ipſas latronum ac ſicariorum manus, anima elabitur. In Ætnam cum Empedocle incidit, nec uritur. in voragines ſe mergit, nec mergitur. & toto licet Oceano obruatur, evolat ſoſpes, nec ſuffocatur. Loquitur anima Martyrum in mediis ignibus & Deum innocentiæ teſtem invocat. præſciſſo linguæ plectro, hymnos modulatur mens. quin terris defoſſa, cum hoſtes ſuos increpare nequit, pro hoſtibus ſuis orat. Dicebat olim Zeno, malle ſe videre Indum conſcendentem rogum; quam quoſvis philoſophos audire de animæ immortalitate diſputantes. Quid vos ſentiatis neſcio. Ego, ut immortalitatis animæ ſententiam firmius imbibam, malo videre Paulum decollatum, Petrum inverſo corpore pendentem, Bartholomæum excoriatum, Laurentium in cratere jacentem ſpe immortalitatis, quam ea legere, quæ à Platone in Phædone, vel à Cicerone in Tuſculanis, vel à Thoma, Scoto totaque Scholaſticorum turba de animæ Immortalitate eruditè diſputantur. Quod ſi quando ſeducta mens fiduciam immortalitatis excuſſerit, tamen ubi ſuprema hora adventaverit, è veterno expergeſit, iiſque ſe cogitationibus occupat,

pat, quæ immortalem eam esse evincunt. sive metuat Deum, quem offendit: sive conversa in melius, speret sibi lenem. Ita aliam vitam jam tum præsentiunt, quam futuram ingenii temeritate negaverant. At grande illud est naturæ portentum. in eadem animæ parte languere nutritionem, languere sensum, motumque; vim vero rationalem integram manere. quæ tamen, ex mente Aristotelis, in quavis est animæ parte, etiam illic, ubi male videt oculus, & difficulter respirat pulmo. Si in Mentis rationisque penetralia admitti vultis, rerum mirabilium adspectu vos obruam. Si in voluntatis sacraria, abyssos videbitis. Si utriusque nexum mutuaque obsequia, ignorantiæ mecum eritis & silentii professores. In plantis arboribusque observamus occultum aliquid, quo crescunt, florent, fructum ferunt. At nihil tale, quo sciunt se crescere, florere, fructum ferre. In brutis, præter illa, observamus principium sensus motusque, nec non aliud, quo cognoscunt se sentire & moveri. At nihil tale quod supra sensus se, ac singularia, materiæque conditiones elevet. In Homine veneranda Dei filia Ratio elucescit, quæ non solum scit se scire, adeoque supra seipsam reflecti potest, & causæ causam longa serie investigare, verum etiam res rebus abstrahit, hominem Petro, equum Bucephalo, nec tamen eas divellit aut multas facit. Eadem, per ea, quæ videt, penetrat in ea, quæ non videt. per ea, quæ non sunt, intelligit ea, quæ sunt. per ea, quæ crassa sunt & feculenta, percipit spiritualia. per composita, indagat simplicissima, & per rerum finitarum conceptus, absorbet infinitum, & ab eo absorbetur.

Corpora certis dimensionibus constant. nec

capiunt quicquam, quam quod quantitate ipſis reſpondeat. cumque operantur, potentiam termino finiunt. Mens noſtra majus aliquid corpore eſt, nec tamen extra corpus eſt. & licet eſſentiæ terminis in corpore circumſcribatur, virtute in immenſum abit. omnia capit, præter Deum & ſeipſam. cœlos & terram complectitur, nec de anguſtia queritur. Quamvis maximæ ſint res; ſtant cum parvis in mente. quamvis multæ ſint res, alias admittit. Quo plura habet, eo plura appetit. quo impletur magis, eo ſe expandit magis. quo plura ſcit, eo plura ſe ignorare diſcit. Tot artibus, tot diſciplinis locum dat, nec deeſt novus. Materia formam recipit unam. intellectus noſter innumeras. Idem dum in corpore eſt, etiam alibi eſt. & licet loca climatibus diſtent, momento eſt in pluribus. Vix juſſeris eum ire ultra Sauromatas, & jam confectum eſt iter. Vix domum revocaveris, & jam domi eſt. montes ſcandit & ambulat in vallibus. montibus deſcendit, ſtatque in cacumine. Verſat ſe & vagatur quaquaverſum, immobili licet corpore. Tanta vero ejus in agendo velocitas, ut in centro poſita per cœlorum ambitus & horribilia ſpacia feratur. tanta ejus perſpicacia, ut clauſis oculis videat acutius, & oppletis auribus audiat ſe loquentem melius. tanta intelligendi vis, ut quo feratur, unde venerit, in quem exitum tandem tantus mundi apparatus properet, proſpicere probabiliter poſſit. Reliqua, quotquot in natura ſunt corpora, diſtinctis bonis gaudent. animus omnibus. & cum nulla re alatur, vivit omnium contemplatione. Totus hic mundus illi pro alimento eſt. nec tamen ſatiatur unius cognitione. quærit infinitos in

Luna,

Luna, Sole, stellisque reliquis, aut plures invenit: aut, quod puto probabilius, invenisse se somniat. Mirata est superior ætas Saporem regem Persarum, qui Sphæram construxerat, tantæ magnitudinis, ut ipse in centro sedens, circumquaque picta stellarum lumina adspiceret. Quanto majus illud est: animas nostras sedere in totius Vniversi puncto, & circum se oculis animoque Planetarum orbes ac late patentis Firmamenti convexa tueri. Amplius. pertinax inter res contrarias est pugna. æterna in animantium & plantarum genere odia deprehenduntur & inimicitiæ. Hæc omnia in mente coalescunt, & coëunt placide. Intellectus, inquit Aristoteles, fit id, quod intelligitur. Ergo, illuc cum calore frigus, cum recto curvum, cum pari impar numerus amice oberrat. illic lupus ovi, capra leænæ, lepori canis it comes. Marium & Syllam cogitat, exutis odiis. Pompejum & Cæsarem sine æmulatione. Achillem & Agamemnonem, sine maledictis. Quæque extra nos se invicem destruunt, specierum & imaginum ope, in nobis veluti sororiant. Illud in sensibus experimur, eos vel vehementiore luce, vel sono, vel calore lædi. Visum nec videre nimis propinqua, nec de remotis recte judicare. Menti nihil tam lucidum, quod non eam perficiat magis. nihil tam acre, quod non cernat lubentius. nihil tam propinquum, quod non videat facillime. nihil tam remotum, quod non apprehendat distincte.

Vnum est, quod sine stupore referre non possum: Mentem humanam adeo rebus sublimibus intentam esse posse, ut sensuum omnium vitæque functiones deserat. jacet mortuo similis contemplator, & dum in ecstasin rapitur

anima,

anima, riget consistitque corpus, tanquam catalepsi correptum. Hoc Platoni, Socrati, Trismegisto accidisse ferunt. De Socrate refert Alcibiades in Convivio, eum aliquando uno gradu, uno loco, diem & noctem stetisse. cogitabundum, cibi, potus, somni & Xantippes suæ immemorem. Meminit Augustinus Presbyteri cujusdam, à nomine Restituti, qui, quoties vellet, adeo se auferebat à sensibus, ut non solum vellicantes & pungentes minimè sentiret, sed aliquando ignibus admotis ureretur, sine doloris sensu.

Sed quis Oedipus illud assequetur? in eadem anima, ut docet Stagirita, mentem esse duplicem. Vnam Patientem, quæ species recipiat; intelligatque: unam vero Agentem, quæ faciat, ut illa intelligat. Illam se habere ad modum coloris illustrandi. Hanc esse instar lucis illustrantis. illam corruptibilem esse, & à corpore inseparabilem: hanc incorruptibilem & separabilem: illam cum semine traduci: hanc forinsecus ingredi. Cæcutio ad hæc Peripateticorum fulgetra, tanquam noctua & talpa ad Solis facem.

Altera Animæ humanæ facultas Voluntas est. In ea admiratione digna sunt, agendi modus, libertas, imperium. Agendi modus istiusmodi est, ut nec corpore utatur pro instrumento, cum honestum appetat: nec appetendo satietur, nisi cum Deo fruitur: nec in præsentia solum feratur, more sensuum, cum etiam illa, quæ in terris sola spe possidentur, desideret. Reliquas in natura causas Deus mera agendi necessitate adstrinxit. Sola voluntas actionis suæ, quanquam sub Dei moderamine, arbitra est. Non cœli aspectibus terretur, non elementorum conflictus

horret,

horret, non vi, non suasionibus invita à proposito demoveri potest. Inter flagra, uncos, cruciatus exquisitissimos, pergit velle, quod vult, nolle, quod non vult. Ab uno Deo se flecti patitur, quem unum creatorem agnoscit. Est & hic aliquid, quod acutissimos Philosophos torquet. quomodo voluntas Intellectum ducem sequatur, quomodo inter honestũ & inhonestum eligat, & tamen quid honestum, quid inhonestum sit, ipsa ignoret. scire quippe intellectus officium est, non voluntatis. Nec minus illud vexat magnas mentes: quomodo voluntas, quæ instar bilancis in utramque partem vergere nata est; sibi & trutina sit & lanx & pondus, ipsa velit, & se faciat ultimo velle, ipsa se determinet, & determinetur. Quæ enim hic intellectus sunt partes, suadentis sunt, non determinantis. Imperium videte. tale illud est, ut nullum sit aliud, quam rationis & voluntatis, sive imperium exerceat in nobis, sive extra nos, in alios. Cum intellectu imperium dividit, dispari licet jure. Nam illi cum imperat intelligendi locum, tempus, argumentum, paret ratio, servorum exemplo, nec refragari audet. Vicissim, cum intellectus jussa audit, paret civium exemplo, qui refragari subinde sustinent. Quod si insurgat contra rationem non una cupiditas, etiam hic fasces suos ostentat regina voluntas, & ea fugit, quæ male expetimus: aut ea expetit, quæ male fugimus. Sed vim, qua loco movemur, servilius habet; nec respuere sinit imperium partes ad servitium natas. Imperium, quod in alios exercet, non aliis terminis, quam quibus Universum, terminatur. Non aliam dominam agnovit Assur, Persa, Græcus, Romanus. Quæcunque de imperiis veterum & recentiorum legimus, volun-

nntatis imperia fuere. Hæc illa est Asiæ & A-
ricæ dominatrix in Philippis, hæc Galliarum
mperatrix in Borboniis, hæc Gothorum Van-
lalorumque princeps in Gustavis. Hæc jura di-
it Cimbro in Christianis, Adriam sibi subdit
n Veneto, utrumque orbem nuper cum His-
ano partiri voluit in Batavo. Nullam aliam
mperatores potestatis suæ agnoscunt formu-
am, quam potentissimum istud, SIC VOLV-
IVS. Et quæ est illa res? vis animæ est. &
uantula illa est res anima? si in toto homine
st, sex non raro, aut minus, pedum res est. Si
n capite, non unius. si in corde, vix digiti, si
n cordis ventriculo, vix semidigiti magnitu-
linem habet. Imo si Philosophis quibusdam
redere vultis, instar puncti est indivisibilis. Er-
o tantilla res est, quæ orbem omnem turbat,
eges collidit, regna, arces urbesque subruit.
Cum exercitus concurrunt, cogitate inter se
ugnare millena aliquot punctula, aut aliquid
is non multo majus. Corpora enim nihil mo-
or, quæ animæ sunt, quod cochleæ est testa.
Cum inter se contenderent Ajax & Vlysses,
Annibal & Scipio, Arminius & Flavius, cogi-
ate perorasse res minimas de rebus maximis.
Tantillæ res sunt, quæ in templis religiose con-
ionantur, in curia disertissime litigant, in foro
ubdole mercantur, suaviter epulantur in con-
iviis, amant in lectulo procaciter, in agris
odiunt serviliter. Tantillæ res sunt, quæ pirati-
am exercent in pelago, adulatoriam in pala-
io. Tantillæ res in scholis cum Socrate dispu-
ant, cum Carneade dubitant, cum Epicuro
uiescunt, cum Stoicis graves sunt, cum Cyni-
is sordidæ & abjectæ. Breviter, animula nostra
st, quæ histrioniam hic agit. quę Ninos, Cyros,

Alexandros, Cæsares, Attilas, Totilas in scenam produxit, magnos fabulæ humanæ Davos. Qui naturæ secreta rimantur, ad magneticam vim extra se rapi videntur. At in anima omnia mirabiliora. Magnes similibus polis magnetem fugit, dissimilibus amplexatur, cum natura universa similes sibi res amet, fugiat dissimiles. Anima hominis, quod majoris est operæ, & similem sibi amat, cum vult, & inimicissimos, cum pia esse vult. Idem lapis majorem vim trahendi ferro largiri videtur, quam habeat ipse, cum paradoxum sit, causam dare, quod non habet. Anima vero movet, nec movetur; lædit, nec læditur; cogitat æterna, principii particeps, cogitat infinitum, cum sit finita. Vis magnetica, ubi ferrum occupavit, pro vario ad terram situ, nunc Borealis est, nunc Australis. Diceres ludere in lapide dæmonium aliquod, & homini illudere. At quid anima nostra? nonne cothurnus est? simulandi dissimulandique peritissima? modo facilis, modo difficilis, modo honesta, modo improba, modo Tros, modo Italus, tota Protheus, tota Polypus, tota panagæa Diana. Illud postremum miror, ut tandem desinam mirari, eandem animam, post tot exantlatos in corpusculo hoc labores, solutam tandem isto carcere æternam vitam agere. Tunc alibi vivere, sed liberius: tunc intelligere, sed plenius: tunc scire, sed certius: tunc appetere, sed sine luctu expeditius. Quam illud est arduum & generosum scitu: superesse adhuc Lælíorum, Scipionum, Camillorum, Regulorum, (quanta nomina) animas. Vna forte esse animam Antonii & Ciceronis, Fulviæ & Terentiæ, Tiberii & Germanicorum, Alexandri & Parmenionis. Occursare alicubi animam

Senecæ Neronianæ, sed sine ira: animam Elvidii Domitianæ, sed immemorem injuriæ paternæ: Caligulæ Syllani, at sine novacula: Claudii Agrippinæ, sed sine boleto & pinna. De hoc animorum post mortem statu audite loquentem Tullium: *Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo, quia ille longius videt & cernit se ad meliora proficisci: hic quia hebetior est, illa non videt. Equidem efferor studio Paulos & Africanos, quos colui & dilexi, videndi: neque vero eos solum convenire aveo, de quibus cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi ac legi, & ipse conscripsi. Discedo ex hac vita, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem, quum in illud animorum concilium, cœtumque proficiscar, & quum ex hac turba & colluvione discedam. Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior.* Hactenus Cicero.

Intellexistis, A. O. admiranda animæ, ejus majestatem, originem, potentiam, immortalitatem. Habent ineffabile aliquid Theologi, creationem, resurrectionem, aliaque. Habent ineffabile aliquid Medici, causas puta periodicarum febrium. Habent ineffabile aliquid Mathematici, divisionem lineæ in infinitum & circuli quadraturam. Habent arcanum quid Politici, reconditos Principum sensus. Nobis Physicis ineffabilis est ille, de quo verba fecimus, Animus. Quamobrem, nolite admirari ea, quæ suspicit vulgus. non divitias, nam fluxæ sunt. non domos splendidas, ruinosæ sunt. non servorum agmina, quia fallaces sunt. non cur-

rus & phaleratos equos, quia discerpent vos. Transeunt ista, nec possidentur diu. Animam suspicite, mole exiguam, virtute maximam, origine cœlestem, duratione perpetuam. quæ si virtute fulgeat, fulget semper, si scientia splendeat, splendet semper. Hæc propria nostra dos est. hæc peculium. reliqua fortunæ sunt bona & hostium. Animam stupete, quæ felix est cum infelix habetur; potens, cum impotens; dives, cum paupercula creditur. cum sorte sua contenta est, cum sapientia se implevit; ingens fit animo, plena fiduciæ, major invadente. Animam suspicite, quæ si sceleribus locum fecit, pessima res est; si pietati, si probitati, optima. Sunt, quorum oculos præstringit ambitio. Sunt, quibus luxuria pro portento est. Sunt, qui in agris ædificant, & turres turribus imponunt, ut mirabiles habeantur. Ab animo hæc sunt fateor, sed sapientiæ veteris ignaro. Sapientis anima excrementa illa putat mundi, non ornamenta: vomitum ebriæ cupiditatis, & saginam inutilem insatiabilis avaritiæ. Sapientis anima majoris æstimat Solem meridianum, quam fastum Pellæi juvenis. Vbi de aqua & polenta prospexerit corpori, Iovi de felicitate controversiam movet. Cum, vitæ integra, manum ad stipem porrigit, non se miseram credet, dummodo virtutem possideat. cum laceris vestibus occultatur, provocat purpuratos. nec enim decus suum aliis, sed sibi debere cupit. cum cervicem in fœno, vel lapide reclinat, quia nullius sibi culpæ conscia est, dormit suaviter, & culcitras regum & Circense tomentum fastidit. Nullum diem execratur, sed acerbum patientia mitigat, prosperum animi moderatione castigat. Animam stupete, sed ut

Crea-

Creatorem stupeatis magis. qui licet divinitatis suæ luculenta documenta ostendat propalam, in Animæ creatione (sit venia dicto) seipsum superasse videtur. Revereamini ejus sapientiam, quæ in re tam pusilla, tenui forte aurula, inexplicabiles virtutis suæ thesauros deposuit. Revereamini ejus potentiam, qui tot malis septo, impetito, vexato, fracto corpore, à mortalitate cœleste hoc depositum vindicat. Revereamini ejus bonitatem, quæ soli animæ imaginem divinæ suæ majestatis impressit, nec nisi ab illa cognosci, coli, adorari voluit. Si quis adhuc Diodorus est, vel Protagoras, illo ore Deum esse fateatur, quo loquitur anima. Si quis adhuc Epicurus est, illo ore Deum nos curare agnoscat, quo adversus providentiam philosophatus fuit. Ille demum anima mihi præditus videtur, qui hos in fines habet: veritatis virtutisque studium, Reip. Ecclesiæque bonum; & Dei gloriam. Alios in fines qui vivit, cum vita animam perdidit. Talem ergo vobis Auditores animam opto, quæ pia sit, sobria, temperans & Religionis Christianæ præceptis abundet. Magistratibus talem optem esse, qualis fuit Fabriciorum, Curiorum, Fabiorum pro republica. Ducibus talem, qualis fuit Epaminondæ, Themistoclis, Phocionis pro patria. Civibus talem, qualis fuit Thrasybuli, Agesilai, Arati pro libertate. Judicibus talem, quæ Zaleuci æquitate temperet Manlianam severitatem. Sacrorum administris talem, qualis fuit sanctissima & juxta prudentissima anima Tharsensis Apostoli, quæ facta est omnibus omnia, ut aliquos Christo lucrifaceret. Medicis animam precor, Hippocratica sapientia plenam, quæque non minorem pauperis animulæ, quam opu-

lentæ curam habeat. Mercatoribus animum Solonis, qui cum mercatura Sapientiæ studia jungat, & hoc sollicite caveat, ne animam debeat. Militibus animam voveo, qualis fuit in Sicinnio Dentato, quæ non patiatur unquam animum cadere in pedes. Studiosis animum Æschynis, gratum erga præceptores, quique studiorum tædia nominis immortalitate soletur. Mihi denique eum animum, qui Remp. hanc florentissimam, Proceres optimos, Cives humanissimos, eruditissimam hanc Iuventutem, & Vos, quotquot adestis, omnes & singulos amare & colere æternum perseveret.

DIXI.

Habita fuit cum libr. Aristotelis de Anima auspicaretur. Anno 1635.

ORATIO DE COELI ADMIRANDIS.



On ita diu est, A. O. quod de Animæ humanæ Admirandis apud vos verba feci: quam recitationem quia pronis benignisque animis excepistis, eadem, qua tunc, fiducia in coronam hanc prodeo, de Cœlo dicturus. Libet saltum facere, & ex tenebricoso hoc & fanatico terrarum specu, ubi tumultuantur mortalium mentes, & inter tot vitæ ærumnas & labores palabundæ errant, transvolare in mundi suprema, quibus originem suam ac natales debet Anima. Etenim sapientissimus rerum opifex, cum hominem condere vellet, animo luti vel vilioris argillæ particulam apposuit, & res dissociabiles mirabili temperamento vinculoque

nexuit.

nexuit. Eunt una, & illud quod oculos fugit, & illud, quod incurrit. Eunt unà immortalitas mortalitasque, æternitas & tempus, vicissitudo & constantia, cum carne abjectissima res dignissima spiritus. Ipsi simul & hospites nostri sumus & domicilium; ipsi carceres & captivi: ipsi folles, & venti. parte tenus Dei, parte tenus hominum, parte tenus Cœli, parte tenus terræ filii. Loquar efficacius: *Sileni Alcibiadis sumus*; foris nullius, intus quantivis pretii: foris despecti, intus admirabiles: foris profani, intus sacri prorsus & venerabiles. Si ex corpore æstimemur, vix valemus asse. Si explicemur, sub exuviis grandem thesaurum, sub mortali cortice pretiosum, sublime, excellens depositum occultamus, Animum nempe, rerum omnium, pro quibus cæteri mortales sudant, currunt, litigant, belligerantur, contemptorem, omnis fortunæ, omnium malorum, etiam mortis, invictum domitorem. Atque hinc duplex nata cura mortalibus. Vna corporis, sive, ut Plato loquitur, hominis exterioris. Altera animæ, sive hominis interioris. Ille sibi suisque cupiditatibus, hic bonæ menti laborat. Ille potiones cibosque percolandi sordidum instrumentum est, hic non nisi invitus cohabitat. Ille, dum calet sanguis, aut meretriciis Sirenum oculis detinetur, aut gulæ dicit sacramentum, aut publico favori adulatur, aut vindictæ studio contabescit, aut inter conatus magnos & improbos languescit. Hic quicquid tranquillum, tutum, sacrum ac eximium cogitat. Ille cœlo relicto pronus terram mordet. Hic solo relicto alta respicit, & quia cœlestium ordini inseri cupit, veritatis ac honesti se studiis occupat, nec acquiescit, nisi naturæ se co-

gnitione totiusque Vniversi ingentibus miraculis impleverit. Vita, quæ inter curas suas moritur, corporis est. At animi vivit magis gliscitque. Illa oscitanti similis & marcescenti, quicquid vitæ est, amittit. hæc præstantissimarum rerum consummatione annos ad veram sapientiam extendit, & tunc se beatam putat, cum originem suam cogitat. Equidem nihil homini excellentius, quam eo redire, unde profectus est, eo reflecti perpetua animi agitatione, unde descendit pars nostri melior. Dixi causam, propter quam Plato mortem se meditari dixit, quoties de rebus cœlestibus, divinis & à terrenarum sordium colluvie semotis philosopharetur. Qui auri argentique saburræ toti incubant, maria & montes lucri spe trajiciunt, qui jactis in altum molibus æquora, flumina, lacus in arctum compellunt, hoc impense agunt, ut animum corpori mancipent & carceri suo arctius alligent. Qui vero cœlestia speculatur, mortalitatem suam transilit, & velut à longa peregrinatione domum redit, ab exilio in patriam, à servitute in libertatis regnum, tantoque à corpore secedit longius, quanto Superis est vicinior. Quoties disputationes Sapientum ad censum revoco, ex infinito controversiarum numero tres optimis appono. Earum prima Animæ naturam investigat. Secunda cœli secreta. Tertia actionum humanarum finem. Postrema hæc de Beatitudine agit. Prima de Beatitudinis possessore. Media de beatorum sede & habitaculo. Duæ priores speculantis sunt. Vltima hominis in actionem intenti. De prima quoniam nuper disserui, de media, quæ Cœlum attinet, jam dicam. Quamobrem ferias indico Curiæ, templis, scholis, foro. Cessare volo Curiæ strepitus,

pitus, & tria illa verba diebus nefastis pronunciari vetita. ratio est, in cœlo sumus. ubi civibus præmia dantur, non præcepta. Cessare volo à formandis moribus templa. ratio est, in cœlo sumus, ubi non discitur pietas, sed coronatur. Cessare volo Scholas ferulasque tristes, sceptra pædagogorum. ratio est, in cælo sumus, ubi manum ferulæ totque calamitatibus subduximus. Cessare volo fori jurgia. ratio est, in cœlo sumus, ubi debiti nomina expuncta sunt omnia, nec à creditore differt debitor, à judice reus, à patrono cliens. Cum publica Encœnia indicta sunt civitatibus, venia fit obæratis, & veluti libertate donati in foro securi ambulant, qui eodem pridem cesserant. Et cum de cœlo philosophamur, inter medios siderum ordines gradimur, nubium, tonitruum, fulminumque stationes supervehimur, cum Lunam ipsam vicissitudinum matrem sub pedibus calcamus, nonne improbum fuerit, detineri animos vestros hujus vitæ ministeriis, & in cœno quotidianarum occupationum volutari?

Age ergo, Anime mi, enarra gloriam Dei, & opera manuum ipsius. aperi, quicquid stupendum & ineffabile summa pars mundi habet: Dic: an ab omni retro æternitate exstiterit cœlum, an cœperit esse; an interiturum sit hoc, quod oculis usurpamus, sublime mundi theatrum, an permansurum semper: Dic: quam immanibus spatiis circumscribatur amplissima machina, quamque ingenti intervallo terram adspectet: quid grandes istos fornices sustineat libretque: An mundus stante terra circumeat; an mundo stante, terra. Dic, quantis cursibus incitetur hæc moles, ut volare mundus, non moveri videatur, Dic cœlorum ordinem, con-

ſtantiam, pulchritudinem, figuram, vim horribilem, & occultos in inferiora hæc agendi modos. Hominis eſt, ſupra hominem & humana omnia ſe erigere. Hoc divinitatis in nobis certiſſimum argumentum, quod divina nos delectant. Hoc futuræ immortalitatis documentum certiſſimum, ſcrutari immortalitatis domicilium, non tanquam alienum, ſed ut noſtrum. Vos A. dum de his loquor, ſilentio favete & vultus, tamquam ad rem ſacram acceſſuri, ſubmittite. Nunquam nos verecundiores eſſe debere, ait Ariſtoteles, quam cum de Diis agitur.

An Cœlum ab æterno exſtiterit, an in tempore conditum fuerit, non una eſt Philoſophorum ſententia. Primi omnium Peripatetici, & hos ſecuti Averroes, Simplicius, Proclus, Avicenna, dum in cœli conſtantiam, durationem, immutabilitatem oculos intendunt, æternum illud dixere. Neque enim veriſimile ipſis videbatur, Deum ab æterno domicilio caruiſſe, aut ſera creatione domicilium ſibi tandem, quo reciperetur, condidiſſe. At quotquot præceſſere veterum, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Meliſſus, Plato, aliique, ſive rationibus è natura petitis edocti, ſive Chaldæorum, vel Ægyptiorum traditione perſuaſi, cœlum creatum dixere, nec fuiſſe ſemper. Gravis quæſtio, & digna, in qua ſe mens humana exerceat. Non arceſſam longè rationes, quibus evincam cœli principium. Ipſum pro me loquatur cœlum, & in expedito res eſt. Moveri cœlum omnium unanimis confeſſio eſt. Quanquam enim de motu ſtelliferi orbis, tum etiam Solis, controverſia ſit, Planetas tamen reliquos moveri, apud omnes in comperto eſt. Quod ſi movetur,

vetur, principium habeat necesse est, & motus, quo movetur, & spacii, per quod movetur, & temporis, quo motus mensuratur. Periodum motus cœlestis vel horarum, vel dierum, vel mensium, vel annorum numero definimus. si annis, deveniendum ad primum. si mensibus, ad primum itidem. si diebus, erit horum aliquis primus. si horis, & hic incipiendum à prima. Nec me movet, si horam horæ, diem diei, mensem mensi, annum anno præivisse dicas infinita serie, & temporis novi successione ab æterno fluxisse horas, dies, menses, annos. Quomodo enim plures vel horæ vel dies successione possunt esse æterni, cum singuli incipiant, singuli desinant? Vnius mors, alterius est nativitas, & vita unius, progressus ad mortem alterius. Nullum ergo totum æternum, cujus partes singulæ nascuntur & pereunt, & finitæ sunt. Quæ singulatim originem agnoscunt, quomodo, si in unum omnia colligas, æterna esse possunt? Et quis quæso ille dies fuerit, quem æternitas salutabit? quæ illa hora, quæ æternitati comes ibit? Vultis res fine & principio circumscriptas, qualis est dies, hora, mensis, concurrere æternitati? At hoc est res non æternas facere æternas; sempiternum dicere, quod incipit: & semper fuisse, quod desiit esse. Non potest non semper esse, quod semper fuit. inseparabilis est ab æternitate immutabilitas. nescit interire in tempore, quod se ab interitu vindicavit ante omne tempus. Motus cœli circumactio est & gyrus. at gyrus à puncto incipit. non secus ac circini circumductio à puncto ad punctum definito spacio & duratione completur. Non moror, quale punctum, aut ubi designes, modo motus terminos suos ha-

beat, & carceres, unde incipit, & metam, in quam desinit. Ponite terminos, hinc Orientem, inde Occidentem. Quæro, an Sol ab æterno curriculum suum absolverit inter hos carceres & metam hanc, finito tempore, an infinito? Si finito, quomodo motus ab æterno? nec enim ex finitis temporibus unquam exsculpas infinitum. uti si numeris finitis superaddas finitos, summam nunquam colliges infinitam. Si infinito, qui fiet, ut in spatio finito, quod Orientis ac Occidentis terminis clauditur, hæreat Sol infinito tempore? Nec infitias ibitis, si cœlum moveri dicamus ab æterno, potuisse Deum ad singulos circuitus & dies creare Angelum vel substantiam permanentem. quam si creasset, in hunc usque diem Angeli erunt infiniti, cum infiniti præcesserint dies. At infinitum numerum revera dari impossibile. Vel enim Deus illum Angelorum numerum in numerato habet, vel non habet. Si non habet, poterit Deus condidisse, quæ non poterit numerasse. Si habet, aut numerus ille erit par, aut impar. Si par, finitus; si impar, finitus. Mussitat non nemo vestrûm, ea ratione motus & dies æternos præcessisse, qua ratione motus & dies futuri in æternum extendi possunt. At non eadem ratio futuræ & præteritæ durationis. quod enim futurum est, potest esse, reapse nondum est. quod præteriit, fuit aliquando. Numeris dierum futuris addi posse novos, sine fine, nulla ratio negaverit, cum numerus augeri possit in infinitum. Numeros dierum præteritos anticipari posse ab aliis, sine principio, nulla ratio concesserit, cum nullus aut fuerit aut sit rerum numerus reapse infinitus. Causa est, Qui cogitationes in futurum intendit, hæret in iis, quæ

quæ ab aliis fiunt & dependent. Qui vero ad præterita retrospicit, in causas rerum se diffundit. quarum successio sine principio esse nequit, cum nulla agentis vis infinitum permeare & pertransire possit. At cœlum, inquies, moveri observo, omnibus ætatibus & seculis motum fuisse accepi. incœpisse unquam, desiisse unquam, non deprehendo. Itane, quia incepisse non vides, incepisse negabis? In te descende, quisquis es, ut te ipsum testem veri habeamus. Movetur, quo ad vivis, cor tuum, movetur pulmo, te vel dormiente, vel ociante, vel aliis rebus intento. nec propterea motus istos incepisse infitias ibis. Pueri, in sua quisque domo educamur, cujus initium non observavimus. num idcirco domos parentum ab æterno fuisse, vel non factas affirmabimus? Respondent quidam speciosius: substantiam cœli non incœpisse, at incœpisse motum. Audacter affirmo, nunquam fuisse cœlum sine motu. nec enim sui gratia conditum est cœlum, sed propter nos. Nullam ego me gratiam cœlo debere puto, nisi ob motum. hunc tolle, inutilis fuerit grandis ista fabrica, uti horologii nullus usus, cum quiescit. Collocate Solem, quocunque libeat cœli loco, immobilem; alteram mundi partem æternis damnabitis tenebris, alteram æterno donabitis lumine. una torrebitur æstu, altera rigescet frigore. in una sterilescent omnia horrendo gelu, in altera immodico calore. Sed pergamus detrahere authoritatem æternitatis assertoribus. Cœlum aut est totius naturæ primum, aut à primo; aut primo coexsistit. Si primum; Deus sit oportet & numen ipsum. At miseri mortales, vultis Deum instrumentum esse? & rotari circa vos homun-

ciones auguſtam numinis majeſtatem? Vultis toti Vniverſo potius præficere rectorem, vitæ, ſenſus, rationis expertem, quam mentem agnoſcere altiorem, quæ & ſapientiſſima ſit, & potentiſſima? Vultis jura dare homini rem homine ignobiliorem? corpoream & brutam molem imperare animis noſtris, qui ipſa cogitatione cœlos tranſcendunt, & aliquid cœlo dignius, majus, excellentius concipere valent? Quod ſi Deo æterno cœlum coexſtitiſſe vultis, pace veſtra quæram: quo jure gubernet cœlum? Caſu enim ferri nequit, quod movetur ordine, quod movetur eodem modo, quod movetur in aliorum uſus, nec turbari ſe unquam ſinit. Quod ſi gubernat, quo jure, inquam? Si enim ipſe mundum non fecit, Vel ab alio poſſeſſore accepit, idque vel commodato, vel vi, vel emptione, vel depoſito, vel locato, vel legitima ſucceſſione; Vel in vacuam & derelictam venit poſſeſſionem; idque vel juſſu, tanquam miniſter, aut ſervus, aut mercenarius à domino. Quicquid tetigeris, ulcus erit. Expecto, ut reſpondeant Iuriſconſulti, & gubernationis alium titulum comminiſcantur, præter Creationem. Atque hæc quidem Creatio omnium miraculorum primum eſt & maximum. Artificis ſub manu naſci ſtatuam, domum, menſam, minus miror. habet in quod agat, æs, lignum, ebur. Naturam è materia vitæ experte elicere animal, magis mirum. verum & hic agenti obſtetricatur illa ipſa materies. At Deum ex nihilo condidiſſe ſpacioſiſſimam cœli machinam, omnium pene rerum, poſt Deum, cauſam principiumque, omni humana admiratione majus eſt.

Proximum novæ admirationi locum dabit, cor-

corporum cœlestium Magnitudo, & terminorum mundi horribile intervallum. Terram intueamini, quantis hic spatiis populi diffident; Sarmatæ & Seres, Scythæ & Troglodytæ, Indus & Numida. quam longe sese ex adverso adspectant Antœci, Periœci, Antipodes. quam immane abest ab Istro Ganges, à Strymone Hydaspes, à Rheno Nilus, à Sequana Ganges. quæ tamen intervalla ne unius stellæ fixæ diametrum explent. Quot in cœlo numeratis stellarum minimas, toties universam terram, & maria, & montes & sylvas, cœlo contineri posse, credite. Inter animalcula, minimum est, quod vocant acarum. inter corpora, si pulvisculum, si milium, si papaveris semen dixeris, minima dixeris. at si in Solis corpore ponat divina & omnipotens manus Telluris molem, quæ inter nos ferro & igni dividitur, in qua navigamus, pugnamus, imperia per meridianos distinguimus; omnia hæc, sursum è centro adspectantibus, atomus erunt & milium. Si Darium illic cum quadringentis Persarum millibus occursantem Alexandro observes, Lynceus eris, si videbis pulvisculos, & pugnam, qualis fiet inter papaverum semina. Si Xerxem subrectis euntem vexillis in cœlo cogites, stratum navibus Hellespontum, si effusos veluti diluvio Cimbros Italiam obtexisse fingas, jurabis formicarum te discursum videre, & in angusto laborantium. Creditur Athos Macedoniæ mons ejus esse altitudinis, ut umbram in Lemnon projiciat. quem si in Solis loca transferas, ne tantillum nobis umbræ jaciet, ne quidem illi, qui in Luna positus, ad latus Menippi, Soli tanto erit vicinior. Absorbet Solis magnitudo, quicquid in terris est maximum. ipsius Solis magni-

magnitudinem plus millies abſorbet illud ipſum, quod Solem complectitur, cœlum. Hoc vero quia ab altiorum orbium complexu circuloque ambitur, creſcit ad miraculum corporum quantitas, ſpaciumque implet humanæ menti incomprehenſibile. Quod ſi magno Copernico credimus, tantum intereſt inter Stelliferum orbem, & Lunæ, Veneris, Mercurii, ac Solis domos, ut non ſolum hæc ipſa ſidera, inter quæ Sol centies ſexagies ſexies terra major eſt, ſed & corpora hos ignes deferentia, omni ſe quantitate exuant, & in eam gracileſcant parvitatem, ut punctulum adſpectantibus ſint, & pene nihil. Vos, qui bolide tentatis abyſſum maris, ſtupeſcite ad corporis, de quo loquor, terribilem abyſſum, cui metiendæ non ſufficiet vel tota Europa in funes torta. Vos, qui Romanorum imperium hinc Danubio, hinc Euphrate clauditis, qui è Septentrione modo in Occaſum, modo in Ortum vela dirigitis, per vaſtiſſimos fluctus, per hominum & Deorum iras ad aurum itis; vos qui Hunnorum regis potentiam Europæ Aſiæque finibus definitis: vos, inquam, cœli mihi ambitum & immenſos circulos enarrate. Omnia hæc regna imperiaque, Indiam & Æthiopiam, Bactra & Macedonas, Perſiam & Libyam cum cœli ſpatiis componite. Iam, qui in Occidentem vos trajeciſſe putatis, domi eritis: qui latiſſime imperatis, habitabitis anguſte: qui legatos è longinquo expectatis, videbitis domi coram: & quotquot eſtis Imperatores, reges, principes, ne latum quidem unguem poſſidebitis. Quicquid urbium, littorum, regnorum, veſtri erit juris, confuſa in unum & velut in pugillum contracta & omnium & ſingulorum erunt, ut neceſſe non ſit,

ſit, viritim dividi, quod partes non habet. Nec tamen iſtis heri natis philoſophis aſſentior, qui mundum Infinitum eſſe, non ſine fiducia aſſeverant, & cœlorum ſpatia ſine termino & fine extendi. In qua enim quæſo ſchola didicere, corporis infiniti motum dari poſſe, cum nec ſpatium habeat, quod relinquat, nec novum, quod occupet. eſt enim ubique. Si moveri pernegant: aut cœlum iſtud infinitum perfectum abſolutumque ſtatuunt, aut imperfectum, quodque partium adjectione perficiatur indies. Si imperfectum, finitum erit, cum imperfecto addi aliquid novum poſſit, infinito non poſſit. Si perfectum, partium omnium unione & præſentia conſtabit. at collectis partibus cœli omnibus, denuo finitum erit, cum infiniti corporis partes omnes colligi nequeant. Deinde, aut cœlum iſtud infinitum majus facere poteſt Deus, aut non poteſt. Si poteſt, non eſt infinitum. Si non poteſt, exhauſtam eſſe divinam potentiam fateri habent, nec poſſe Deum vel tantillum quantitatis corporiſque ultra producere. Et ſi eſſentiæ immenſitas ſolius eſt Dei, aut cœlos Deum faciunt, aut duo ſtatuunt infinita, quod eſt impoſſibile. Eſt in opinione iſta non exigua hallucinatio. Et tamen ipſis commentum placet. Nunc & illud me abripit, quantis curſibus incitetur hæc moles, quanta circumagatur velocitate. quæ tanta eſt, ut ſi humani intellectus captum excedat quantitas, motus obruat. Veteris novique ſeculi controverſia eſt, an nos neſcientes circumagat raptu ſuo natura, an cœlum circa nos: utrum hujus motu fiant ortus & occaſus, an ipſi oriamur quotidie & occidamus: an pigerrimam ſimus ſortiti ſedem, an velociſſimam:
circa

circa nos Deus omnia agat, an nos agat. Abeunt in partes Sapientum scholæ, & magnis se judicibus quisque tuetur. Hic Aristotelem & Ptolomæum, ille Pythagoram & Copernicum duces habet. Ptolomæum metus incessit, ne, si rotemur nos, vertigine corripiamur omnes, urbes ædificiaque dissiliant, totaque quam incolimus, terræ superficies pulveribus fumet. Copernicus timet, ne assiduo rapidissimoque cœli circumactu ipsa mundi inferioris compages luxetur, & convulsis cardinibus eidem omnes ruinæ affines simus. Ptolomæo decentius videtur, terram, quæ hominem fert, Dei imaginem, & tot creaturarum nobilissimam, stare immobilem; & circumerrante Sole, tanquam famulo, tanquam lucerna & vaga lampade, frui. Copernicus decentius putat, Solem, astrorum regem in medio Vniversi, veluti solio suo spectare circumcursantem terram, tanquam famulam & pedissequam. Idem ridiculum arbitratur, terræ, almæ nostræ matri, circumferri ignem Phœbæum; cum matrum sit, liberos igni obvertere, non ignem liberis. quin & ineptissimum fore, ait, si coquenda fercula circumeat ignis, & iis quiescentibus, ambulent prunæ. At Ptolomæus rem periculi plenam esse affirmat, æterno Solis igni circumduci terram, ne raptu velocissimo concussa culina omnis corruat, semicocti nos & semitosti mortales in frusta discerpamur, cineribusque inquinentur augustissima fercula. Copernicus terræ, ex longo situ & quiete, à putredine metuit. Ptolomęus abunde telluri adversus putredinem prospectum putat, per frigora, per ignes subterraneos, & ventos. Copernicus in eo totus est, ut naturam nimio labore levet; cui facilius

erit

erit terram movere, quam cœlum multoties majus terra. Ptolomæus Deo omne id facile esse verissime perhibet, quod à contradictione alienum est. Prioris asseclæ terram fibras habere dictitant, rectas, obliquas, transversas, quibus, more animalium, moveri possit. Cœlum iis carere, ideoque ad motum ineptum esse. Posterioris asseclæ fibras sapientiæ in Copernicanorum cerebro desiderant, quibus sapere debebant; rectas, quibus rectum videant; transversas, quibus declinent à falso; obliquas, quibus vertigini occurrant. Hujus controversiæ momenta jam non expendam. nec dicam sententiam, licet ab Vrbanitate summi Pontificis nihil mihi metuam. Disputent illi acrius, quorum interest vel Cœlum vel terram moveri. Me, ut quod sentiam eloquar libere, *Seu terra seu rotetur æther, Impavidum ferient ruinæ.* nihil definivisse sit satis, nec cum fiducia inveniendi, nec sine spe. Illud solum dicam, me maximis, quæ omnis antehac ætas tulit, rarissimisque ingeniis accensere Nicolaum Copernicum. ut qui Veterum adjutus sola authoritate, non rationibus, alium cœlorum, ac totius naturæ ordinem, nec difficilem nec inconcinnum finxerit, salvo rerum omnium, quæ cœlo terrisque accidere solent, adspectu. Quod si parem industriæ suæ potentiam hic homo nactus fuisset, inversam jampridem, Auditores, naturam omnem mecum vidissetis. migrasset in locum Veneris orbis terræ, comite Luna. staret in Vniversi centro immobilis Sol. proximus nos adspiceret Mercurius. nec tertiam cœli stationem teneret Venus, sed Phœbi soror. consisteret immota quoque tot siderum domus, & fumantes ex longo

motu

motu cardines suos attonita adspectaret. Hæc invenisse, hanc novi Orbis ichnographiam vel in tabula annotasse, Deorum est, non hominum. Mihi inpræsentiarum per calcatos Peripateticis calles incedenti, non terræ, sed Cœli velocissima vis religiosum horrorem incutit. Etenim cum corporum cœlestium magnitudo, ambitusque pene ineffabilis sit, & ad eundem indies locum, unde abiere, revocentur astra; pernicissimè ea ferri necesse est, ut quæ tam grande iter tam paucis horis absolvant. Decimæ sphæræ stupenda prorsus ratio. Cum enim eam decies majorem octava sphæra, ac globo terrestri infinitis vicibus majorem credant Astrologi, horæ spacio tot ruit passibus, ut numerum recitaturi Mathematici, viatico egeant, & respirare cogantur. Ni me fallit ratio, qua maximus est cœli ambitus, plus spatii horæ momento conficiunt stellæ, quam ducentis annis conficiat viator, quotidie miliaria decem emensus. Eant jam Poëtæ nostri, & de rebus celerrimis loquantur mirabilia. Ego, si cum cœlo contendendum sit, pigritiam Æoliis fratribus; fulmini, nubibus, Parthorum sagittis segnitiem; avibus, equis, cervis, fluminibus tarditatem exprobrem. Quibus impossibile videtur illud, quod dixi, hoc mihi expediant velim, quomodo possibile sit, speciem visibilem vel Solis vel Lunæ, vel superioris astri, per immensa illa spacia unico instanti ad oculum deferri. Si aliam corporis, aliam speciei rationem esse dixerint; audient ex me: majus esse miraculum, rem fluxam, & evanidæ naturæ, qualis est species, per tam immensos tractus rapi integram & incolumem; quam corpus solidæ & subsistentis naturæ. Etiam illud planum faciant: à radiis

à radiis ſolaribus, celerius nictu oculi, mundum illuſtrari. & tamen illos corpus eſſe vult Epicurus. Quid, quod cogitationis humanæ longe major ſit celeritas, quam cœli, quæ dicto citius ab Auroræ thalamis ad Veſperam rapitur, & rurſus à Veſpera in Auroram redit; cum animalium brutorum ultra oculorum terminos non vagetur comprehenſio. Quod ſi grande navigium aquis innatans digito movere poteſt puer; ſi molas ingentes unius equi verſat vis, vel levis aura impellit velociſſime: ſi glandem ferream mira celeritate protrudit modica pulveris portio: ſi domos, turres, obeliſcos promovet paucorum opera: cur maximum Deum diffidimus poſſe maxima? & in vacuo movere corpus, nullo reſiſtente aut motum remorante corpore? Auget admirationem ſubſtantiæ cœleſtis indoles, conſtantia, & diuturnitas. Ante Ariſtotelem philoſophi fere omnes Cœlum ejuſdem cum elementis naturæ eſſe arbitrati ſunt. Pythagoras & Heraclitus igneum dixere. Erat & hæc Ægyptiorum ſententia. qui ignem cum celſiorem mundi partem occupaſſet, nec jam altius poſſet evehi, ſeſe in gyrum compoſuiſſe ajunt, ad eundem modum, quo flamma, cum fornacis ſummitatem attingit, in convexam effigiem circumflectitur. Empedocles cœlum ſolidum eſſe, velut cryſtallum, credidit. recentioribus aëreum eſſe placet. At Stagirita noſter ipſo aëre & igne ſublunari liquidius ſubtiliuſque. E ſacris ſcriptoribus non pauci quovis metallo firmius eſſe contendunt, opacum quidem & craſſum parte ſumma, inferiore rarum, pellucidumque, ob radiorum viſibilium ſine refractione trajectionem. Verum hic minus certis demonſtrationibus niti Philoſophos & Theo-

& Theologos dicere ausim, nec quicquam, præter hoc, haberi certum, quam magis constantis & stabilis esse naturæ cœlum, quam quæ sunt infra cœlum posita corpora. De reliquo animi pendeo. Quapropter sive corpora ætherea vitrea dicamus & crystallina; sive ferrea & ænea; sive liquidæ ac tenuis substantiæ; attonitum me tenet divina providentia. Si vitrea sunt, mirum non dissilire raptu: præsertim cum motibus incitentur contrariis. si ferrea sunt, vel in modum tecti durata, illud miror, ex mutuo attritu non excitari immanes strepitus; vel non audiri concentum Pythagoricum radentium se dispari impulsu corporum. Vtut enim aures nostræ obsurduisse possint ex quotidiano strepitu, ne terribilis nobis sit, more illorum, qui ad Nili cataractas habitant, non tamen usque adeo obsurduere, ne audire possit. Quod si liquida, tenuia, fluida sint; mirum assiduo circumactu non confundi, non fluctuare fabricam, non turbari eccentricos, non dissipari epicyclos, & permisceri Deos. At eadem semper sibique similis cœlorum facies. nulla pars ruinosa, nulla rimosa, aut ætate fatiscens, aut juncturis suis dissoluta vel compagibus luxata apparet. Quicquid infra Lunam est, corporum sublimium motu fatiscit & corrumpitur, ipsis illæsis. Transit terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem, & vice versa. Æstas veri, æstati autumnus, autumno hyems succedit. mare crescit, decrescit. aër modo serenus, modo turbidus. Causas mutationis & inconstantiæ quasdam terra præbet, cujus positio varia, aëri temperiem variam adfert. Sed præcipuas cœlo siderumque cursibus imputes. Solem sequitur annus, ad illius flexum modo tepent, modo ca-

calent, modo fervent inferiora. Lunæ in corporibus humidioribus non minor vis. Sed & ceteræ stellæ modo frigora, modo imbres aliosque apud nos tumultus turbidæ movent. Quæ omnia aliena à cœlo & æthere, qui inter has vices, vices nescit: pati nos facit, nec patitur ipse; turbat, nec turbatur; alterat, nec alteratur; corrumpit, nec corrumpitur; aliis rebus vitam, aliis interitum adfert; sibi immortalitatem vindicat. Qua mundi parte vivimus, nulla tempestas magna durabilis. quanto plus habet virium, tanto minus temporis. nihil non concitatiore cursu in exitium sui tendit. Cœlum rapidissima sui agitatione, aut perfici puto & conservari, aut non destrui. Animæ nostræ in hoc corpore constantem perpetuamque essentiam miramur. Et tamen hæc & proficit annorum decursu & deficit. addiscit multa, & obliviscitur multa. lætitia viget, luctu languet; scientia fulget, ignorantia sordet; attollitur spe, dejicitur metu. Cœlum nec deterius unquam fit, nec melius. Anima mutatur in horas. Cœlum ne quidem in secula. Animum de gradu dejiciunt levissimi fortunæ motus. Cœlum nullis tempestatibus, nullis Titanum minis à tramite deflectit. Interitus expers est, quia hostem in natura non habet. An per divinam potentiam destrui possit, nullus dubito. An destrui illud aliquando velit Deus, nec me docet ratio, nec clare expediunt sacrorum verborum interpretes. Apud Platonem in Timæo, mundi opifex pro Deorum concione corpora cœlestia hunc in modum alloquitur: *Natura vestra dissolvi potestis, at voluntate mea non dissolvemini. quia voluntas mea majus potentiusque vinculum est ad perpetuitatem vestram, quam*

illud,

illud, quo fuistis tunc, cum gignebamini, colligata. Qui mutari volunt cœlum, sed ob distantiam à nobis mutationes non deprehendi, tantisper hoc cessent asserere, donec propius in cœlos admissi mutationes certius deprehenderint.

Quæramus jam, quid Cœlum moveat, quid tanti corporis molem impellat, quid sit illa valentius, quid tantam rem ipso in motu fulciat. Magni animi res est, rerum naturæ latebras recludere, nec contentum exteriori conspectu, introspicere in superioris mundi secreta. Illud ante omnia dicendum, opiniones Veterum rudes esse & minus exactas. A Deo proxime moveri, illum per magnos artus diffusum hanc molem agitare, non est quod dicamus. Ex quo enim ab augustissimo Creationis opere cessavit, famulari naturæ naturam voluit, & ea exequi causas secundas, quæ imperavit semel. Plato, cujus modo memini, ab Anima mundi impelli orbes perperam autumat. Quod enim quæso illud animæ genus? quod nec nutrit, nec auget, nec sentit, nec appetit, quod nec intelligere facit cœlum, nec velle. Aristotelis placitum est; cœlos ab Angelis, sive intelligentiis, ut vocat, rotari. Nec tamen ex ipso Aristotele liquet, an intelligentiam Deum faciat, an ab eadem distinguat. Si Deum esse vult, minus decorè Deum cœlesti rotæ instar Ixionis alligat. Si mentes suas à primo motore alias esse vult, cur, quem in aliis rebus motum perficit vis inferior, non perficiat in cœlo? cur, si à se moveri deorsum potest lapis, & moveri semper, si, quo tendat, haberet semper, non possit à se moveri in orbem cœlum? Ego virtutem à Creatore cœlo inditam arbitror, quæ diffusa per orbem vehementissimi

issimi & maximi impetus causa est. sive natu-
am illam appellare, sive formam, sive princi-
ium internum libeat. Et sicuti gravitas levi-
asque corpora velocius movent, quo sunt ma-
ora; ita & vis movens cœlum in grandi den-
oque corpore compacta, illud vertit & tor-
quet velocius. Hæc ipsa vis spaciosissima lacu-
aria sustinet, ut nec adduci se unquam, nec
diduci patiantur, nec altius levari, nec depri-
ni. Solent artifices magni corporis pondera
etinaculis extrinsecus suspendere, ne cadant,
aut fulcris, ne subsidant, subtus fulcire. nihil
hic ejusmodi. Pendent in magno inani gran-
les structuræ. nec quicquam supra se habent,
vel infra se, præter Deum, qui ubiq; est. Neque
enim illud dixerit quispiam, mundum descen-
lere per inane, sed non apparere, an cadat, quia
cadit semper, ut in infinitum est spatium, per
quod cadit. quod quidam ex Veteribus de ter-
a dixerunt, cum rationem nullam invenirent,
propter quam pondus in aëre staret. Quare &
Poëtarum fabulas rideo, qui axes æthereos ab
Atlante portari fingunt. nec Empedocli acce-
lo, qui cœlum grave esse ait, sed perpetuam
vertiginem causam esse, quod non cadat. eo
modo, quo hydria aquis plena, dum in gyrum
torquetur, aquam, etsi gravis illa sit, effundi
prohibet. Minus solide philosophatur Agri-
gentinus, dum cœlo pondus attribuit; nec ex-
plicat, quæ sit illa vis, quæ deorsum nitentem
gravitatem tot seculis vicerit. Percellit animos
nostros priscorum Architectura, quoties stu-
pendos templorum fornices, pyramidum mi-
racula, amphitheatrorum moles, palatiorum
protentas porticus, arcus, mausolea, & in mo-
rum provinciarum exstructas thermas, pon-

tes adhæc, murosque intuemur. at ludus hæc sunt & jocus præ cœlesti hac architectura. Vitruvius, & qui hunc præcessere, Agatarchus, Democritus, Ctesiphon, non audent in lubrico & instabili loco fundamenta locare. si cogantur, vel calcatis fundamenta carbonibus, vel ovium velleribus, vel taurinis tergoribus substernunt. Deus noster in nihilo ædificat, & cœlos nihilo fulcit, ut ejusdem sit & creantis laus & conservantis. & moderantis cœlos & librantis. Non audet Vitruvius fornices extendere sine verticillis, & columnis, non pontes sternere sine sublicibus, non muros attollere, sine tibicine. Deus audet. & immensos cœlorum complexus sine trabibus, sine columnis, sine tibicine expandit. Vitruvius sine arena, calce, cæmento nihil molitur. Deus sine calce ferruminat, sine cæmento glutinat, sine arena ædificat. Vitruvius sacris ædibus margines, projecturas, crepidines, circuitiones addi vult. Deus nullas. Illius opus aut Doricum est, aut Ionicum, aut Corinthiacum, aut Tuscanum. Dei nullum horum. Et tamen nullum majus, nullum pulchrius, nullum stabilius. Vbi à norma, perpendiculo, amussi destituitur architectus, inclinat paries, & caduco operi diffidit ipse artifex. Noster faber instrumenti omnis impatiens est, & tunc ædificat certius, cum sine adminiculis ædificat. Fabricat automata humana industria, cum ad summum pervenit quæ tamen ad cœli exemplum perpetuo moveri nesciunt. Et si forte Archimedes aliquis in fragili vitro cœlos exhibuit, in quibus annos mensesque metitus fuit simulatus Signifer, non tamen perpetuus esse potuit motus vitrei & non perpetui corporis.

Quo

Quod si curiosus cœlestium spectator, pro-
ius domicilii hujus ordinem dispositionem-
ue intueri velit, argumenta divinitatis nullibi
on reperiet. Quamvis enim illa mundi con-
ersione nihil sit citatius, tamen obnituntur
dversis motibus orbes alii, & oblique vadunt,
t singulis terræ partibus Deum ostendant. Fe-
untur omnes motu æquabili. quisque suo.
Jullus hæsitat, nec dat suspicionem objectæ
ræter solitum moræ. Et licet errare nonnulli
icantur, in errore tamen constantia est & or-
o summus. non eunt, nisi qua debent. nec er-
unt, nisi cum ratione. non est expers rectoris
œlum, ut temeritate ferri & fortuito volvi
ebeat. Adest cunctis mundi partibus divina
ajestas, flectitque & moderatur suam fabri-
am, qua nihil formosius, nihil dispositius, ni-
il constantius. Quæ pro despectis habet natu-
, in infima Vniversi, hoc est, centrum detru-
, terram puta & aquam. Aërem ignemque
ajoris efficaciæ res situ posuit digniore: At
elum, uti excellentioris substantiæ, in supre-
a mundi parte loco illustri posuit. In aulis
i sunt Principibus successus & diverticula.
cœlo habent Planetæ domos suas, habent
rculos, in quos secedunt. Non morantur per-
tuo in una regni parte reges. ad plures acce-
unt, quia omnibus imperant. Nec Planetæ
ndem cœli partem tenent. jam Boreales sunt,
n Australes, jam apogæi, jam perigæi. Cum
pulo se ostendunt Imperatores, aliis atque
is consiliariis stipati incedunt. Ad eundem
odum sidera, nunc sideribus aliis opponi,
nc supponi, nunc cum Iove, nunc cum Sa-
rno, Sole, aliisque congredi, nunc retrogre-
& resilire, velut tripudio, amant. Circum-

ſtant Iovem ſua ſidera, & veluti domino, famulantur Medicei ignes. Hunc præcedit patrio jure Saturnus. Tertius eſt hominum generi horribilis Mars. Tum media fere regione incedit Sol, reliquorum luminum moderator, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtret & compleat. hunc ut comites ſequuntur Veneris alter, alter Mercurii fulgor. In infimo orbe Luna radiis Solis accenſa convertitur. Vidit Roma ſedentis in Amphitheatris S. P. Q. R. nos in altius theatrum intenti, quot lumina, tot veluti Deos & numina cœleſtia adſpectamus. quorum ſingula ſuis vacant miniſteriis, unius rectoris juſſu, ſine murmure.

Philoſophorum alii unum corpus cœleſte & continuum eſſe aſſerunt, & per ejus campos ac latifundia vagari ſidera, citius, ocyus, more avium aëra ſulcantium: alii ſtare in ſuis orbibus ſtellas, tanquam fixum & immobilem populum, nec niſi corporum ſuorum motu rapi, uti clavi rotæ infixi. ex qua demonſtratione natus orbium numerus, & diſtincta Planetarum ab octavo orbe habitacula. Nullius me nunc ſententiæ hoſtem profiteor. ſed quamcumque amplecti lubebit, locus erit miraculo. Ex priorum mente, ſtupendus ſtellarum exercitus, velut in aciem diſpoſitus, incedit, ſuam quæque ſtationem ſervat, nec à ſemel conſtituta linea unquam deflectit. Quibus minus viæ conficiendum, quales ſunt, quæ polos proxime circumeunt, tardius feſtinant: quibus plus, velocius. quarum vero iter per æquinoctia maximum eſt, currunt velociſſime: tali motus libramento, ut eodem omnes tempore, ab eodem progreſſi termino, ad eundem eodem momen-

mento revertantur. horrent propius accedere. horrent recedere. religio est turbare ordines fixos & constitutos semel. dicas, scire singulas, qua eundum sit, & filo legere longa vestigia. Si qua major altera, non studet prævertere minorem. nec minori cum mediocri certamen est. nihil injuria alterius agunt. suas quæque operas pulcherrime obit. Lucent, currunt, citra æmulationem, & illæ quæ ad Plaustrum damnatæ sunt, & quæ in Tauri fronte vel generoso Leonis tergore præfulgent. Sæpe illud mecum cogito, si Europam omnem, si Asiam, si Africam & Americam in pilas torqueret Deus, & per aërem supra vertices nostros rapidissimo impetu rotaret, prodigiosum fore tanti laboris spectaculum. At in cœlo dum rotantur sidera, pilæ rotantur, quæ magnitudine terram omnem & maria superant. Volvuntur autem millena aliquot corpora, spaciis majoribus, quam ipsa sunt, discreta. Volvuntur, nec impingunt, nec colliduntur, nec quiescunt, nec fatigantur. Proh Deum immortalem, quantus in Superis labor est! In ocio hic, extra tumultus volitantium siderum, inter muscarum & culicum susurros habitamus. In cœlo non unus mundus, sed mundo majora corpora mundis occursant. Cum explosam è bellica machina glandem ferri juxta nos sentimus, cohorrescimus toti & humi sternimur. Quid futurum putatis, A. O. si vos in Cœlo positos modo prætervolaret Sol, centuplo tellure major, modo latus raderet nimbosi Orionis grandis pila, modo capiti instaret Jovis immane corpus, modo præterveherentur Castoris & Pollucis horrendæ moles, quæ momento omnes per miliarium ruunt multa millia? Hæc cum tacitus domi meditor, rapior ex-

tra me, & ad admirationem divinæ ſapientiæ juxta ac potentiæ totus ſtupeo & lapis ſum. Quod ſi ipſos cœlorum orbes moveri dicamus, & vehi una ſtellas, non propriis motibus incitari, bone Deus, quam immenſæ magnitudinis corpora circumagi cogitabimus, quæ ſine injuria alterius prætervolant, & circa diverſos axes circumacta, ſuis quæque itineribus, diſpari licet impetu, non confuſe, non tumultuoſe eunt, ſed conſtantibus impulſa cauſis, definitis temporibus, curriculum abſolvunt. Aſcendunt Cœli partes, nec leves ſunt; deſcendunt aliæ, nec graves ſunt. Et cum alia corpora à motu incaleſcant & inardeſcant, ſolum ab incendio immune eſt Cœlum. Minus hæc æſtimamus, ob conſuetudinem, quæ rerum magnitudini admirationem ſubducit. Sunt tamen maxima & genere humano digniſſima ſpectacula. Quantum illud eſt, quod Sol totidem fere gradus, quot dies habet, & annum ambitu ſuo orditur & claudit: quod ad Solſtitiorum puncta progreſſus timeat ulterius ire, ac ſi receptui caneret natura: quod ſubjectas terras non urat, ſed caloris incremento, & decremento temperet æſtus frigoriſque ferociam: quod licet dierum noctiumque ſpacia inæqualia ſint, omnibus tamen mortalibus ejuſdem anni decurſu parem lucis ac tenebrarum menſuram impertiat; ne de naturæ invidia quiſquam conqueratur. Luna, quia lucis propriæ expers eſt, Soli ſe prudenter obvertit, donec adverſo adſpectu plenum lumen media ſui parte imbibat. Creſcit vicibus ſuis & decreſcit, & vitæ inſtabilis imaginem exhibet inſtabili luce. Eodem lumine tota orbatur, ne ſi ſua luce gloriari velit, Soli laudem ſuam præripiat. Adſpicimus

mus hæc indies, ſed quia quotidiana ſunt, aut quotannis accidunt, ſocordes tranſimus.

Facere ad operis commendationem ſolent, Figura, Simplicitas, Facilitas, Magnificentia, Vſus, & Securitas. quæ omnia in cœlo ſumma ſunt, & eximia. Quid pulchrius ea figura? quæ ſola omnes alias figuras complexu continet, quæ nihil aſperitatis habet, nihil offenſionis, nihil injuſtum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum, qua nulla continere, nulla moveri aptior. Simplicitatem cœli arguit partium ſimilitudo, quæ nullibi ferè aliæ ſunt, quam ubi ſtellis radiant. Cum Dianæ Epheſiæ templum, hoc eſt, ſi cum cœlo compares, formicæ vel curculionis domum, conderet gentilium ſuperſtitio, totam laboraſſe Aſiam perhibent, ducentis & viginti annis. hæc de qua loquor domus, ab uno autore, momento, nullo labore condita, perfecta fuit, antequam inchoaretur, abſolutaque ſine progreſſu. Magnificentiam operis loquuntur magnitudo ejus, de qua dixi, & Pulchritudo & delectatio. ad Pulchritudinem faciunt lux & color, oculorum deliciæ & voluptas. Color illi, qualis ſapphyri, cœruleus, ſive is in ipſo ſit cœlo ſtabilis permanenſque, ſive tapeti inſtar, ex lucis aëriſque permiſtione natus, illuſtriſſimo corpori obtendatur. Delectationem, præter hæc ipſa, adferunt, corporum cœleſtium multitudo, quantitatis, motuſque diverſitas. quædam enim velociora fecit natura, quædam tardiora; quædam trigeſimo, quædam duodecimo anno, quædam intra annum ſedem ſuam reviſunt; quædam lumina majora, quædam minora; quædam ſcintillant, quædam ſtabili lumine ſplendent; quædam conſpicua ſunt ſemper, quædam, ut ma-

major eorum ſit reverentia, occultari ad tempus amant. Vſus vere cœli tantus, ut ab eo & vita & conſervatio & ſalus omnium omnis oriatur & pendeat. Nec illud prætereundum, abſque ullis Impenſis conditam hanc machinam, quia ex nihilo, cujus nullum eſt pretium, condita eſt, ſine auxiliis, quia præter Deum nihil erat, ſine inſtrumentis, quia hæc ipſa condi oportuit.

Reges Principeſque, dum ſecuritati ſuæ civiumque ſtudent, urbes mœniis valliſque cingunt, arces foſſis, aggeribus, pluteis, loricis muniunt. Quæ tamen omnia perrumpit labor furorque humanus. Deus noſter ſibi ſuiſque civitatem condidit, armis inexpugnabilem, hoſti inacceſſam, ſolo loci ſitu tutam, extra telorum omnium jactum poſitam quæ ne ab homine expugnetur, omnes nos captivos tenet, ne uſquam evadamus. ne ab externo inſultu ſibi metuat, omnia complectitur, nec extra ſe quicquam eſſe patitur. ne invidere illi aut male velle quiſquam velit, omnes tanquam benefica parens alit & fovet. Omnes nos intra ſe mori per vices adſpicit, ne de ipſo ullus triumphet. Omnium ſepulchra circuitu ſuo continet, ut de nobis triumphare videri poſſit. Cuniculis adire nequit, quia elementa interpoſuit opifex; non velis aut claſſibus occupari; quia negant nautæ per aërem navigari poſſe: non exercitibus adiri, quia in altum nitendum eſſet gravibus: non turribus, non ſcalis conſcendi, quia per nives, fulmina, tonitrua, ignes eundum: non dolis circumveniri aut pactis decipi, quia ſine legatis res ſuas agit. Qui Tactica ſcripſere, Vegetius, Frontinus, Ælianus, Polybius, quam ſtudioſe monent, ut in acie ordinanda, alio loco vete-

rani & Principes collocentur, alio circundati à cataphractis sagittarii, alio scutati, alio funditores, alio triarii. In cœlo tot luminum ordines sine ordine disponi videmus, & cum primæ magnitudinis stellis permisceri minores, stare Herculem, ubi micat Triangulus; fulgere Booten, ubi radiat Corona: licere Eridanum, ubi intermicat lepus, intercursare velites & gregem; Pleiadas, Hyadas, nec ullibi ducis, antesignani, tribuni apparere proprias stationes. Causa est securitas. In acie podisimi habetur ratio, sive spacii inter singulos & singulorum turmas. Cœlum podismum spernit & faces suas constantibus quidem, non paribus intervallis, distinguit. Causa est securitas. Aciem ordinaturi adversum Solem timent, & ne mutata Solis statio exercitui noxia sit, eundem semper à tergo habere student. Cœli conditor ita disposuit Solem, ut lucere omnibus astris, sine noxa possit, sive à facie adspectent, sive ex obliquo intueantur, sive sequantur præcurrentem. Ambitus murorum veteres directos esse noluerunt, sed anfractibus sinuosos, ne ad ictus arietum essent expositi. in iisdem turres & circuitiones construxere, ut non solum à fronte, sed & à lateribus & tergo opprimi hostis posset. nihil hujusmodi in cœlo, quod licet rotundum sit, tamen quavis sui parte rectum apparet, quia poliorcetica non metuit, nec vigiliis, circuitionibus, aut tesseris in summa securitate eget.

Verum, ne videar vobis poëtica loqui, & magis venusta quam solida uti oratione, incipiam de natura Stellarum differere, & quid hic stupendum sit, ingenue profiteri. Primum, quid stellæ sint, fateor me ignorare: An partes cœli

densiores; an flammæ ignesque contracti: an solida quædam terrenaque corpora, quæ per igneos tractus labentia inde splendorem coloremque trahunt, non de suo clara: an cœli Empyrei particulæ, quæ per inferiorum orbium canales & fenestras sparso lumine apparent. Si enim ignes sunt, mirum non discuti raptu, mirum, quo pabulo alantur tam grandia corpora: mirum tanta æqualitate apponi alimenta, ut nec majora unquam, nec minora fiant. Si partes cœli densiores, mirum, ex sola condensatione partium tantam vim lucis nasci. Si corpora opaca, alienis ignibus illustrata; redit quæstio & admiratio de his ipsis ignibus. Si per canales & fenestras supremi cœli micant ignes, Planetis hoc convenire non potest prope terras positis, & in epicyclo suo currentibus. Multa sunt, quæ esse non diffitemur, at qualia sint ignoramus. Est nobis animus, cujus imperio movemur & sapimus. & tamen huic non magis potest liquere de siderum natura, quam quid ipse sit, aut ubi sit. Inter hæc æterna naturæ opera Cometæ sunt, rarum mundi spectaculum. Explosa quippe jamdudum opinio, eos sub Luna generari, ignesque esse aliorum more evanidos & fluxos. Eorum qui in cœlo locant, alii non esse ordinarium sidus, sed falsam sideris ex planetarum concursu speciem, ajunt: alii planetam, qui in interiora se cœli interdum abdit, interdum versus superficiem concavam se conspiciendum præbet. quibusdam placet, ex ipsa substantiæ cœlestis condensatione nasci, ejusque rursum rarefactione disparere. His in medio relictis, de quorum veritate longior foret disquisitio, mecum mirari vos cupio, tot jam retro seculis nihil explorati vel apud Chaldæos,

vel apud Ægyptios, vel apud Græcos, vel posteriore ævo, ullibi terrarum de Cometarum natura reperiri. ut exerceri in hoc argumento hominum mentes voluerit Sapientiæ magister, neminem de inventa veritate gloriari. deinde, cum cæterorum siderum supra hæc caduca & mortalia meantium motus irrevocabiles sint, & sine intermissione assidui, mirum solis Cometis advocationem dari & intermissionem, ut quorum motus paucis ad longissimum apparuit mensibus. Præterea, cum errantes stellæ in una tantum cœli parte adspiciantur, nec Signiferi orbem egrediantur, Cometæ majore indulgentia in Ortu, Occasu, frequentissimè circa Septentrionem apparent. Aliarum stellarum una forma est. Cometæ modo barbati, modo dispersa undique coma, modo fuso in caudæ imaginem lumine fulgent. Siderum par semper magnitudo, fulgor, & claritas. Cometarum dispar, ut quos crescere & decrescere in comperto est. Stellarum quędam ob viciniam Solis adspici nequeunt. Cometas nunquam Sol vicinus obtexit. Et cum siderum aliorum proprium sit, circa suum axem recta ferri; Cometæ interdum à Septentrione motus initium faciunt, & per occidentem in meridiem obliquo flexu eunt, interdum alio iter flectunt, & cum ex longis temporum intervallis recurrant, legibus certis teneri nolunt. Denique Cometæ futura portendunt, & totum fatorum sequentium ordinem nunciant, cruenti, minaces, sanguinei Causas horum omnium exposcitis? nescio. didicimus posteri plurima, quæ ignoravere veteres. quæ ignoramus nos, supplebit aliquando posterorum diligentia. Vt cœlum sciamus, sæculis opus est & ætatibus, distant tempora moribus, verbis

& veri cognitione. hujus studium cum nepotibus par est dividi, ne aut nos scivisse omnia, aut illi à majoribus nihil accepisse credantur.

Redeo ad sidera, quæ calefacere omnes sentimus, at quomodo calefaciant, omnes ignoramus. Dubium, an calorem ex ipsis sideribus deferant radii, an attenuando & distrahendo aëris partes, faciant. Aristotelem meum non capio, cum lucem rarefaciendo calorem gignere credulis persuadet. Etiam in hoc hæreo: quomodo stellæ, quæ luce calefaciunt & exsiccant, alia virtute frigefaciant & humectent. Nec illud assequor: quomodo Planetarum alius sit horridus & frigidus, alius temperatus, alius calidus, alius humidus & pluvius, alius fervidus, cum omnes nil, præter quam lux & flamma sint. Quæritis, qua ratione lux hujus sideris instrumentum & ministra calorem efficiat, alterius frigus? nescio. cur Capricornus reges efficiat, Aquarius piscatores, Mercurius trapezitas, Orion venatores? nescio. cur Saturnus in Leone felicitatem polliceatur, Mercurius in Aquario vates gignat? nescio. Quid sint maculæ istæ, quæ Lunam deturpant, & nuper ab oculatioribus in Sole observatæ sunt? Dicet Xenophanes, in Luna habitare homines, eamque esse terram multarum urbium, montium, insularum. Portenta esse videntur. sed tamen neque ille, qui dixit, jurare ausit, ita se rem habere, neque ego assentiri. Quæritis, qua virtute ad metallorum generationem, ad maris reciprocos cursus, ad sympathiæ & antipathiæ mirabiles effectus concurrant? nescio. Vultis scire, quod nam illud sit magneticæ virtutis robur, quod perpetuo spiramine & effluvio ab oppositis cœli plagis, etiam extra magnetem, exit? nescio. Ad Influ-

xus

us siderum & occultas qualitates, azylum ignorantiæ nostræ, compellimur. de quibus si scire desideratis, quid sint, quo nomine appellandę, reponam pudendum illud nescio. Accedat ultimo tot naturæ prodigiis, luminis generatio & diffusio. hic iterum hæreo, an ambulet idem lumen & moveatur de loco in locum: an vero novi luminis de priori lumine continua generatione propagetur. Quodcunq; dixeris, miraculo intricaris; quia temporis momento lumen per vastissima cœli, & elementorum spatia quaquaversum, sine mora, sparsum esse, non spargi, observamus. Hoc quoque in abstruso positum: An idem lumen terris ostendant sidera, deferantque secum, cum occidunt: an aliud atque aliud fundant mortalibus. Dixi de Cœlo & ea quæ scio & quæ nescio. Nec tamen veniam deprecabor, quod hæc ignorare me fateor. Ignoravit hactenus omne seculum, & ignorant mecum, qui se scire præfidentius autumant. Non possunt non tarde & difficulter cognosci, quæ tam alte ab humanis oculis remota sunt. Debet scientia omnis originem sensui. at quam multa in cœlo propter distantiam non videmus, non audimus, non tangimus, quæ si propius admitteremur, patescerent sensibus. Ausus fuit dicere Democritus, omnium veterum subtilissimus, plures se illic mundos reperturum, alios cœlos, alias terras, alia flumina, alios homines. Iam tanta locorum intercapedine sejuncti aut nescimus res, aut temerarie creduli erramus. Si de cœlo pronuntiasset Socrates: Hoc unum se scire, quod nihil sciret, vera fuisset, aut minus saltem ironica oratio. Et forte non lateret veritas, nisi langueret labor noster & industria. Miramur non stare in apice philo-

ſophiam, qui indies proficimus peccando. non omnes veri modos ſciri, qui novos ineptiarum modos indies excogitamus. Quid non cultui corporis quotidie adjiciunt mortales? quam non novam inſaniam inſanimus, in pileis, barbis, calceis, palliis, & togis. Cœlum ipſum ſtultitia petimus, & parum abeſt, quin Creatorem ipſum accuſet laſcivia humana male creati hominis. Raditur vertex juveni, & damnatis quæ natura fecerat tegumentis, vili corio tegitur quæſita nuditas. de ſingulis capillis in conſilium itur. nutritur coma in fronte, luduntque jubæ per colla, per armos. Batavi ſumus, & Gallum habitu mentimur. In Septentrione nati Arabiam capiti inſpargimus. edimus cum ambitione. & in menſis plus quam Sybaritæ ſumus, in aulis Vertumni, in foro Harpiæ, in contractibus Cretenſes. Quibus ſtatura eſt longior, in ſemicirculum curvantur, ut breviores appareant. quibus contra brevior eſt, cothurnati incedunt & mendacio ſtaturam adjuvant. Cum dementia noſtra nondum abſolverit partes ſuas, mirabimur adhuc diſcere ſapientem?

Quamobrem animum à terrenis curis ſubductum cœlo donate. hæc domus, hæc patria eſt. hanc cogitate, quoties vacat hominibus eſſe. Multa reſtant diſcenda, quæ in hunc uſque diem ignoravimus. Latiſſimum eſt ſcientiæ ſpacium, latius ignorantiæ. Natura ſacra ſua non recludit ſimul. diſtribuit per intervalla, quæ ſciri cupit. necdum dierum omnium Soles occiderent. docebunt ſequentes, quod neſcivere priores. qui ſperat inveniri poſſe verum, veritati proximus eſt. Tunc rerum naturæ gratias agite, cum in hæc ſacra admiſſi eritis.

hære-

æremus in puncto. & felices videmur, cum gelli breve spacium vel jugera aliquot metiiur, quæ in cœlum translata, ne hordei quiem granulum faciant. Germaniam Rheno &)anubio claudimus: Hispaniam Pyrenæis & nediterraneo: Sarmatiam Mœotide & glaciali)ceano. late imperare se gloriantur reges, dum mperii fines gemino mari definiunt. at hæc psa è cœlo spectantibus, nusquam apparent. ursum ingentia spatia sunt, & intervalla toto œlo divisa. hæc oculis animisque peragrate. 'erram mariaque omnia obimus non multis nensibus. in cœlo seculis opus, ut ab Ortu in)ccasum perveniatur. Qui hic tuguriolo suo ivit pauper, illic sedes Africa majores possideit: viritim distribue cœli partes, singuli latius 'ersarum rege imperabimus. & supererit adiuc locus novo possessori. Non illic de stilliidiis controversiam movebit vicinus. non teula tegulam, non trabs trabem trudet. Si non ommunis erit cœli possessio, divisi nulla erit uerela. Nimis angustis hic domiciliis habiat animus. Cum orbibus, Sole, Luna, Iove roari cupit & volvi, ut omnia lustret. magnum utant mortales, maria classibus implevisse, sina in Atlantide fixisse, & ubi desunt terræ in)ceano, terras invenisse. Illud potius magnum, 'niversum hoc novisse, & eas sedes scrutari in ntecessum, quas spe tenemus. Sed quod, inuies, operæ pretium est hæc investigasse, quæ upra nos sunt? Quo nullum majus est, nosse aturam & naturæ auctorem Deum. prætereuam quod hominem stupore sui detineant, ec sordidæ mercedis spe, sed miraculis eriant. Duo sunt in Cœlo, quæ detinent spectaorem: majestas & utilitas. hanc deme, sola

suffi-

ſufficiet majeſtas ad admirationem. fingite hoc humani generis domicilium non regi, non foveri ab aſtris. fingite ocioſa vagari ſidera, & vagari tantum. nihilominus venerabile erit oculis ſpectaculum Sol, venerabilis Luna, venerabiles reliquæ faces. mirabimur, etiam ſi non cogitemus, prodeſſe.

Nec volo vos in contemplatione cœleſtium acquieſcere. viam inire volo, qua ad cœleſtia itur. Effugite animi vitia, & jam cœlum tenetis. Compeſcite cupiditatum impetus, & evaſiſtis terram. Qui cum mundo divortium fecit, in alium admiſſus eſt. Quiſquis peccator eſt, in luto hæret. qui deſinit eſſe, emerſit. quibus gradibus proficimus in pietate, imus ad Superos. Quem pœnitet male actæ vitæ, altior Pyreneis, & Apennino eſt. Qui novis motibus honeſti amorem imbibit, iter ſuum ſupra Lunam promovit. Qui iniquitatis impatiens ſacramentum dixit religioni, inter Fixas ſtat. qui denique virtutibus conſtantiam addiderit, intra cœlum receptus eſt. At, proh dolor, ea jam ſunt tempora, quibus cœlum quiſque ſibi in terra fabricat, ſuos quiſque Deos hic invenit & veneratur. Avaro homini cœlum ſunt loculi, idolum nummus. Ambitioſo cœlum ſunt Imperatorum laquearia, divitum pavimenta & atria; Deus, favor applauſuſque populi. Libidinoſo cœlum eſt proſtibulum, Dea meretrix, ara ſinus Thaidis, ſacrificia impurus ſermo & putre oſculum. Tyranno cœlum eſt effrenis licentia, Deus arbitrium. Superſtitioſo cœlum ſunt ſacri lapides, Deus vanitas, pietas ſimulatio, habitus pallium Cynici, profeſſio, nocere proximo. Ita idololatriæ ſe reum quiſq; facit, & pro Deo habet, quicquid vehementer cupit. Solliciti ſumus

de

de servis, sine quibus vixit sapientissimus Diogenes, solliciti de veste, sine qua ambulavit Bias, solliciti de domo, quam habebimus gratis in cœlo; solliciti de valetudine, quæ nunquam deest bonæ menti; solliciti de patrimoniis, quorum nos & spes & possessio vexat. Exuite hos compedes,& virtutum impedimenta. nullo labore ad cœlos ambulat rerum humanarum securus animus. At auri studium amabile est. Amici, aurea cathena ligamini,ne adscendatis altius. At suavis est voluptas. Amici,jam sordida cathena vincimini. nihil erectius honoris studio. Amici,jam splendido laqueo strangulamini,ut gloriose pereatis. Resipiscite mecum, & corrigite, quicquid in vita curvi,asperi,horridi fuit. Argumenta,ut virtutem suadeam,cœlum dabit. Tota cœlestis machina in opere est, & motu, licet velocitatem specie quietis abscondat. nostrum est,animo rerum maximarum capacissimo extra humanæ imbecillitatis angustias spaciari,nec quiescere, nisi in ipso Sapientiæ motu. Eadem moles dum sibi constat,stabilis,perpetua,sibi similis,exemplo est,æterna,immensa, optima quærenda esse. Cum lucidam spectatis,totque ignibus illustrem, errorum & ignorantiæ caliginem discutite, nec alia re magis illustrari mentem credite,quam Euangelicæ lucis scientia. A magnitudine discite,latissimos esse virtutum & honesti campos, nec deesse usquam locum tempusve, faciendi id,quod laudabile est. Saturnum,tardigradum istum observate. monet nos,tardis consiliis res magnas confici, quas præceps consilium perdidit. Iupiter, si adulter est,si illicitarum voluptatum autor, opponite, quantumvis Iovi,fortiorem rationem. Martem nec damno, nec

nec probo. quæ enim rerum nostrarum est facies, paratos in utrunque Batavos esse oportet, & salutem vel bello vel pace experiri. Si Sol felicissima omnia spondet, si scientiam, prudentiamque promittit, ejus quisque sibi author sit, & à se impetrare studeat, cujus obtinendi spem faciunt fallacia sidera. Vos, qui Mercuriales estis, à Mercurio omnium siderum minimo, at disertorum maximo, fraudis & mendaciorum minimum, facundiæ plurimum discite. Venus multum præsagit mali, & licet currum trahant innocuæ & conjugalis copulæ observantes columbæ, diffidere sibi cupit amantes, cum incestuosa sit & perfida. Nec Lunam vobis dominari optem, omnium horarum feminam, Endymionis conjugem, inertem, instabilem, inopem & insanam. nihil pejus, quam Lunaticos nos esse, & laborare ea parte, qua sinciput est. Adscendam altius. Draconem videte, non longe ab Vrsa, vigilantiæ, acuminis, solertiæ symbolum. In Persei dextro latere tres insigni fulgore radiant faces, Principum duces. prima Pietatis est, altera Iustitiæ, tertia Fortitudinis. Hercules vero iste, qui prope Booten stat, monstrorum vos domitores esse vult, intemperantiæ, socordiæ, superbiæ, iracundiæ. Perseus ipse, Andromedæ liberator, Regibus insusurrat, non debere in populi gratiā mactari innocentes, & ad placandam belluam vinculis ligari bene de Rep. meritos. Cancer, cum retrogradum Solem à se abigit, à virtute retrogradientibus minatur. Leo generosæ magnanimitatis exemplar est. Aries, pugnax animal, quæsiti citra necessitatem belli Taurus, laboris & tolerantiæ. Gemini, concordiæ. Virgo, castitatis: Libram cœlestem studiosius respicite vos libripendes, ne fallatis terrestri,

tri. Scorpium intueamini, quotquot occulte
lliis nocere studetis. Sagittarium, vos semiviri,
qui fronte simulatis Curios, cætera bestiæ. Ca-
pricornum quem Deorum portam vocant Pla-
tonici, sibi concilient infelices & quarta Luna
nati. Ganymedem sive Aquarium, quotquot
Jovi suo placere amant. Pisces frigidi ad illos
pertinent, qui frigide & frustra amant. Sic Cœ-
lum omne, & pars ejus quælibet Ethicam facit.
Si quid deest sapientum præceptis, id omne sup-
plebit explicatus æther. Non premam vos ulte-
rius rationibus & monitis. Facitis ultro, quod
ut faciatis semper, obsecro. Desinam in voto.
Omnes vos, quotquot adestis, & de cœlo me
philosophantem patienter audivistis, in cœlo
coram videre, salutare, amplecti gestio, non ha-
bitu & veste professoria, quali me jam dicen-
tem adspicitis, sed quali incedent beati stola
candida induti. non ut veri inveniendi & à fal-
so discernendi rationes anxie inquiram, quia
sine fuco & elencho verum omne docebimur.
non ut de naturæ arcanis disseram, quam sub
pedibus mecum calcabitis. non ut de Virtutibus
traham horarias lectiones, sed ut vobiscum vir-
tutis prœmio fruar. Potius Deum illic intue-
bimur de facie ad faciem, conditorem Univer-
si, cœlorum architectum, opere suo non mino-
rem, non parem, sed majorem. qui cœlos om-
nes in se continet, nec ab iis continetur, ita in
suo opere præsens ubique, ut tamen sit extra,
ita centrum omnium, ut tamen sit circulus, cu-
jus, ut Trismegistus ait, centrum est ubique,
circumferentia nullibi. Illic Angelicos choros,
& cœlestem Hierarchiam contemplabimur,
quæ cum corpore careat, tota mens est, & ratio
& intellectus. Illic videre desidero, an verum
dixe-

dixerit Aristoteles, Cœlos ab Intelligentiis moveri, de quo hic in terris dubitavi semper. Illic beatissimis, & illustrissimis Animabus in occursum ibimus, & ad Pauli adspectum, recordabimur facundiæ, qua nulla fuit efficacior; ad Petri conspectum, sollicitudinis, qua Ecclesias rexit fidelissime. Illic inter sanctissimos Patres, quorum nomina jam veneramur, mixti errabimus. & prope admissi in Iustino Martyre veteris forte constantiæ notam deprehendemus, in Irenæo zeli adversus hæreticos, in Clemente Alexandrino presbyteri non ociosi, in Cypriano modestiæ & humilitatis Christianæ, in Hieronymo animosæ eruditionis, in Augustino magis sedatæ & mansuetæ, in Athanasio fidei intrepidæ, in Bernardo piæ simplicitatis. Illic, (date veniam Auditores, si cum de cœlo loquor, memor sim præmissi pignoris) illic te mea BARBARA, conjux dilectissima, osculabor osculo sancto, quale beatos non dedecet, & curam tuam domesticam, amorem mei & liberorum æterna prosequar gratiarum actione. *Dixi.*

Habita fuit 11 Febr. Anno 1636.

ORATIO PANEGYRICA, DE RECEPTA BREDA,

Celsissimo Principi FREDERICO HENRICO *Arausion. Principi dicta.*



SI illustrem Belgio diem, Fœderatis salutarem, hostibus terribilem, toti Europæ stupendum unquam signavimus, hic dies est receptæ Bredæ. illustris rerum, quas confecimus, magnitudine; salu-

salutaris usu, terribilis hostium jactura, stupendus opere & successu. Nulla supra praeteritorum bellorum memoriam obsidio memorabilis magis praesentibus, nulla magis admirabilis post venturis. nihil hic mediocre, nihil remissum. Victae urbis robur maximum, vincendi modus atrocissimus acerrimusque, victoriae tempus viris armisque concitatissimum, & ad miraculum, breve. Velut compendio & salutis publicae summam & imperii securitatem, & imperantium decus famamque complexi sumus. Multas urbes vicimus per intervalla. Hac victa reliquas invictas reddimus. Quotquot vicina sunt oppida, priorum temporum spolia sunt. Haec ad tot spoliorum tutelam postremum maximumque accessit. Praeliis superiores fuimus non semel. Nunc tot praeliorum solidum fructum capimus. quicquid tot triumphis partum congestumque possidemus, id omne asseruit & in tuto locavit praesens. Leo Batavus omnes nos sumus. His insignibus, hac forma vicinis inserimur. Patuit semper hosti aditus in Leonis penetralia. Aperuerunt illi hactenus terrarum nostrarum proxima, vel Salii, vel Bructeri, vel Sicambri, vel Marsaci, vel Menapii. Hinc effusi in agros nostros exercitus, mota bella, vexati fines. Nunc post superatas amissasque, veluti reciprocis aestibus, urbes, tandem imperii nostri corona & umbone exclusimus hostem. Nisi Batavi essemus, olim socii fratresque semper victoris populi, oppugnatum satis videri posset, & propugnasse parta modestae ambitioni sufficeret. Equidem omne belli Belgici tempus, quod cum potentissimo hoste tot annos gessimus, tribus periodis distinguitur. Prima labentis fuit ac op-

pressae

pressæ sub Albano reipublicæ. Secunda velut resurgentis & se moventis iterum. Tertia robustæ & triumphantis. Prima miseros nos vidit, & extorres, ab ordine, disciplina, ærario imparatos. profugi Duces, victæ urbes, distracti primi fœderis socii. malorum vis tanta, ut divinitus immissa putem, quo nova imperii facies per adversa omnia & acerba consecraretur. Secunda sub Guilielmo Arausionensi Principe lætior illuxit, hærentibus adhuc fatis, quem nobis dominum imponerent. Incredibile dictu, pupillorum sorte imperabamus, qui jam in aliorum tutelam sufficimus. Qui vagientis imperii infantiam consiliis regeret, opibus juvaret, quærebatur foris. Et vix inveniri potuit curator nascenti reip. cujus jam adultæ nemo non volet esse imperator. Obærari oportuit nos, qui jam potentissimos exercitus conscribimus, armamus, educimus. Oppignorari urbes, quarum ære oppugnamus alias. Quæsita fœdera eorum, qui nostris postmodum crevere. Spreti hostes, qui terrori fuerant, & victis desperatisque suasere impatientiam. Tertia robusti fuit ac triumphantis populi, & non se solum tuentis, sed & foris quoque arma capessentis Belgii. traximus bellum in multos annos, pluribus oppidis regionibusque excussum hostem à cervicibus depulimus, depulsum terra marique fatigavimus, sub ipsis Hispaniæ Flandriæque littoribus exarmavimus: opes Orientis & Occidentis magnis usibus attrivimus. quin liberi domestico metu signa in alium orbem intulimus. Bataviam hic sub Septentrione unam, alibi sub Aurora alteram incolimus; Nassoviorum nomina insulis, promontoriis, arcibus in remotissimis Barbarorum terris inscripsimus, victricia arma qua-

qua-

quaversum circumduximus, barbaros legibus ad cultiorem vitæ usum traductos in provincias redegimus, ut par terrarum orbi Fœderatorum virtus & fortuna esse cœperit. In hanc periodum servati, qui cingi undique ab hoste & circumsideri solebamus, jam hostiles terras veluti indagine cingimus. Trajecto ad Mosam in Tungros & Grudios imus: Sylva Ducis Advaticos Menapiosque adimus: Bergis ad Zomam Scaldis ripam tenemus. Nunc Bredæ accessione, non interiora solum ab hostium incursibus tuemur, verum Brabantiam omnem urbium nostrarum perpetua corona claudimus, ut de captis hostibus, pene etiam captivis, triumphare videamur.

De hujus Obsidione tacerem libenter, nisi hæc quoque pro patria comparata esset dissertatio. Cui deesse armis aliis turpe, mihi oratione, in publico hoc civium applausu, nefas. Non genuit me bellatorem mater. loquar tamen de bellis. Non irrubuit hæc manus hostium sanguine, quem tamen lambam incruenta narratione. Nihil in acie, nihil in castris unquam laudabile egi, & tamen intra hosce illustris Scholæ parietes triumphabo. Nullius latus meus mucro petiit. nec minus trucidabo hostem periculorum securus. Oppugnabo Bredam absens, invadam otiosus, expugnabo sine motu. Procul extra arenam Martis eam arenam selegi, in qua nec tympanorum strepitus, nec tubarum clangor, nec armorum horror dicentem interpellabunt. Inter obsidentes & obsessos errabo medius. & dum sto ab Auriaci partibus, stabo extra teli jactum. Celsissimi Principis laudes exequar non rogatus, quia quæsita creditur laudatio, quam necessitas imperat. Mihi & ta-
cere

cere est liberum & loqui, licet ad loquendum provocet illustribus factis, & silere vetet publica felicitas. Non eget præconiis, qui victoriis orbem implet, & qui testem virtutis suæ habet hostium conscientiam, suorum taciturnitate frui potius malit, quam offendi. Quod si ingentia facta dictis minus æquavero, sufficiet mihi, modicam dicendi vim in magno consumsisse argumento.

Erat hac tempestate suus labor tot circa nos gentibus. quarum aliæ amissa repetebant, aliæ sociis arma commodabant, aliis imperii fines diffundere cura erat; aliæ acceptas à majoribus terras animose tuebantur. Vbique cum fortuna virtus, cum audacia magnanimitas, cum gloriæ studio libertatis amor decertabat. Non deerat Gothis animus priscæ fortitudinis memor, & quamvis extincto Gustavo Rege, movebat se usque bellicosissima gens, & licet superior tot præliis, nondum tamen bello, Saxonis ulciscebatur defectionem, & Cæsaris domusque Austriacæ felicitatem morabatur. Saxoni tam graves erant Suecorum reliquiæ, quam ille gravis fuit integris adhuc nec bello fractis. Imperator pro regni Bohemici jure, & Imperii majestate non uno exercitu in Septentrionem ibat, & hærentem in Germaniæ visceribus hostem advenam in Vandalorum littora cogebat. Britannus, dum lenioribus mediis consulere studet pulsæ cognationi, armorum terrorem lenitati admiscebat. Gallus pro Lotharingia, Fœderatis, Sabaudo, Sueco arma quavis regni parte quatiebat, & Austriacos in Insubribus, Nerviis, & Tribocis magnis copiis atterebat. Cardinalis Infans recens in Brabantiæ & vicinarum regionum imperium admissus, ejus

in-

incrementa ab animi magnitudine, sanguinis sui claritate & ducum suorum fortitudine sperabat; & Gallo nobisque infestior militem tutandis finibus hic illic attinebat. Cimbrorum Rex, bello omni expeditus, regni sui commodis studebat, & de portoriis ad Albim cum Stormariis disceptabat. Vrbanus Pontifex, commissis inter se Europæis Principibus pacis consilia suggerebat, & magnos partium duces in Vbiorum urbem invitabat. Quæ dum alibi geruntur, Fœderati Ordines gloriam potentiamque suam illustri in Brabantiam expeditione explicuêre. Nec defuit præbenti se fortunæ Auriacus, sed oblatas occasiones in consilium flectens, tot ante partis victoriis maxime necessariam addidit. Nec enim decens videbatur, occupatis circa nos regibus Principibusque, solum spectatorem agere Nassovium. Indignum censebat, illam urbem ab Hispanis teneri, quæ gentis suæ propria dos & peculium fuerat. Illud in fatis esse creditum vulgo, non tantum animis diffidere Austriacos & Auriacos, sed & domicilio. eò usque inveteratis odiis pugnari, ut per vices commeent victæ urbes, non alterius domini, præterquam hæreditarii, patientes. Ignominiosum, sepulchra Nassoviorum sub eo Rege custodiri, cui cum nepotibus & cognatis bellum. Fecerat quoque illustrem hujus urbis memoriam summi fortissimique Ducis Ambrosii Spinolæ plena laboris & molestiarum obsidio. Et intererat quam maxime salutis publicæ, illam urbem nobis reddi, per quam nec Hollandiæ, nec Zelandiæ, nec Gelriæ sua constabat securitas. Noverat sapientissimus Imperator, non esse ducis, quavis occasione quærere triumphum, aut arma in eos

movere, qui victi in spolia patent. verum vim omnem à capite & vita suorum propulsandam, & illic expedienda arma, ubi laboramus maxime. Totam obsidionis seriem & momenta tantarum rerum dum attentius contemplor, nihil à victore Principe omissum eorum, quæ circa obsidiones à peritissimis Græcorum & Romanorum ducibus adhibita fuere. Conferam singula cum antiquis, ut constet, ea omnia pro reipublicæ salute dispofuisse Auriacum, quæ olim observavêre magnorum imperiorum conditores. Pericles Atheniensium prudentissimus, copias ex præparato, bella magis sustinere, quam violentas invasiones, ajebat. Auriacus bellum hoc paravit prius, quam exercuit. & de quibus educto milite serum fuisset incommodumque cogitare, animo ante præcepit. In promptu habet pecunias, per quas efficacia sunt arma: annonam, sine qua vivere non est, nedum vincere: arma, sine quibus belli consilia invalida sunt.

Thrasybulus Milesiorum Dux, ut Sicyoniorum portum occuparet, alio loco lacessivit hostem. & Domitianus Germanos oppressurus expeditioni suæ censum Galliarum obtexuit. Fecit hoc apud Carthaginem Africanus, ad flumen Mulucham Marius, apud Arpos Cunctator Fabius, in Sardinia Consul Cornelius, qui ut fallerent hostem, dum alibi expectantur, alibi appulerunt. Agesilaus quoque Lacædemonius cum inferret bellum Tisapherni, Cariam se petere simulavit. Auriacus, omnem belli vim in Brabantiam conversurus, naves plurimas vano armorum, tympanorum, tubarum, strepitu terribiles, Flandriæ littoribus objecit, & falsa imagine verum metum fecit, ut detentis ibi-

dem

em hostium copiis, destitutum defensoribus grum Bredanum invaderet.

Nec illud alienum à prisco militiæ more, pabula subducere obsessis, ut quam armorum vis nequit, fames acceleret deditionem. Factum & hoc ab Auriaco, qui inopino equite cinctos oppidanos, iis omnibus carere coëgit, quæ ex agris in urbem ocyus transferri posse sperabant. Præiverat olim Alexander magnus Leucadiam oppugnaturus, Fabius in expugnandis Campaniæ urbibus, Dionysius cum Rheginis bellum gerens. ut maximorum Ducum vestigiis insistens Imperator noster, famam veteris sæculi principibus æquaverit. Horum exemplo castra muniit arcendo hosti, ut invadere volenti non exercitus aut sparsæ cohortes, sed civitas alia oppugnanda occurreret. Eadem, castrensi regula, eo loco posuit, ubi & commeatus, & armorum ex vicinis locis, & si necesse foret, auxiliorum suppeterent copiæ. Ne vero colles tumulique altiores ab adversariis occupati castris officerent, munimentis præoccupavit. Eam coronam urbi circumdedit, quæ nec arcta nimis fuit, nec laxa recipiendo militi. non nimis vicinam urbi, ut exercitus securitati aliqua conferret; nec remotam nimis, ne pluribus ad defensionem opus esset. Ea circumvallationis forma, ut aptissima fuerit invadendæ urbi, & debellendo hosti. Interclusi aditus objectis glebarum molibus. Duplicatæ fossæ, ne inopinatus aliquis belli casus maxima cœpta eluderet. Placuit istud agendi consuetudo Peloponnesiis in Platæensium obsidione, qui, ne subito auxiliorum adventu possent superfundi, duplici muro sese inclusere. Placuit Scipioni minori, qui circa Carthaginem, non vallis solum, sed

& duplici fossa ipsos vallos cinxit. Grande profecto & admirabile opus nostrum, in quo pertinax labor naturam pene vicit. Nata jurasses castella, non facta: terris protrusa sponte, non imposita: cœlo delapsa, non industria mortalium exstructa. Quæ celsa erant, plana fecimus, planis in altum ascendentibus. ubi opus, exsiccatæ paludes, & sicca aquis oppleta. Militum quisque, ut Flori verbis utar, veluti cote ferrum virtutis suæ acuebat. Advocati agricolæ & rustica plebs, accelerandis fossis. Vicit aëris injuriam patientia, imbrium sedulitas, æstum fiducia, hostium adventantium metum celeritas. Ipse Cardinalis citius se aditu ad urbem exclusum vidit, quam hostem, exclusum non aggeribus, sed mœnibus, non fossis solum, sed & late natantibus agris, fluviisque. Obsessi videre se vix crediderunt hostem, quem venire non senserant.

Oberrante circa castrorum vallos cum potentissimo exercitu Regis fratre, contemnere hostem satius judicavit, quam pugnandis suis copiam facere. Improvidum putabat, per incertos certaminum eventus obsidionis securitatem præcipitare. Legerat sapientissima politicorum oracula & voces: stolidum esse, jactura gravi, compendio tenui periclitari victoriam: præliorum delicta emendationem non capere: glebis tutius arceri hostem & aggeribus, quam acie vinci: nullo loco, nisi cum cogit necessitas, committendam fortunæ summam rei. Insederat Ducis animo prudens Pauli Æmilii monitum: Raro imperatorem collatis signis decertare, & Augusti, bellum dissuadentis, nisi cum major emolumenti species, quam metus damni ostenderetur.

Est

Eſt & illud inter caſtrenſes artes, flumina derivare, aquas urbibus ſubducere & caſtris circumducere. P. Servilius Iſauram oppidum flumine averſo ad deditionem compulit. C. Cæſar Cadaucorum civitatem amne cinctam, aquarum inopia preſſit. Fecit in Hiſpania L. Metellus, apud Babylonem Alexander, & ante hunc magnanima Semiramis, aquarum omnes opportunitate uſi, ut vincerent. Secutus bellatoris populi exemplum Auriacus, amnes proximos in caſtrorum foſſas admiſit, alibi apertis aggeribus in plana immiſit. Familiare hoc noſtræ genti eſt, & terris ad arbitrium dominari & aquis, modo clauſtris coërcere Oceanum fluvioſque, modo laxaris habenis immittere agris maria; & mutatis ſedibus modo æquora telluri, modo hanc æquori in tutelam objectare. Parum intereſt Batavorum, jacturam facere minimi, ut ſalva ſit Reſpublica. aberrent flumina, dummodo error hic imperio ſalutaris ſit. male ſit parti, ut conſulatur toti. Pereat aquarum uſus hoſti, dummodo militet nobis. non hallucinatur natura, cum meliori cauſæ obſequitur, & tunc maxime officium facit, cum libertatis noſtræ aſſertoribus morem gerit. Quibus cura aliqua bonæ militiæ, ſuadent, terrendos eſſe obſeſſos. Philippus Macedo, cum Trimaſſum caſtellum capere vi non poſſet, ut terrorem obſeſſis incuteret, terras in altitudinem murorum aggeſſit, cuniculoſque agi ſimulavit. Cyrus Perſarum Rex Sardes erectis ad altitudinem malis & Pelopidas Thebanus accenſæ ſylvæ terribili facie ad deditionem territos hoſtes compulêre. Auriacus, quæ terrendo hoſti facere poterant, in promptu habuit, ſive cum tribunalia recipiendis machinis bellicis apta

proxime hoſtium vallis impoſuit, ſive ſubterraneis & occultis meatibus ſubruit ſtantes, ſive præliis ſine intermiſſione præſidiarios accidit, ſive tormentorum aſſidua & pertinaci exploſione in urbem detonuit.

Hoc quoque victori orbis populo curæ fuit, ne ab oppidanis inſidiis vel eruptionibus peterentur, aggeres, foſſas, turres interponere. Interpoſuimus & hic. Et cum magnum in obſidionibus ſit momentum repentini impetus, invaſimus & hic non uno impetu, ne tædio & mora evaneſcerent magni auſus. T. Quintius Conſul, Antium oppidum impetu, quem exhortatione conciverat, expugnavit. Auriacus, non ſemel militibus in fatales cuniculos & foſſas abeuntibus oratione expoſuit, quam neceſſarium eſſet & facile vallo depelli obſeſſos, ſi non differre pugnam, aut trahere, ſed impetu invadere animus eſſet.

Fallere obſeſſos, cum poſſis, inter militiæ laudes eſt. Hac arte Hannibal, ſimulato Romanorum habitu, multas Italiæ urbes in poteſtatem ſuam redegit, & Epaminondas Thebanus mutato militum habitu Arcadiæ oppida ſuis aperuit. Imperator noſter, cum auferendis hinc inde cadaveribus paucarum horarum eſſet quies, miſit eo architectos caſtrenſes, qui militis habitum ſimulantes, dum in mortuorum cadavera inquirunt, hoſtium opera doctiore oculo exploravere. Illud providi & circumſpecti Ducis eſt, obire caſtra, vigilias luſtrare, ipſis ſe cuſtodibus velut cuſtodem præbere, ne negotii ſuſcepti magnitudinem paucorum evertat ſocordia. Iphicrates Athenienſium Dux, cum Corintho obſeſſa vigilias ipſe circumiret, forte, quem dormientem deprehenderet vigilem,

lem, cuſpide transfixit. Auriacus, neminem celerius opprimi ratus, quam qui nihil timet, dum ipſe vigilias obit, vexilla quorundam auferre è vallis & in caſtra referre ſatis habuit. Noctes plurimas inſomnes traduxit, ut Æneam quoque ſibi & Agamemnona ediderit Batavia. Non capit ſomnum, quo vigile pudet dormire militem. noctem pro die habet, cujus gloriæ nox dies eſt. In tenebris publico invigilat, qui in tenebris lucem præclare factis fenerat. omne temporis ſpatium ſaluti ſuorum impendit, qui ſingulis momentis periclitari eam non ignorat. Cato obſeſſis Lacetanis, cum per Sueſſanos maxime imbelles, eos elicuiſſet, inſequentes per occulte habitos cecidit. Dux noſter non ſemel per inſidias obſeſſos elicuit, rarioreſque hoſti conſpicuos objecit, quem occultatis cohortibus egreſſum audentius fudit. L. Scipio in Sardinia civitatis cujuſdam obſidio intentus, dum ſpeciem fugientis induit, oppidanos furioſius emiſſos ſtravit. Dux noſter ſtatione cedere militem & fugam ſimulare docuit, ut redintegratis auxiliis incautos trucidaret. M. Attilius Conſul, cum bello Samnitico refugientibus in caſtra militibus alios oppoſuiſſet, exclamavit, ſecum & cum ſociis dimicaturos eos, niſi cum hoſtibus maluiſſent. Naſſovius quoque pulſis ſuis & retrocedentibus ſubmiſit à tergo, qui reducerent. Ita dum timidiores malunt ab hoſtibus, quam à ſuis interfici, belli ſtatum prudentia ſervavit. Eſt & hoc ſingularis in Duce prudentiæ, diſſimulare adverſa. quare cadentum in vallis & propugnaculis ſuorum numerum rigide iniri noluit, ne timidius pugnarent poſt morituri. Fecerat hoc pugnante Roma T. Didius, qui acerrimo prælio cum Hiſ-

panis dimicans, complura suorum corpora nocte sepelienda curavit. Pyrrhus inter cætera præcepta imperatoria illud Ducibus præcepit, ne pertinaciter insistant hosti vel fugienti vel abeunti, ne forte ex desperatione animosius resistat. Fecit idem Nassovius, cum discedente è castrorum vicinia regio exercitu, nostra tueri consultius putavit, quam acrius instare abeunti. Iulius Cæsar adversus Germanorum Regem Ariovistum prælio decertaturus, dejectis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis, usurum, quâ voce tanquam publico fortitudinis testimonio decimani pugnavere fortius, & reliqui pudore, ne virtutis gloriam præriperent decimani. Princeps, ut suorum quoque animos honesta accenderet æmulatione, modo Gallos, modo Anglos extrema tentare jussit, ut quæ à singulis sperare facinora difficile erat, laudis contentione impetraret. Servilius Priscus Dictator, cum signa legionum ferri in hostes Faliscos jussisset, signiferum cunctantem occidi imperavit. mitius Dictator noster, non occidi cunctantes operarios militesque jussit, sed increpavit acrius, certus, non minus severam Ducis vocem terrori esse, quam atrox supplicium. L. Sylla cedentibus Mithridati legionibus, stricto gladio in primam aciem procurrens, dixisse fertur: Si quis quæret ubi Imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Bœotia. Dixit ut potuit dixisse Auriacus minus gnaviter laborantibus: Si amittitis Imperatorem, amittetis litigantem inter glebas & fossores. Auxilia, quæ in urbem introducere omni studio conabatur Hispaniarum Infans, militari lege avertit. Non segnis in deprehendendis

nunciis

nunciis ex urbe vel in urbem mittendis, diligens in examinandis transfugis & intercipiendis cognitoribus, ut de oppidanorum & hostium statu redderetur certior. Alcibiades Cyzicum urbem oppugnaturus, diversa mœniorum parte cornicines canere imperavit, ut alia parte, qua non obsistebatur, transcenderet. Dux noster, cum de grandis munimenti, quod à Cornubus nomen habet, expugnatione disceptaretur, jamque terras aperuissent ignes subterranei, alia parte Anglos impetum facere jussit, ut revocatis à priori ruina obsessis, occuparet oppositum & nudum custodibus latus. Toto obsidionis tempore, iisdem fere, quibus militem, periculis se exposuit, vallos conscendit, facienda imperavit, inter pilas & faces ivit intrepidus, nunc in opere, nunc in agmine militi suo mixtus, incorrupto, quod de Alexandro scribit Curtius, ducis honore. Vbique conspicuus suis, mane, vesperi, circumcursans paventes, cedentes revocans, ubi maximus labor, ubi aliqua promovendi spes, suos incitans impellensque. Idem spectator, & testis, tempora, loca facinorum uniuscujusque notabat & referre singulis poterat. Ipse strues lignaque jecit, nullo detrectante munus, quod Dux occupasset. Ita statuit prudentissimus Imperator, nullum in bellis efficacius esse incitamentum, Ducis præsentia: illic se mori posse, ubi potest miles: ardentius procedere operas, pugnari acrius, consisti pertinacius, sub tanto virtutis & præclare factorum judice.

Disputant rei militaris periti, an interesse discrimini oporteat Imperatorem, an abesse, & per minores Duces maxima geri. Ego, quanquam Ducum Principumque vitam caram ha-

 beam,

beam, utpote ex quorum incolumitate omnium nostrûm dependet; tamen in illam pene me sententiam abduci patiar, quæ Principes iis periculis interesse patitur, quæ magnitudini ipsorum & gloriæ & saluti publicæ paria sunt. Nec enim gloriam consumi velim, in sordidis hostibus, aut ubi ostendi non potest majestas imperantium. At ubi æqualia fere sunt, discrimen & prœmium, fama & facinus, metus & spes, malim audaciæ illum affinem magis esse, quam timiditati. Quid enim? nonne virtutis bellicæ gymnasium sunt castra & campi? at indecorum à schola sua abesse rectorem, & timere Spartam, quam ornandam suscepit. Nonne mortis contemptus altius insedit animis eorum, qui immortalitati litant? nonne utile adesse principem, ubi rei male gestæ infamiam solus sustinere habet? nonne gloriosum in partem venire discriminis, qui suprema laudum merito sibi vendicat? Remove imperatorios oculos, languet militum virtus. adhibe, gliscit illa & vires capit. illo adspectante conficit facienda momento, absente segnius tardiusque. Desperant facile, qui ducem suum sentiunt desperare. Amat miles eorum pericula suis jungi, quorum honori & obsequio se devovet. Majus sui pretium esse autumat, cum mori secum non detrectant Duces. Et interest famæ ipsorum, res magnas confici, interest reipublicæ, interest militum. Vbi præeunt illi, causam communem habent, ubi abest, privatam. Diffident à gregariis dignitate, non officio, gladio accinguntur, non ad pompam, sed ad usum. Non dubitant optimates, patrem esse patriæ, qui pro ea oppetere non formidat. curæ ipsi omnes esse, cui omnium commoda suo incommodo redimere

mere non est grave. Quod si Principum obitus excusseris, plures à suis, quam ab hoste interemptos numerabis. rara sunt summorum Ducum funera, quia ipsi rari. Et habet illorum curam, qui omnes nos curat. cœlo vindice pugnant, quorum causa cœlo probatur. pluribus ictibus exponuntur partes corporis, paucioribus caput. quia illæ multæ, hoc unum. non fugit gregem periclitantem pastor, & inter feras rex est, quæ minus timet. Si noluit pugnare Scipio, sed imperare; voluit & pugnare & imperare Hannibal, voluit Cæsar, voluit Macedo. Nec propterea temerarium esse velim Ducem, sed circumspecte audacem, cum metu aliquo intrepidum, cum cautela fortem. Talis Auriacus militem suum non disciplinam modo, sed & exemplum à se petere voluit, nec jussa solum sua sequi, sed & facta. Primus carpsit iter pedes, militum ora animosus præcessit, & labores, quos imperavit, tolerare monstravit. Alexandri, Camilli, Scipionis, Annibalis aliorumque ad militem Martias voces in veterum monumentis legere est. Auriacum abeuntem in discrimina militem in hæc fere Camilli verba alloquutum fuisse fama est. Quæ hæc cunctatio milites? Vos, hostem, me intuemini. Vos, quorum manu capta belli prœmia habemus urbes validissimas, Grollam, Vesaliam, Sylvam, Trajectum, Berkam. Hostem, qui certa virtutis vestræ est materies & magnanimitatis cos, quem vinci posse tot triumphis comprobatum. Me: qui nec dux vobis desum, nec imperator, eandem toties vobiscum belli fortunam expertus. Non facit Dictatura, ut animos sumam imperandi vobis, sed communis necessitas. Hoc loco iidem omnes sumus. Vno vobiscum no-

mine appellari cupio, hoc est militis. Alibi Auriacus vocer, alibi Nassovius, hic quia eundem cœptæ obsidionis eventum expectamus, ea conferte, quæ in aliarum urbium expugnationes contulistis. Si quod quemque facere oportet, facietis gnaviter, vos vincetis, Breda vincetur. Si quid militari experientia in futurum videt Imperantis mens, nostra urbs est, favente Numine. alii gladiis ante pedes positis glebas accumulate, valla perfodite; alii districto ense, impetum invadentium excipite. Vbi illi pilas jecerint & effusi portis stantibus vobis se injecerint, cogitet vestrum quisque, Deum esse, qui juvabit, Deum esse, qui secundis auspiciis vos in prælium misit. Angustis spaciis pugnamus, sed spe ampla. non patet via, nisi quam aperient ensis & ligo. trahere bellum nec vacat mihi, nec expedit patriæ. gloriam victoriæ fortis celeritas dabit, & præceps fortitudo. Hærete ad quodvis certamen intenti: collato pede pugnate: terrorem redintegratis copiis inferte. invectique stationes obsessorum impetu & consilio invadite, vestras defendite. hæ per vos, non vos per ipsas, tutæ esse debent. In urbe ista stare vos volo, quæ ante oculos est, in arce ista, quæ spei nostræ fiduciæque arx est. Paucorum passuum intervallum est, quod vos ab illa dirimit. Brevis hic est vel decoris vestri vel dedecoris Isthmus. Vix lapidis jactu abestis à victoria. Audacia pro scuto sit, & jam transiistis. Non de sterili pulvere pugna est, sed ea urbe, quæ imperii vel nostri vel Hispaniensis, asylum est & propugnaculum. In hoste plena omnia animorum ac roboris, miles veteranus, Hispanica præsidio, Regi suo fidelissima. tanto cordatius pugnandum vobis, quanto ma-
jor

jor est fiducia aggredientis, quam propulsantis. In dextris vestris futuri temporis spem geritis, pacem aut majoris victoriæ causam. In theatro terrarum orbis vos positos credite, ubi suam cuique virtus aut laudem pariet, aut pugnæ finem. Talia Nassovium sensisse, talia locutum fuisse omnes mecum creditis.

Ad has voces, en faciem acuti belli. appropinquatum urbi stupenda velocitate. pugnatum indies summis viribus, & per nostrorum hostiumque stragem itum ad urbem. Hic ligonibus subruta tellus in mœnia & turres assurgebat. illic gladiis, hastis, balistis, uncis, ignibus, missilibus pilis conserebatur. Duces, & debitæ fatis copiæ per angusta viarum incedentes ibant, & proscripto omni timore solam pugnandi moram incusabant. Ardebant in congressu oculi, propiusque juncti trudebant invicem & trudebantur in mortem, vitæ immemores, nec tamen inulte morituri. itur gladiis in jugulos illorum, quos straverat, non interemerat balista. Condolent vulneratis, gratulantur mortuis. Non standi sine periculo, sed hostem incessendi singulis cura erat. Nec ante cædibus finis datus, quam de tumuli vel valli parte triumphatum esset. Hi summa valli occupantes, ignes subdolos & globis clausos subeuntibus ingerebant. Hi subducta tellure hostibus, Antipodum instar, suppositi, superne pugnantibus viam monstrabant, qua ad superos itur. Sæpius una ruina & obsidentes obruit & obsessos. Detonabant hinc inde machinæ., quasi è cœlo & nubibus in terrigenas tela mitterentur. Visa dissolvi cœli terræque compages, & commotus Phlegethon incendia eructare. Auditus sonus per Hollandiæ, Zelandiæ, Geldriæ extrema,

ut quibus maxime profutura esset victoria, de labore ante constaret. Varia cæde peritur. quidam in altum sublati in aëre & cœlo pene exspiravere animam, quam in terris cœlitus accepere. quidam semiustulati venere in potestatem. quidam semianimes cumulis & pulvere jacuere obruti, dubii, an vivis se annumerarent, an mortuis, Superis an Inferis. alios cadentes fossæ absorbuere, alios stantes globi stravere. Omnium elementorum in mortem pugnantium conspiratio fuit. Alius, quum fugientis tergo inhæret, ictus corruit, qui abire cum gloria potuisset, si unquam felix temeritas modum invenirent. Non diremit clades mutuas nox, quæ flammis usque lucens diem mentiebatur. Præliis modo casus aliquis modo virtus, modo tenebræ exitum dedere. Hostibus immortui jacuere nostri & hostes nostris. Sociavit mors, quos dissociavit causa. distinctos juramento miscuit belli furor. & concordes ora oribus junxere defuncti, qui vivi stupidis odiis diffidebant. Cernas in manibus quorundam obriguisse enses, & in semimortuorum vultibus minas, ac in ipsa morte spirantem vindictam. Inclinat se in unum genu pugnaturus, cui alterum ex vulnere labat. Cogitur pugnare sinistra, moriente & fatiscente dextera. Ferit & pungit supinus, qui stans nequit. nec desinit lingua Mavortiis vocibus hostem lacessere, desperata ceterorum membrorum salute.

Et, ne suam obsessis laudem denegare videar, nihil boni militis in hoste Gubernatore desideratum, sive excitanda suorum fuerit alacritas & cura; sive defendendæ stationes propugnantium; & invadendæ oppugnantium: sive dissimulanda inopia rerum ad bellum necessariarum:

rum: sive poscenda auxilia foris; sive emittendi recipiendique nuntii: aut eruptionibus vexandi obsidentes: aut exploranda noctu vel interdiu nostrorum opera & molitiones: aut ostendenda exoptatæ potius quam speratæ defensionis fiducia. Non alia magis, quam hæc obsidio, ostendit Principis fortitudinem, sapientiam, vigilantiam, fidem. Mirum quæ ejus in reparandis copiis festinatio, in submittendis auxiliis cura, in excitandis suis solertia, & non deserenda obsidione constantia. Imminebat castris ingenti peditum equitumque manu Cardinalis Infans. nec hoc periculo motus obsidionem solvit. inde profectus ad Vahalim & Mosam, arcibus nostris incubuit. nec ob hoc deseruit Capuam suam Romanus noster. sed parte exercitus relicta, parte hostem secutus, præsens absensque pugnavit. ad Venloam infesta signa duxit, & non tam sua virtute, quam nostrorum ignavia cepit. nec tamen hinc avocari se passus est. Ruræmondam deditione accepit. sed & hanc jacturam sprevit. Et quamvis imbres perpetui campos lubricos fecerant, gravesque & prope immobiles currus viarum hærerent voraginibus, licet natarent aquis militares accessus & fossæ, innatarent tentoria, diffluerent valla, stetit integra atque immobilis Auriaci virtus, & fatigatam malis urbem Dei Opt. Max. auspiciis ac Fœderatorum impensis ad deditionem compulit, magnamque victoriam consummavit. Cesserat Breda ante annos duodecim Hispaniarum regi, victore Ambrosio Spinola. sed diversa magnis Ducibus consilia, diversus vincendi modus fuit. Non conferam exercitum exercitui, non Ducem Duci, non titulos titulis, non causam causæ. Formam belli,

belli, obsidionis geminæ comparabo faciem, ut præstet Auriaci. Spinola fame expugnare urbem maluit, ob validius, quo defendebatur, præsidium. Auriacus ferro, ob præsidium minus validum. Spinolæ Cæsaris placuit institutum, qui idem sibi esse consilium in hostes dicere solebat, quod plerisque medicis contra corporum vitia, fame potius, quam ferro superandi. At Auriaco Domitii Corbulonis sententia placuit, qui dolabra, hoc est, operibus hostem vincendum esse dicebat. Qui Auriaco placuit modus, gloriosior fuit, quia cum viris pugnavit. Qui Spinolæ, minus, quia cum famelicis potius stomachis, quam cum viris bellum gessit. Auriacum erexit vincendi aperto Marte fiducia. Spinolæ desperatio vincendi hoc modo, suasit cunctationem & moram. Ille audenti, hic timenti similior. illius obsidio majoris patientiæ, hujus majoris animi & audaciæ fuit: Auriaci consilium minorum fuit impensarum, plurium funerum. Spinolæ majorum impensarum, pauciorum funerum, unius incruenta & vix ulla vel suorum vel hostium sanguine adspersa expeditio, alterius cruenta & vere Martia. Auriacus festinandum sibi rebatur, ob metum hostis armati, & menses æstivos, aptos inferendo quaquaversum bello. Spinola minus à mora sibi metuebat, ob hyemem & pluvios menses, ineptos ad inferendam vim. Spinolæ lenta fuit obsidio, & obsidentibus magis, quam obsessis tædium attulit. Auriaci subita & alacri utriusque partis milite, brevi perfecta. Illius difficilis, ob brumam ad comportandum ex longinquo difficilem. Hujus difficilior ob obsessos usque & acerrime pugnantes. Alter æstatem duravit, alter brumam, alter Capri-

pricornum, alter Sirium: alter oportuno tempore exercitum eduxit, & castra posuit, alter importuno. ut unius obsidio magis generosæ pertinaciæ affinis fuerit, alterius magis subactæ prudentiæ. Regia castra incessimus nos frustra, cum firmata omnia operibus haberent. Fœderatorum castra frustra incesserunt hostes, rudi adhuc & nondum perfecta munitione. Auriacus obsidione cœptâ & urbi institit à fronte & hosti à tergo. Spinolæ nec cum urbe multum negotii fuit, quia pugnare cavit, nec cum hoste, quem non nisi sero habuit. Spinola urbem operibus bellicis pene invictam afflixit. Auriacus novis ab hoste operibus ac munimentis auctam. Pro nobis militavere flumina, vallis circumducta; quæ in istos usus convertere aut nescit aut neglexit sagax alias Itali industria. De Spinolæ *victoria desperatum usque in Hispania, & alibi.* De nostra bene speratum ubiq; & semper. Spinola potentissimi Regis totiusque Occidentis opibus adjutus vicit. Auriacus nostro, hoc est, benevolorum civium succo. Ille, ut tutam redderet obsidionem, auxiliares ex Germania copias advocare necesse habuit. Noster solito milite contentus, minore motu vicit. Italo Duci cum hoste clauso nec arma quatiente res fuit. Batavo Duci cum clauso, sed pugnante. illi quasi cum imbelli urbe, huic cum armata & bellicosissima. alteri cum pluribus præsidiariis, sed contra quam volebant, ociosis. alteri cum paucioribus, sed in pugnam paratis & admissis. Nassovio patria sua obsidionem imperavit ut civi, respublica ut Duci. Spinolæ peregrina tellus, ut Duci, sed alienigenæ; ut alter pietatis etiam motu, alter sola autoritate regia rem tantum aggressus fuisse credi possit.

possit. Obsidente Bredam Marchione, in errorem inducti sumus nos, vix posse exercitum per hyemem in castris sustentari, tanta commeatus habendi difficultate. Obsidente Bredam Marchione altero, in errorem inductus est Cardinalis, non posse tanta celeritate cingi urbem, quin citius revocatis aliunde copiis impedire nostrorum conatus facile foret. Ambrosio obsidente, majus aliquid animo moliebatur Imperator noster, cujus successus non fuit in fatis. Frederico obsidente, Hispanum sua quoque spes fefellit. Ambrosius urbem cepit, controverso belli titulo regiam. Fredericus recuperavit, justo titulo suam. Victæ à Rege Bredæ vetus decus splendorque decessit, profugo cive. At victæ à Fœderatis priscum decus redditur, reduce cive. ut alter victoriam collapsam restauraverit, alter integram deformaverit. alter populosam possessurus sit propediem, alter vastam possederit. Severini Princeps, post inducias, novi hic belli principium fecit. Auransii Princeps, si quid veri mens augurat, hujus urbis deditione novæ paci præludit. Dedita illi Breda præsidiariorum nobis reddita tria millia, novum belli robur. Dedita huic Breda, hosti redditus miles longa ac multiplici clade fractus & attritus. Genuensis Dux, si sumptuum immanem magnitudinem cum lucro conferas, plus Regi suo nocuit, quam profuit. Batavûm Dux utilius bellum gessit, quia minore sumptu civitatem recepit suis magis utilem. Spinola urbe potitus fuit, frustra in suppetias conjurantibus quatuor regibus. Auriacus eandem recepit frustra conjurante tota domo Austriaca, tot Europæis regnis, Asiatico adhæc, Africano, totoque Americano imperio subnixa. Isabellæ gratulatum,

tum, ut Matri Castrorum, Principi gratulandum, ut Patri castrorum, Religiosæ Isabellæ acclamatum: *Vna mulier fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor*, Celsissimæ Æmiliæ acclamandum: *Vna mulier vidit confusionem factam à marito in domo regis Hispaniarum.* Venit in urbem Isabella religionis Catholicæ instauratrix. Venit in urbem Auriacus veræ reformatorum religionis restitutor. Hispano post deditam urbem armorum quietem imperavit ærarii inopia & exhaustæ una in urbe Hispaniæ. Fœderatis, si non in ærariis, in civium adhuc liberalitate abunde est. Ignoscite, Auditores, si liberalem mihi vocem extorqueat Reip. amor. Actæ olim à Senatu Varroni gratiæ, quod difficillimis temporibus de Repub. non desperasset. In eo tamen convenere, quod uterque Ducum raræ fortitudinis, constantiæ, magnanimitatis, & scientiæ militaris documenta orbi Vniverso obsidio quisque suo dederint: uterque æquanimitate, continentia, mansuetudine erga suos, moderatione & clementia in victos laudabiles fuerint; uterque post exantlatos maximos labores & devorata belli tædia, voti compotes facti sint. In his convenire & discrepare cernas. Spinolæ Bredam obsessuro occurrebat, ea capta, Bergas ad Zomam aliaque propinqua loca facilius recuperari posse. Auriaco obsessuro occurrebat, ea recepta facilius illa defendi posse. Deterrebat Spinolam robur urbis præsidio & opere munitæ, necnon supportandi commeatus difficultas. Terrebat, non deterrebat Auriacum & robur urbis & potentior hostium equitatus, impediendæ circumvallationi. Fluctuabat diu Spinola an Graviam esset obsessurus an Bredam.

Flu-

Fluctuavit Auriacus, an Bredæ esset admoturus castra, an iturus aliò. *Bredam tentandam censebat quidem sub Spinola tribunus, quod acerbius nullum vulnus* Gubernatori nostro *accidere posse dictitaret, cum eam urbem in oculis gereret.* Eandem repetendam præter alia censebant nostri, quod ea recepta nullum vulnus majus regio fratri accidere posset, quam si ea urbe per suorum negligentiam exueretur, cujus victoriam tam grandi ære redemerat Rex. Qui victam ab Illustrissimo Marchione Bredam apta oratione descripsit, miracula plurima & prodigia speciose notat, quæ durante Itali obsidione accidisse religiose miratur. Nobis, si ut illi, quicquid mirum, aut felicius infeliciusve à belli ducibus gestum pro miraculo habendum sit, non difficile erit plurima hac nostra quoque obsidione annotare. Illud primum est, prudentissimos & rei bellicæ peritissimos exercitus Hispaniensis Duces, & regiarum provinciarum præsides, non providisse urbi à milite, & tormentario pulvere, ut defensioni suæ, alias invicta, non suffecerit. cum vix ulla, præter illam, hac tempestate obsidioni oportuna fuerit. Auget vecordiam, quod eadem negligentia, & Sylva Ducis & Trajectum ad Mosam, validissimæ in limitibus urbes, nobis accesserint. Secundum illud esto: Cardinalem Infantem, nova imperii fama, & virtutis tot proavorum æmulatione accensum, parato & instructo exercitu, nondum perfectâ circumvallatione, ad castra accessisse, cominus lustrasse, nihil animose, nihil insidiose, nihil hostiliter ausum. Tertium, vexato per dierum noctiumque plurium perpetuas vigilias & motus exercitu nostro, abiisse improvidum & desperabundum hostem; cum illud

illud agendo atterere & fatigare nostros, obsessos levare, obsidionem trahere in promptu haberet. Quartum est, amplissimam Brabantiam, fertilem omnis annonæ Flandriam, vicinosque fœcundissimæ Wasiæ agros, non suffecisse hac tempestate alendo regis exercitui; cum obsidente Bredam Spinola per longam brumam, regiis castris, copiosiori militi, majore adportandi incommodo, prospectum fuerit. Quintum: non majoribus animis Hispanum, hac rerum suarum desperatione, incubuisse castellis arcibusque ad Mosæ, Vahalis, Rheni ripam positis; cum iis occupatis, fluviis nostris imperare, exercitum traducere, & in intima provinciarum penetrare non fuerit difficile. Sextum est: ingentem Bredæ jacturam, in qua vincenda opes viresque omnes impendit Hispania, paupere Venloa & imbelli Ruræmonda compensari, & tam indignas vices sine impatientia ferre posse magnanimitatem Austriacam. Septimum: nec Bredam obsidio liberatam, nec restitum Gallo. Hinc Brabantiam apertam nobis, hinc Gallo Hannoniæ Artesiæque campestria patuisse. cum, si militaribus credendum judiciis, aut majore vi impeti debuerint obsidentes, aut grassantes impune Celtæ. nunc distractis viribus ostensum, quantis rebus ubique impar fuerit Hispanorum magnitudo, potentia, animus. Octavum: non potuisse Infantem, Regis Ferdinandi cognatum, necessaria auxilia ab Istro impetrare, turbido hoc Brabantiæ statu, aut impetrata in obsidentes convertere; quæ obsessa nuper Sylva Ducis, præsto fuere ocyus, & graves Transisulanis. Nonum est: hærente ad Bredam Fœderatorū exercitu, non id

id potius consilii cepisse Cardinalem, Trajectum ad Mosam mutua obsidione premendi, urbem Brabantiæ limitaneam, quæ Eburones nobis sociat, Antwerpiæ commercia cum Tungris & Eburonibus intercludit, Gallorum copiis in ipsa Grudiorum viscera viam sternit; quam consumi æstatem debellandis binis urbeculis, quæ primi cujusque occupantis sunt. Decimum est: eam fuisse obsidentis Auriaci curam, ut licet fixis in mediterranea statione magno ambitu castris, nulla parte interceptus fuerit vel intercipi per hostilem exercitum potuerit commeatus. Vndecimum est: tanta operantium celeritate & alacritate cinctam urbem, ut adventanti post paucissimos dies Cardinali impervia judicarentur castra. Duodecimum, bimestri paulo plus spacio deditam nobis urbem, quam undecimo mense vicit Regius gubernator. Tertium supra decimum, ex quo in urbem conversæ vires, nec cum hoste externo negotium fuit, septem hebdomadibus de ea urbe triumphasse victorem, quæ inter totius Europæi orbis munitissimas habetur. Quartum supra decimum est, Hispanici Belgii incolas, olim fortes, vix obsessa urbe, eam devovisse, & ut victam damnavisse, nec quicquam spei reliquam sibi fecisse gentem Philippicis viribus & pecuniis suetam gloriari.

Hæc aliaque obsidionis nostræ famam toto orbe circumferunt. Cujus si momentum ex commodo æstimes, vicimus nobis utilem, si ex victæ urbis robore, vicimus invictam. Illa Hollandiæ, illa Geldriæ, illa Zelandiæ prædatrix institit. Non Vahali, non Mosæ, non æstuariis Scaldis tuta fuere navigia & commer-

cia. capti civis, ablatæ merces, abductæ vel mersæ rates. Hic arma, armamenta, & omnis belli apparatus vexandis nobis. Hæc arx, hæc horreum, hæc militum palæstra & receptaculum fuit. Hinc in agros Salinarum, Tielensium, & Heusdanum proximus cursus. Hæc una Sylvam Ducis inter & Bergas ad Zomam posita sociarum urbium aditus diremit. Hæc vicinis civitatibus castellisque imminens grandis illis præsidii necessitatem imperavit. Hac victa accessit Reipub. novum robur, civibus, commerciis, fluminibus certior salus. Patuere Hollandiæ proxima, patuere Toxandrorum aquæ, quas nunc à piratis vindicavimus. Potuit nocuisse Breda Antverpiæ viribus fulta. postquam nostra esse cœpit, minus terribilis erit Brabantiæ metropolis, quæ sola nostris triumphis ad Fœderatorum decus, Auriaci gloriam, Belgii pacem superest. Agnoscite mecum, Auditores, rei, quam propitio Deo confecimus, magnitudinem & publici gaudii caussas. Si unam urbem expugnatam creditis, operis magis, quam emolumenti rationem exactam habetis. De ea urbe triumphamus, qua nulla vel veteri vel hodierno seculo munitior. fossas specta, inaccessa est: mœnia, alis opus, ut transvoles: propugnacula, Acheron movendus, ut perrumpas: sudes præpilatas, Hercule opus, qui evellat: Arcem, Titanum fabricam jures. Vrbem vicimus, cujus mœnibus robur addunt, propugnacula quindecim, colles præcelsi jaculandis procul pilis duo: humiliores munitiunculæ ad mœniorum pedem tres: seps spinea: fossæ passuum alibi 70, alibi 150: fossis innatantia munimenta 14: adhæc lorica altitudine pedum quinque, cui interposi-

tæ

tæ ſunt quinque munitiones magnæ cornubus minaces, & his objectæ aliæ ſemilunares; foſſa altera, & extra hanc lorica externarum munitionum cingulum. Denique arx mœnibus, aggeribus, pontibus, armamentario, gemino aquæ circumductu munita, & tormentis in omnem partem diſpoſitis, omni inſuper apparatu Martio terribilis. Iactate Platæenſium obſidionem Lacedæmonii: Carthaginis & Numantiæ Scipiones, Aleſiæ Cæſar, Peruſiæ Auguſte, Tyri Alexander. Hic aut paria fecimus vobis, aut certe majora. Eo illuſtrior obſidio noſtra, quo difficilior; difficilior, quo terribilior; terribilior, quo majoribus hodie & efficacioribus machinis urbes, turres, valla, arces peſſumdamus. Sed quid jam animi putamus eſſe Hiſpano? cui glorioſum vincere, at victis cito excidiſſe, ignominioſum. redit ad nos gloria victoriæ, quam meruit victor Spinola. Quas laudes, quæ encomia in illum congeſſere egregii ſcriptores, Auriaci ſunt. Si Spinola vincente, (hoſtium verba refero) *negata fides famæ nunciiſque quaquaverſum miſſis*: negabitur & nunc vincente Auriaco. Si Spinola vincente, *è cœlo dimicatum eſt contra nos*: Auriaco vincente è cœlo dimicatum eſt contra illos. Si Spinola vincente, *dubitabit poſteritas admirabunda, tantas res confici potuiſſe*: dubitabit quoque vincente Auriaco. Illo vincente, *ſupra hominum vires victoria fuit*. Fuit & vincente Auriaco. Si hoſtium teſtimonio tantæ molis fuit urbem iſtam expugnaſſe, certe recepiſſe, minore impenſa, breviore ſpacio, aperto Marte, majoris laudis fuerit. Quoties jam tabulas obſidionis ſuæ ſuſpenſas in atriis intuebitur Hiſpanus, Italuſve, infelicitatis ſuæ ſpectaculo

lo doleat & militaris fortunæ lubricum agnoscat. Credat illic castrametari nos, ubi castrametatus fuit ipse; illic stare Auriacum, ubi stetit Ligur; illa urbe jam se exigi, quam victor in tabula ingreditur. Credat domus Austriaca, frustra vinci Fœderatos, frustra Auriacos, quibus amissa recuperare in Dei favore est, militum manu, Frederici fortitudine, nostra felicitate. Pergite ista virtute, Fœderati Ordines, & animos fiduciæ ac alacritatis plenos ad amplificandam porro rempublicam adhibete. Ne degeneret in vobis Martius calor, vigentibus Hispanorum in nos odiis & bellis. Armis comparantur imperia, armis conservantur. Respicite plurium retro annorum vel secundas vel adversas res, invenietis prospere evenisse omnia pro aris & focis decertantibus. Asseruit Deus vos veræ religioni, & avitæ libertati, qui utramque non nisi cum morte deseritis. Si principia belli cum præsente Reipublicæ statu conferantur, superat fidem felicitas vestra. Tot urbibus, provinciisque olim exuti, tot urbes, gentes, regiones in ditionem redegistis, eo rerum successu & velut turbine, ut victorias vix capiant & imperantium & subditorum vota. Non ibo per singulas. Iam Bredam vicistis, imperii vestri & securitatis arcem. Audax visum fuit consilium vestrum. Sed in rebus asperis fortissima quæque consilia tutissima judicastis. Occasiones cauti captastis, quarum in bello cito prætervolat oportunitas. Audendo res vestræ crevere, non iis consiliis, quæ timidi cauta vocant. Successus suspicite & immortali Deo imputate. Incredibile dictu. qui tot annis domi luctati fuistis, modo calamitatibus mersi, modo emergentibus similes, nunc

 hostem

hostem non pomœriis solum vestris exegistis, verum alios orbes bellis armisque implevistis. Progressi extra Europam estis. Sidera virtutis vestræ testes habetis, quæ vidistis nunquam. Ivit eò armorum vestrorum fama, quo ivit nuper Nassovius. Illic Bredam iisdem auspiciis victam audient Barbari, quibus vicistis Olindam, Tamaricam, arcesque ultra æquinoctia formidabiles. Triumphos Oceanus discludit. Hic trophæa & illic suspenditis. Hic notis linguis, illic ignotis. hic inter cultos & mites, illic inter feros & agrestes. Qui gloriæ vestræ applaudunt hîc, Batavi sunt, Martiaci sunt, Frisii sunt, & Sicambri, & Bructeri & Salii. Illic Viatani, Petiguares, Tupinabæ, Mariquitæ, Toxinaques, vos admirantium, vestra imperia agnoscentium ignota vocabula sunt. Patere cœpit Occidens. Instate cœptis. Huc trajicite Scipiones Nassovii, ut revocetur è Belgio Hispanus Hannibal. Sufficiet Breda, quod bibet Olinda. Merces commutabunt discreta mari flumina, Vahalis & Ianeirus. Mosa & Amazonum fluvius. Hoc loco finiri posse bella nostra, vel fatigari hostem cordatissimi civium sperant. Et manifesta est consilii ratio. Repullulabunt bella, quandiu illi pullulat aurum. Hac parte ipsum petite, qua sola dives est, qua sola audax est, qua sola potens est. Optimus belli fructus pax est. Hanc frustra expectabitis, nisi victo aut diviso vobiscum ut Oriente ita & Occidente.

Tu vero, Princeps Celsissime, fruere laborum tuorum immortali gloria. Expugnasti urbem virtute militari, quam olim Illustrissimæ memoriæ Princeps vicit belli felicitate. Tunc vincendi modus ludicrus fuit, nunc serius & gravis.

gravis. Tunc cespite, nunc gladio in arcem penetravimus. Tunc arida gleba, nunc viridi vicimus. Tunc dormienti urbi intulimus signa: nunc vigili: tunc inermi, nunc armatæ. Placuit tunc dolus, nunc aperta vis. ut tunc occupata potius fuerit, quam superata, nunc superata, non occupata. Tunc totam cepimus simul, nunc cum terrarum spaciis victoriam passibus & pedibus emensi sumus. Tunc minus munitæ vim intulimus, nunc pene invictæ. Non deerat tunc Ithacus aut Sinon, qui laudabili facinore falleret. nec nunc Diomedes, qui fortiter expugnaret. Erat tunc promtæ audaciæ aliquis, qui tussienti sibi, ne proderetur dolus, jugulum præcidi voluit. Non defuere nunc Symmachi & Nicanores ad spernendum omne periculum accensi, temeritate atque audacia insignes, qui hostem, porrecta manu, ultra vallum in stationem suam pertraxere. Tunc temporis pro equo nobis Trojana & fatali machina, vectoria navis fuit. Nunc insidiarum nescii testatum fecimus orbi Nassovios utroque modo vincere posse. Prior victoria fortunæ & paucorum audaciæ debebatur. Hæc nostra industriæ & labori. Erat tunc fallaciæ nostræ testis obscura nox, nunc clara dies. Tunc Luna judice, nunc Sole triumphavimus. Tunc res acta sacro silentio, ne pateret fraus. nunc inter tympanorum, tubarum, tormentorum immanes strepitus & boatus, ut inclaresceret victor. Tunc æternæ posteritatis memoriæ sacravimus victrices tabulas, & foros & transtra. nunc cruentatos & nostro hostiumque sanguine aspersos enses, hastas, vexilla. Hæc fortitudinis tuæ, hæc curæ, hæc impavidi pectoris

monumenta veneramur, Invictissime Princeps. Vindicasti tibi & domui tuæ Nassoviorum tumulos, & consanguineorum chara corpora, qua in victæ urbis templis placide cubant. Hæc si loqui possent, his te verbis alloquerentur.: Ingredere vindex paternæ cædis, & in vindictæ parte numera ereptam Regi urbem potentissimam. Fuisset illa etiamnum Regis, si Nassovios aut amare perrexisset, aut timere. Ex quo odisse cœpit & armis persequi, urbes illi, & regna, & populos subduxistis nepotes. Patris tui fortitudini successit Mauritii fratris, qui prudentia par, armorum claritate major, non destitit felicibus cœptis manum admovere. Tu utriusque vestigiis insistens cum armis terrorem metumque tui per hostiles terras latius circumtulisti. Et crescere tuorum virtutem adversis docuisti, non premi. Ingredere, & urnas nostras rerum per te gestarum splendore illustra, cineres nostros memoriamque illustrissimæ domus bellorum tuorum fama resuscita. Vivamus per te in Belgarum animis, qui olim viximus virtute nostra. deriva in posteros gloriam, quam longa serie à majoribus accepisti. Non possunt non tanta indole digna moliri, qui Cæsaribus annexi sunt. Quoties impetebas urbem, repetebas tuam & proavorum tuorum. appropinquasti mœnibus, ut nos salutares propius. Vi aperuisti viam, & ad manes nostros Fecit *iter durum pietas*. Si mortuos reviviscere sivissent fata, has tibi manus, hos pedes, has voces consiliis tuis laboribusque commodassemus. Quæ lachrymis dudum, jam præ gaudio sudant marmora. Hispanos ad latus nostrum in peristyliis obambulantes sensimus cum horrore.
Austria-

Auſtriaci imperia accepimus inviti. Victorem admiſimus, non amicum. Diſplicet Naſſoviæ genti, quicquid Tagum olet & Bætim. Ambulent hic Frederici, & quieſcemus mollius. Proles tua Guilielmus eo loco adoleſcat, ubi conſenuimus proavi, patrui, cognati, fratres. illic in patrias artes erudiatur, ubi caſtrametatus fuit pater: illic bellorum ſedem figat, ubi nos longæ quietis. illic armorum, ubi nobis finis fuit laborum. Hæc illi ſchola ſit Martis, quæ tibi fuit illuſtriſſima militiæ arena. Hic tyrocinia faciat belli, ubi nondum ſpectas colophonem. Arcem exſtruximus nobis, non Burgundis. Advenas paſſi ſumus, non hæreditarios principes. Hoſti in uſum ceſſit, non in dominium. Baronatus noſter fuit, jam tuus eſt, & ſanguinis & belli jure. Si glorioſum eſt Hiſpano occupaſſe ad tempus, glorioſius per te deturbari in perpetuum. Oſtendit fortuna, quantum indulgeret hoſti, quantum poſſes tu. Dedit documentum, & ferre Naſſovios poſſe dominiorum jacturam, & eadem recuperare. Quæ belli errore nuper amiſſa fuêre, tua induſtria recuperavimus. Excipit te Curia Dominum & priſcos faſces offert nato olim Baroni, jam facto. Cives rectori ſuo redditi ultro obſequia præſtant, quæ Philippo præſtitere coacti. Qui ſub Rege trepidi, ſub te læti vitam ducent. Fuit urbs noſtra viciniis & ſociis gravis, non ſuo motu, ſed imperantium. Iam ſoror erit, quæ fuit inimica; conſors fœderis, quæ Fœderatis hoſtiliter incubuit. Civium pariter militumque tranquilla domus, quæ abactis civibus prædonum fuit hoſpita & atibulum.

Ad vos jam orationem confero, heroes, & milites generosissimi, qui Bredæ sub mœnibus altis oppetiistis, & cum corporibus illustre fecistis divortium. Vos in animis nostris & gratæ posteritatis memoria vivite. Stamus in urbe hac, sed beneficio vestro.. laborum fructu, quo caretis mortui, fruimur vivi. Certastis pro patria & libertate, quæ si vestra non sunt bona, sunt vestrorum. Sibi pugnat, qui suis. Est aliqua solatii pars morientibus, illic cecidisse, ubi fama superstite vivitis: illic sepeliri, ubi immortalitatis vestræ causas quisque colligit & miratur. Quæ prælia, quæ certamina inivistis, inivistis gloriæ. quas terras, quos cuniculos, quas vineas subiistis, cœlo vos vindicant. quos exstruxistis aggeres, vallos, munimenta, virtutis vestræ fideique publica fuere theatra. Maluistis per fortitudinem emori, quam per dedecus cedere loco, quem elegeratis. Maluistis cum Epaminondis & Deciis ire per acuta belli, quam deserere nutantem urbis fortunam. Idem circus, eadem castrorum corona, funera vestra vidit & præmia: pericula & fidem: vulnera & constantiam. Non salutem in fuga posuistis, sed in armis & robore, edocti in præliis maximum esse periculum, maxime formidantibus. Socordiam & ignaviam proscripsistis longe. Non dies solum, sed & nox & vespera armatos adspexit & pugnantes. Poteratis nonnulli domi vivere splendide & ætatem agere securam. Sed quia ingloria hæc viris & fœda videbatur, ultro viam inire decrevistis, qua ad famam itur. Stipendia sprevistis, immortalitatis avidi. nec conducti mercede militastis, sed gloriæ pretio. Qui alibi vitam in occulto egissetis, eorum

rum jam facta cuncti loquimur. In accessus, in vineas, in fossas missi, non murmurantium edidistis vocem, sed de præripienda laude contendentium. Superesse multorum, gloriose succumbere paucorum credidistis. Suasit commune periculum & salus instare obsessis, & in re trepida tantum animi & audaciæ, quantum quisque posset, conferre. Qui primi circa hostiles fossas occubuistis, commilitonibus viam stravistis, qua irent ulterius. Crevit indies vincendi spes & cum spe fortitudo. Nemo circuitu ambivit gloriam, quæ ante oculos, quæ in manibus posita erat. nemo exequi Imperatoris jussa detrectavit, nec illi, quorum dignitas erat major, nec illi, quorum ob canitiem honestior erat excusatio. Sine discrimine habiti dux, tribunus, gregarius. Nulli dignitatum nomina ab armis feriationem impetravere. pro stimulo bellaturientibus fuere tituli, non pro sufflamine. Quoties Bredam, quoties campos, ubi castra fuere, quoties agros, quos insedistis vivi, tenetis mortui, intuebitur viator, magnanimitatis vestræ recordatione obstupescet. & si amicus fuerit, manibus precabitur bene; sin inimicus, damni sui & dedecoris grandia argumenta recolliget. Inveniet post aliquot aristas arator ossa, quibus felicitatem suam imputabit. Inveniet messor arma, quorum opera colligendæ messis copiam sibi factam gaudebit. Civis hac ambulans, terras osculabitur, libertatis suæ vindices, in quibus stetistis vigiles, pugnastis intrepidi, occubuistis gloriosi. Flumina, quæ sanguine vestro irrubuere, testes erunt, vos vicisse, hostem tinnuisse. Mœnia durata globis glandibusque, resectæ ad operas sylvæ, arbores, mortis

vestræ causas posteris monstrabunt. Vbi tentoria fixistis, ubi hostem expectastis, ubi apparatus belli stetit, ubi aciem disposuistis, ubi pluvias, ventos excepistis, ubique in admirationem laudis vestræ rapimur. Sepulchra, si sepulchra sunt tumultuariæ glebæ, & misericordia ob mortuos & honore ob præclare mortuos excipere dignabimur.

At vos florentissimæ hujus Reipublicæ cives, tam illustris victoriæ testes, spectatores, nuncii, tantarum rerum autori Auriaco assurgite. titulo Celsitudinis permiscete patris patriæ. amabilem vocem, quarum appellationum alteram vobis, alteram sibi, alteram saluti vestræ, alteram stirpis suæ gloriæ vendicat. admirabilis est, ut prosit. terribilis, ut hostium vos metu liberet, tot periculis immixtus, ut vos, conjuges, liberos, templa, domos, agros periculis eximat. Non uno belli genere noster est. tot confecit, quot excogitare potuit humana industria. Solertiam pugnandi adæquavit felicitate. militiæ omnes species fortitudine explevit, quicquid superando hosti militaris sapientia aptum idoneumque novit, potentia executus est. præliis decernere vultis? decrevit non semel. stare pro signis? stetit classibus tueri flumina, portus, maria? defendit & hæc. obsidere urbes? obsedit. plurimas expugnare? expugnavit. castra muniri? muniit ad prodigium. transire fluvios cum exercitu? transivit. providere militi? providit sollicite. subducere exercitum locis difficilioribus? subduxit. statum belli custodire in acie, obsidionibus, tuendis finibus? custodivit. dissimulare consilia, ut hostem fallat? dissimulavit. Ipse speculatum egredi, castra metiri, vallum moliri, ubique tan-

quam

quam Numen aliquod astitisse, oculos per militum labores circumtulisse suarum partium credidit, simul exactor operis & socius. Videre ista Hispani, videre ex oppositis castris & mœnibus Itali. Hunc ducem, si cives estis, revereri, si boni cives, opibus votisque juvare oportet. Non præstabit vos tutos, nisi vos præsteris ut possit. vestris fortunis eget ad bellum, quem fortunarum vestrarum agnoscitis assertorem. Quod agris inambulatis placidi, domos possidetis magnifici, opibus fruimini beati, illi imputate, quem communis patriæ custodem Deus constituit, vos ultro elegistis. Omnia nostra sub imperantium tutela sunt, dominio nostro. At nostra non erunt diu, nisi per illum conserventur diu. Non est satis Rempublic. propensa voce prosequi, in circulis, in compitis hostem animosa oratione incessere, aut inter pocula Hispanos debellasse. ære, ære opus est, ut salvi simus. Auro per medios satellites, auro per portas, fossas, muros, turres, mœnia itur. Milite vicimus, sed qui gaudet aliquid habere in zonula. milite vicimus, sed qui jejunus pugnare timet. Nulla res hosti magis formidabilis, quam liberalitas vestra. Disciplina, ærario, ordine in eam magnitudinem succrevimus, quæ exsteris stupori est, sociis honori, hostibus terrori. quod fecistis hactenus præclare, ne ultra facere pudor sit. Ita vincemus sæpius, gaudebimus sæpius, triumphabimus sæpius.

Tibi vero summe & æterne Deus, imperii hujus stator vindexque, victoriæ hujus, quam celebramus læti gloriam soli acceptam supplex fero. Tibi Patrum patriæ, tibi Celsitudinis Auriacæ, tibi civium omnium militumque

gratas voces colligo. Tu tanti laboris consilia suggessisti maximo Principi, tu consiliis robur, robori prudentiam, prudentiæ constantiam addidisti. Tuum est Numen, quo validissimam totius Europæ urbem oppugnavimus, tuum Numen, quo invictam expugnavimus. Tu militem armasti in prælium, tu bellaces animas honestæ mortis metu exolvisti. Tu Deus Zebaoth mœnia portasque diffidisti, subruisti vallos, aggeres, tribunalia erexisti, vineas inter neces nostrorum hostiumque traduxisti. De cœlo dimicasti contra eos. pro excubiis stetisti & non dormivisti pastor Israëlis. Principis Auriaci saluti inter tot discrimina, telorum nimbos grandinesque invigilavisti. Da Deus, ut victoria hac utantur prudenter, qui vicere fortiter. ne aut belli consilia displiceant lacessitis victoribus, aut pacis victis fractisque hostibus.

DIXI.

Recitata fuit in Illustri Amstelodamensium Gymnasio, 19 Octob. 1637.

HOMILIA,
IN PRÆSEPE,
sive Nativitatem Domini & Servatoris nostri
IESV CHRISTI.



INvito vos, A. Christianissimi, ad Præsepe Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, cujus hoc tempore sacrosanctam memoriam celebramus. Ne pudeat senes, viros, adolescentes deposci ad cunabula, & coram puerulo citari adultos.

De puero loquar, qui nos viros fecit. de infante, qui pro nobis apud Patrem verba facit. De puero, per quem reddita pueritiæ salus, viris parta redemptio, senibus sempiterna felicitas. De Infante, cujus tenellis artubus lacertos movet anima nostra, & robustior fit, cujus innocentia à culpa absolvimur, simplicitate erudimur, contemptu clarescimus, humilitate grandes magnificique habemur. De puero, quem si tollas, non erimus, quod sumus, nam Deum tollis, per quem facti sumus: si non ames, non erimus, quod per gratiam sumus; nam redemptorem tollis, per quem servati sumus: si non adores, spolium erimus occupantis Sathanæ, nam imperator & rex noster est, per quem à Sathanæ tyrannide liberati sumus; si docentem non audias, palabundi in tenebris erramus, nam via, veritas & vita nostra est. Quantum mihi dicturo auctoritatis apud vos detrahunt pueruli & infantis voces, tantum conciliabunt augustæ Iesu & Christi appellationes. quarum altera adventus ejus finem, qui est servare, altera advenientis officium, quod est Christum & unctum esse, designat. Vtroque titulo solus hic puer in cœlis gloriatur, in terris glorificatur. Et si nasci Imperatorem minus est; regnasse majus; suos servasse, hostes debellasse, maximum: credite, de illo puero sermonem esse, cujus regios natales excepit regnum amplissimum, & potestas tanta, ut ad nomen ejus se flectat omne genu terrestrium, cœlestium, & subterraneorum, quique devictis hostibus, peccato, morte, diabolo, carne & mundo, ipsam captivitatem captivam duxit, & triumphanti similis in cœlos ascendit sublimis, unde descenderat humilis. Quidquid

hominis est, quatuor temporum spatiis distingui solet: Nativitatis, Vitæ, Mortis & Resurrectionis. tres priores natura absolvit, ratio complectitur. quartam omnipotentia divina supplet, fides credit. Quos in lucem dedit natura, vita miseros hic vel felices videt, mors rapit, resurrectio reddet. At illud longe majus excellentiusque; vitæ Servatoris nostri admirandam periodum, quatuor itidem spatiis definiri: nativitatis, quæ humillima fuit: vitæ, quæ sanctissima: mortis, quæ acerbissima: resurrectionis, quæ gloriosissima. Etenim, nihil horum est, quod non naturæ impotentiam suam exprobret. & nativitas, quia patre caruit. & vita, quia sine labe fuit. & mors, quia ex ea resurrexit. & resurrectio, quia virtute Dei peracta est. Primordia redemptionis in natalibus quærite: conditionem redimentis, in vitæ sanctissimæ decursu: pretium redemptionis in morte: peracti operis colophonem in resurrectione. Nasci Servatorem oportuit, ut viveret nobis; vivere, ut moreretur pro nobis: mori, ut resurgeret ante nos: resurgere, ut de morte se victoriam reportasse publice testaretur nobis. Non est, quod de salute sua dubitet Christianus, cum resurgentem Christum cogitat. Nec est, quod mortem metuat, cum morientem Iesum intuetur. Non est, quod vitæ regulam desideret, cum ad vitam ejus immaculatissimam attendit. Nec est, quod ob peccata sua desperet, cum sibi natum credit Mediatorem sine peccato, qui futuræ salutis & pignus erit, & sponsor & autor. Symbola & signa visibilia singulorum vultis? Nativitatis Cunæ sunt & præsepe, vitæ Crux, mortis sepulchrum, resurrectionis, laxatæ Sepulchri fores. Cunæ signum renascentis, nascente

cente hoc puero, mundi: Crux redempti, redimente crucifixo, ſepulchrum morientis, moriente ob peccata noſtra Ieſu: laxatæ ſepulchri fores, reſurgentis, reſurgente à mortis vinculis Chriſto. Cunas Angeli digito monſtrant, *Ecce invenietis puerum jacentem in præſepi.* Crucem ipſe Deus: *Maledictus, qui pendet in ligno crucis.* Sepulchrum plorabundus Ieremias: *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* Apertas ſepulchri fores regius propheta: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Cum Cunas cogito,erigitur anima mea, quia cubantem in præſepi videt Servatorem meum. Cum Crucem cogito, dejicitur anima mea, quia ob iniquitatem meam cruciari video, quem diligit anima mea. Cum in ſepulchrum deſcendo,ſepelior una,deſperanti ſimilis, quia morti ſuccubuiſſe video vitæ meæ autorem,& ſalutis meæ principem. Cum reſurgentem cogito, cum Angelum dicentem audio, *Ieſus, quem quæritis, non eſt hic*, erigitur iterum anima mea, quia è mortis domo evaſiſſe gaudet mundi ſpem, Iſraëlis expectationem, gentium ſalutem. De Cunis jam dicam, quibus nihil antiquius, nihil ſuavius, nihil amabilius, nihil manſuetius, nihil auguſtius, nihil optabilius,nihil ſalutarius. Nihil, inquam,antiquius; quia in iis electi ſumus ante jacta mundi fundamenta. Nihil ſuavius, quia ſuaviſſimum puerum habent, per quem guſtamus, quam ſuavis ſit Dominus. Nihil amabilius, nam infantem habent,in quo ipſe Pater ſibi complacuit. Nihil manſuetius, nam jugum infantuli ſuave eſt & onus leve. Nihil auguſtius, nam Dei filius in iis jacet. Nihil optabilius, nam puer hic ſer-

vare venit, quod perditum est: sanare, quod infirmum est; resuscitare, quod mortuum est. Nihil salutarius quia sine illo nec Deus noster est, nam Deus ipse est: nec cœlum nostrum, quia cœli Dominus est; nec vita æterna nostra, quia *hic est verus ille Deus & vita æterna.* Vos A. O. qui superiore anno me de Cœlo perorantem audivistis, jam de Creatore cœli in carne manifestato, jam de Maria Dei matre, jam de Zacharia, Elizabetha, Simeone, Iosepho, Anna Phanuelis, sanctissimis animabus, pia loquentem, piis animis audite.

At tu puelle Iesu, aperi os meum & infantia tua me fac disertum, silentio tuo facundum. Inter vagitus tuos imple me Spiritu tuo, & cum suspiriis tuis sanctas meditationes inspira menti meæ. Nec enim possum Deum dicere, sine Deo. nec nativitatem tuam capere, nisi renascar per te. nec illam eloqui, nisi balbutiem meam corrigas facundia tua, & linguam doceas loqui digna Patre tuo, qui misit te: digna Te, qui obedivisti Patri: digna Spiritu sancto, qui sanctificavit te.

Cupio dicere, quis Cunarum tuarum autor & moderator. quis & qualis tu sis, qui in Cunis jaces. quis Cunarum apparatus. qui parentes, quibus testibus natus sis. quam Cunarum tuarum humilis majestas, quam majestatis plena humilitas. quo Numine læso, quidve dolens Dei ira te hominem esse voluerit. quis admirabilis hujus & cœlestis negotii fructus, sive jacentem in peccatis mundum adspectes, sive à peccatis per te resipiscentem.

Cunarum autor & moderator Deus est, pater Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, qui elegit puerum hunc, antequam promitteret; promisit,

romisit, antequam præfiguraret; præfiguravit, ntequam mitteret; annuntiavit jam jam missurus, & missum è Spiritu sancto concipi voluit, t nasceretur sanctus, qui peccatores sanctificaet. Electæ sunt Cunæ ab æterno, quia electus uer, qui in iis vagiret. Electus puer, quia nos lecti in ipso & propter ipsum. Non poterat eccator Deo placere, nisi propter hunc pueum. Nec puer hic, nisi æterno Dei consilio Mediator esset constitutus inter partes, Deum x hominem. Electi ergo nos, antequam essenus. Electus Christus, antequam nasceretur. lecti & caput Christus, & membra quæ Christi sunt. Non poterat salus membris destinari, ine capite, quod servaret. nec caput destinari, d servandum, sine membris, quæ servarentur. De rege statuendum fuit & subditis, de pastore x ovibus, de fonte & rivulis, de fidejussore & lebitoribus, de vite & palmitibus, de Sponso x Sponsa, quæ Ecclesia est. Placuimus Deo, uotquot placuimus, priusquam esset, ubi essenus. Placuimus autem in Filio, ut per eum onderet de novo, quos per eum conditurus rat primo; ut per eum restauraret, qnos lapsuos non ignorabat, & restitueret, quos primæva ignitate spoliatos iri prænoverat. Amicos nos ecit per gratiam, qui amicissimum hunc pueum dilexit propter meritum. Dilexit illum. & ios in illo, non necessitate, sed liberrimo favoe: non dignos amari, sed indignos. Amavit os, antequam amaremus ipsum, amaturi taaen, quia, ut amaremus & sancti essemus, eleti. Hæc est illa gloria, quam habuit puellus ic apud Patrem, prius quam mundus esset. quæ cuti finem non habebit, ita temporis initium on habuit, ordinis habuit. Dico ordinis. Nam

à Deo

à Deo ita constitutum, ut jussu Patris hominem indueret Filius, & illius imperio auspicaretur Redemptionis officium, quod nec Pater sine filio obiri voluit, nec Filium sine patris mandato obire decuit. *Ecce venio*, inquit, ut *faciam voluntatem tuam Deus.*

Verum innotescere oportuit orbi tam grande arcanum, cum incogniti boni nulla sit cupido, & non revelatæ felicitatis nulla spes, nullum desiderium. Quin promitti decentissimum fuit, antequam mitteretur, ut tanti sospitatoris seria & attenta expectatione erigerentur mortalium animi, & venturum illi crederent, quibus coram videre, & palpare sanctissimas Cunas non licuit. Triplici ergo modo puer hic olim innotuit. Promissione, typis sive figuris, & prophetarum vaticiniis. Promissio non una venturum Messiam prædixit. typus non unus adumbravit. vaticinium non unum utriusque fidem confirmavit. Promittere filium solius Dei fuit, quia solus dare potuit. Typo adumbrare, sacerdotis etiam. Prædicere, omnium prophetarum. Promisso legem antevertit, quia antiquior lege culpa & gratiæ necessitas. Typus, uti legem præcessit, ita sub lege viguit maxime, cum rudi crassoque populo carnalibus emblematis opus esset, ut involucro gauderent, minus gnari occultorum, & per nebulam viderent, nondum admissi in lucem. Prædictio omnium fuit temporum, quia semper intererat intueri liberatorem, quos territabat peccati conscientia mens, maladictione lex. Non affulget orbi plenum Solis jubar, nisi præcedente Aurora. Auroræ præludit diluculum. diluculo nox, intermicantibus stellulis, ut quibus gradibus dies nascitur, incrementa capiant huma-

na

na gaudia. Gradibus quoque suis divina mens Infantem hunc in lucem produxit. Primum nox fuit, intermicantibus promissionum & figurarum stellulis. Successit diluculum sub prophetis, qui de Infantis nostri natalibus, patria, tempore, nascendi conditione, vita, miraculisque locuti sunt apertius. Hinc Aurora visa est sub Iohanne, qui jamjam affore Messiam prænunciavit. Donec venit ipse, qui venturus erat, & discussa umbrarum caligine, orbi stetit redemptorem, hoc est, seipsum.

Hic *Semen* illud est promissum, quod *caput Serpentis conteret*, & oppressa Diaboli tyrannide nos vindicabit in libertatem filiorum Dei. Hic semen illud est promissum magno Abrahæ, in quo omnibus *gentibus benedicet Deus.* hic semen est, quod *egredietur è domo David*, quod *ædificabit domum Domino*, *& cujus thronus stabilietur in æternum.* Melchisedecum adspicite, illum sine patre & matre. Vmbram infantis nostri videtis, qui Deus sine matre fuit, homo sine patre, & sacerdos non parentum successione, sed divina electione in æternum. Isaacum adspicite, puerulum illum præter naturæ ordinem natum è sterili matre. Imaginem videtis Christi, supra naturam ex virgine geniti. Tot retro seculis Cunas hujus infantuli vidit pater credentium, & gavisus est. Vidit Legislator Moses, cum plenus Deo istas voces ederet, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* At qui Mosen autoritate æquavit, imo & superavit, post Mosen nullus exstitit, præter hunc infantulum. Ille veteris fœderis, hic novi promulgator fuit. ille legis cessaturæ, hic æternæ. ille minister in domo Dei, hic filius. ille cum Deo collocutus in nube, hic

hic apud Patrem vidit omnia. ille umbras rerum tradidit, hic veritatem. ille pro peccatis populi & suis intercessit. hic ab omni peccato immunis sæculorum omnium peccata expiavit. Ille è monte legem attulit, quæ iram operatur. hic in monte suavissimas benedictiones recitavit. ille populo suo terribilis. hic placidus & amabilis. Agnum illum Mosaicum spectate, sine labe natum, spectate tot victimarum lanienam, tot hircorum, taurorum quotidianas neces: spectate ablutionum, purgationum, suffituum, unctionum mille formas sacerdotum mirificum apparatum, vestes, ritus, munia: spectate sabbatismos, ciborum discrimina, dierum observationes, jejunia, vota. Omnia & singula præludia fuere & simulachra fatorum Iesu. Quam blandum illud oraculum omnium prophetarum gravissimi: *Parvulus nobis natus est, filius nobis datus est.* Quam grande & stupendum illud: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel.* Quam mysticum illud: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* hic flosculus, hæc virgula, hic Immanuel, hic parvulus, hic filius, infans noster est, de quo loquimur. Hic idem Rex est, de quo olim Barachiæ filius magna prodidit: *Ecce rex tuus veniet tibi justus & servator, pauper & ascendens super asinum & super pullum filium asinæ. loquetur pacem gentibus & potestas ejus à mari ad mare.* Hic puellus est, quo regnante *habitabit lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit, cujus cingulum erit justitia, & fides cinctorium renum ejus. sub quo conflabunt populi gladios in vomeres & lanceas suas in falces. Nec levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Nomina pueruli vultis & titulos

titulos olim proditos? *Admirabilis est, consiliarius est, Deus fortis est, pater futuri saculi est, princeps pacis est.* Vocationem? *Spiritus Domini super illum, eo quod unxerit illum Deus oleo latitia pra consortibus suis.* Legem? *Exibit ejus lex non è monte Sinai sed Sion, & verbum ejus de Ierusalem.* Legis vim? *cognoscent eum omnes à minimo ad maximum, & non docebit ultra vir proximum suum & vir fratrem suum.* Indolem? non jactabit populus ejus opera sua, *sed agnoscet Dei misericordiam.* Finem? *ut consumatur pravaricatio, finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, adducatur justitia sempiterna, impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Eventum? *Hic lapis est offendiculi, quem reprobaverunt adificantes.* Sed quis iste puer, qui *antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, accipiet spolia Samaria & Damasci adversus regem Assyriorum?* Quis ille, cui omnes de *Saba veniunt, aurum & thus deferentes*, ad quem *reges Arabum & Saba dona adducent?* Christus est. Quis ille puer, qui inter cædes Bethlemiticas deposcitur? cum *vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus Rachelis plorantis filios suos, & nolentis consolationem admittere, quia non sunt.* Hic infans est, Bethlemi natus. Quis filius est, quem ex *Ægypto evocavit Deus?* hic est Mariæ filius. Cui anteambulo missus ille, qui in deserto clamavit: *Parate vias Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Tibi Domine Iesu. Quæ illa *lux*, quam *vidit terra Zabulon, & terra Nephtalim, juxta viam maris, trans Iordanem Galilaa gentium, quam vidit populus sedens in tenebris, in regione umbra mortis.* Lux ista infans hodie natus

natus eſt. Quis *aperiet in parabolis os ſuum?* puer hic. Cujus *auditui non credetur?* pueri hujus. Cui *oculos debent cæci, aures ſurdi, linguam muti?* puero huic. Quem ad victimam deportabunt, *tamquam abjectionem plebis, opprobrium hominum, ſpecie & decore omni carentem?* puerum hunc. Quis *dolores noſtros & languores portabit?* ſuper cujus *veſte mittetur ſors.* cujus *manus, cujus pedes fodient improbi?* cujus *oſſa non frangentur?* Tua Ieſu. quem *potabunt aceto?* Te. cui *dabitur fel in eſcam?* Tibi. Cui dictum: *Sede ad dextram meam, dum poſuero inimicos ſcabellum pedum tuorum?* Tibi. Tu prophetarum perpetuis vocibus, tu figuris legis, tu promiſſis divinis deſignaris. Non latuiſti veteres, & latuiſti tamen. Viderunt te, ſed eminus adventantem. Tetigit ſacerdos umbram tui, non te. ſignum vidit, ſed rei inviſibilis, palpavit te, ſed ceremoniarum non una veſte involutum. locutus eſt tecum, ſed per myſticos vultus Cherubinorum. mactatus es, trucidatus es, antequam eſſes. Mortuus es ſub typo, cum apud Patrem viveres glorioſus. natus es, antequam eſſet, ubi naſcereris. ſepultus es cum Iona, antequam natus. captus cum Ioſepho & exaltatus, antequam orbi datus. quin & ſub Enochi typo aſcendiſti in cœlos, antequam deſcendiſſes. Micuiſti in obſcuro, future Lucifer, & ſub crepuſculo ſcintillantis gratiæ tuis apparuiſti. Ita res ſalutis humanæ adminiſtrante Deo, ut minus ſcientiæ largitus fuerit pupillis ſub tutela legis poſitis, quàm adulto hæredi. minus carnali populo, quam ſpirituali; minus ſervis, quam liberis.

At poſtquam plenitudo temporis venit, & conſiliorum divinorum grandis orbita ſpatia

ſua

ſua emenſa fuit; poſtquam longa Meſſiæ expectatio Iſraëlem tenuit: prope fuit, ut naſceretur. ut quos non potuit ſervare legis ſeveritas, ſervaret Meſſiæ lenitas. Sed de duobus placuit cogitare Sapientiæ divinæ, de Præcurſore, qui naſcituri regis adventum nunciaret, & Matre, quæ tantum depoſitum, regem inquam Iſraëlis, ferret. Eligitur ergo Elizabeth, mater præcurſoris. Eligitur Maria mater Domini. Eligitur Zacharias pater præcurſoris. Eligitur Ioſephus, Mariæ Sponſus. Eligitur Iohannes, qui præcurreret. Angelus, qui divinum cum virgine congreſſum conciliaret. Maria in exemplum ſingularis gratiæ. Zacharias & Elizabeth in exemplum ſingularis omnipotentiæ. Ioſephus in exemplum ſingularis obedientiæ. Angelus in exemplum glorioſæ legationis. Iohannes in exemplum religioſæ vocationis. Erat Elizabeth ſterilis, ſed operum bonorum fœcunda, ne non eſſet tali filio digna mater, & marito ſacerdote digna conjux. Auxerat illi prolis deſperationem ſenectus. Sed quod naturæ virtus non dabat corporum congreſſui, hoc piis deſideriis indulſit divina benignitas. Peperit læta mater Iohannem, non ſibi ſoli, ſed toti populo, eò mirabilius, quo ſerius: eo plauſibilius, quo præter ſpem: eo felicius, quod præcurſorem maximi Meſſiæ. Non potuit dignior præco præire huic puero principi, quam qui ſacerdotali nobilitate generis materni ſimul & paterni eſſet inſignis. Non dignior eſſe anteambulo ſanctiſſimi prophetæ, quam parentis utriuſque inculpata vita, tum ſuis admirandis virtutibus inſignis: non certiorem fidem facere Chriſti doctrinæ, quam qui glorioſa morte pro veritate eſſet moriturus. Nec fuit expers gaudii Zacharias. Gau-

dii causa quadruplex, anus puerpera, novitas nominis, filius per Angeli promissum natus, denique ipse ex elingui factus facundus. His miraculis divini erga se favoris cinctus, ea cecinit, quæ suggesta sunt cœlitus.

Verum jam ante ad Mariam missus à Deo fuit Angelus Gabriël, ut ab Angelico alloquio ordiretur restituendi generis humani laborem, postquam à diaboli cum homine colloquio peccatum intrasset in mundum, & per peccatum mors. Agebatur res inaudita ab orbe condito, nec audienda futuris sæculis, natura omni major, homine superior, ipsis Angelis stupenda, nempe, ut filius Dei nasceretur ex homine, immortalis Deus ex mortali, homo ex virgine. Magno itaque procuratore opus fuit, & mittendus Legatus, minor Deo, sed major nobiliorque homine. Eligitur ad cœleste negotium Virguncula, non opum splendore commendabilis, sed paupertate: non nominis claritate superba, sed in secreto pia; non vitæ strepitu, non voluptatibus gaudens, sed puritate, religione, modestia. Deposcitur ab eodem sexu salutis author, qui miseriæ nostræ olim causa fuerat. Vocatur filia ad restaurationem felicitatis, quam subruerat primæva mater. Acquiescit voluntati divinæ sancta proles, quam contemsit non sancta genitrix. Profitetur Mariæ os obedientiam, ut corrigeret suo facto parentis inobedientiam. Patriam Virginis quæritis? parvula Nazaretha fuit. gentem? Galilæa, omnium inter Iudaicas contemptissima. Virum? Iosephus est, cui desponsata erat. Sponsi titulos? faber erat. Mores? inculpatissimi. Elegit humiles Deus, ne quid in hoc mirabili opere sibi vindicaret mundus. elegit pios, ne quid

cri-

criminis illis impingeret improbitas. Elegit casto conjugio junctos, ne deesset, qui fidem faceret rei alioquin incredibili, virginem citra virilem operam peperisse. Vacabat cœlestibus Virgo, cum cœlestem salutationem gratiæ plenam exciperet. Gratiæ est vivere, sed communioris. Gratiæ est secundum legem Dei vivere, sed & hæc plurium est. Gratiæ est Messiam expectasse, sed & hæc non unius. Gratiæ est ex tot millibus unam eligi, quæ Messiam conciperet. at hæc Mariæ propria est. Gratiæ est, eundem peperisse. & hæc propria. Gratiæ est benedictam esse inter mulieres & venturis sæculis matrem Domini vocari. & hæc propria. Gratiæ est matrem fieri & Virginem permanere. & hæc propria. Gratiæ est Verbum, quod ab æterno fuit apud Deum, accedere ad carnem & in carne carnem fieri. & hæc propria. Gratiæ est, cœlestem partum cœlestis regis virtute sanctificari. & hæc propria. O vere gratia plena, quia plena sanctitatis, sinceritatis, pudicitiæ, castitatis, integritatis, fidei. Quis hanc gratiam multiplicem explicet? quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? *Ne metuas*, inquit Angelus, *Maria: nam invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Beata virgo. Placuisti Domino, quia non placuisti tibi. Dominus tecum, quia Deum paritura es. Invenisti gratiam apud Deum, quia non meriti tui, verum misericordiæ divinæ fuit, unam te seligi, quæ mundi Servatorem ferres. abjice metum seculi, quia conceptura es gaudium mundi. *Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit te, ideo quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur.* Cœlestem fore partum credidisti, quia

quia cœlesti opifice peragendum audivisti. Concipis & fœcunda fis, sine virginitatis detrimento. Sponsa es Iosephi. sponsa Spiritus sancti. Iungeris Iosepho, sed non ut te matrem faciat. Iungeris Spiritui sancto, ut mater fias. Iungeris Iosepho, ut virginitatis custodi & testi. Iungeris Spiritui sancto, ut divina virtute filium Dei gignas. Sanctus hic divinæ naturæ cum humana congressus non violavit pudicitiam tuam, sed consecravit. Vbi libido intercedit, nascitur immundum & peccato obnoxium. Vbi Deus intercedit, sancta sunt omnia. Aliæ hic hominis partes, aliæ Spiritus fuere. Tuum fuit obsequi, Spiritus obumbrare te. tuum admirari, Dei mirabilia facere. tuum credere, Dei mysteria moliri. tuum acquiescere voluntati divinæ, at Spiritus venire super te, ut Regi aulam, Deo templum, sponso cœlesti thalamum procuraret. Et decebat, eum, qui è cœlis venerat, ad cœlos vocabat, nil nisi cœlestia doceret, cœlesti modo nasci. Conveniunt Deus & natura, creator & creatura, opifex & opus, ut partus utriusque & Dei & naturæ, creatoris & creaturæ naturam referret. Credis Maria, Deum posse, quicquid vult, & velle, quod futurum nunciavit. Credis Maria, quia exemplum à cognata Elizabetha capis, quæ cum deploratæ esset sterilitatis, præter omnem spem concepit. Credis Deum tam facile dare conceptum Virgini, quam dedit sterili. hoc beatior, quod cum plures steriles pepererint hominem solum, tu eum paries, qui divinam & humanam naturam in se unus complectetur. Felix puerpera, felix Deipara. Puerpera eris, quia puer hic ex te nascetur. Deipara eris, quia filius Dei vocabitur. O *profundas divitias*

sapientiæ

ſapientiæ & ſcientiæ Dei : quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Vt Deus Cœlum uniat terræ, hominem ſibi, eadem virgo ſtupendo nexu & hominem fert & Deum. Tantæ erat molis lapſam ſalutem reparare. Advertite Auditores, quis, qualis, quantus puer in præſepi recubet. idem affinis Deo, quia Deus eſt, & homini, quia homo eſt, ut Deum & hominem reconciliaret. Nec enim placare iram patris potuit, niſi Deus eſſet. nec ſuſtinere, niſi Deus pariter & homo eſſet. Ejuſdem erat & mori & mortem vincere. illud humana imbecillitate præſtitum, hoc divina virtute. merita Chriſti quiſquis agnoſcit, Deum eſſe credit. quiſquis patiendo meruiſſe, hominem. Sperandum in illo fuit, ergo Deum eſſe oportuit. Invocandus fuit, at hic Dei honor. remiſit peccata, & hoc ſolius Dei eſt. Eſuriit puer, ſitiit puer, defeſſus fuit, at hæc hominis ſunt. Idem chiliadas aliquot paucis panibus ſaturavit, aquas vivas reſtinguendæ animarum ſiti propinavit, ſub peccati onere feſſos ad ſe vocavit, ut reficeret, quod Dei eſt. Vectigal ſolvit Cæſari, ut ſe hominem fateretur, ſed & piſci didrachma imperavit, ut Deus agnoſceretur. emiſit ſpiritum homo, ſed poteſtatem reſumendi habuit Deus. Damnatur & tamen juſtificat, interimitur & vivificat, precatur & exauditur, precatur & exaudit. altero hominem ſe, altero Deum teſtatus. Quod ſi cui incredibile videtur, Deum ex homine naſci, conſiderate quid prædixerit Propheta Baruch de filio, qui in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt. *Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius ab eo. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit*

illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Abripit me tantæ rei admiratio, quoties suspiciendum illud Prophetæ Micheæ vaticinium cogito; Bethlemam alloquentis: *Ex te egredietur, qui mihi sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Cum dies æternitatis nominat, generationem æternam cogitate. cum egressum è Bethlehem, eam generationem, quæ in tempore accidit. Bis enim genitus est puer. semel absque initio, ab æterno. semel in tempore. semel de Deo Deus, de lumine lumen. semel ex homine homo, ex carne caro. semel ex immortali patre immortalis, semel ex matre mortali mortalis. Priorem generationem *quis enarrabit?* posteriorem enarramus jam. Aliter genuit eundem filium pater, aliter in tempore depromsit. genuit ante mundum, ante & extra omne tempus, depromsit in mundo, ut mundus per ipsum renasceretur. Deus erat in Deo, Deus apud Deum. duos per omnia pares nulla res discernebat, nisi proprietas gignentis & geniti, proloquentis & verbi.

Maria plena fidei, plena Spiritus sancti, Dei hospita, creatoris sui facta domicilium, inter mulieres omnes divino munere benedicta, postquam ex Angelo salutatore intellexisset, Elizabetham cognatam sextum jam mensem esse gravidam, superatis montibus vallibusque, ædes cognatæ subit & gravidæ gravida occursat. Gaudet utraque non tam de felicitate sua, quam aliena. altera quippe resipiscentiæ doctorem, altera Euangelii utero gerebat. altera illum, qui terreret peccatorem; altera, qui erigeret. Erupit in mutuas gratulationes gaudium

dium, & concussus Dei ac Domini præsentia Elizabethæ venter. Exiliit in utero Iohannes & divinam ejus virtutem sensit, cujus destinatus erat præco. Exiliit tripudianti similis, quia paranymphus Sponso suo occurrit. Intra materni uteri sinus occulto motu prædicat, quem olim voce sua publice esset prædicaturus.

Conveniunt duæ matres disparis sortis: una viro agnita, una virgo: una mater famuli, una mater Domini: una anus grandæva, una juvencula: una si ætatem spectes dignior, una si fœtum dignior: utraque divino beneficio uterum gerens. Conveniunt infantes duo mirabiliter nati. alter de sterili servus, alter de virgine Dominus: alter homo, alter Deus quoque: alter peccator, alter absque peccato: alter adoranti similis, alter adorato: alter sanctificans, alter sanctificatus: alter prophetarum maximus, alter hoc ipso major: alter utroque parente homine natus: alter matre homine, spiritu patre; alter sequuturus nascendo, alter antecessurus obsequendo. Vnus similis lucernæ, alter diei: unus præconi, alter judici: unus præcursori, alter imperatori.

Quæ dum in Iudæa geruntur, *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut censeretur universus orbis,* qui Romanorum imperium agnoscebat. Ita visum providentiæ divinæ, ut sub Imperatore maximo imperator nasceretur maximus, sub principe olim juventutis princeps salutis, sub Pontifice maximo, Pontifex maximus. Evoluta in hoc tempus fuere prodita olim de Messia vaticinia, quem in id tempus nasciturum prædixerant, quo nec integra esset Iudæis Majestas regia, nec ablata prorsus. *Non*

auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Exiit edictum à Cæsare, ea tempestate, qua prædictum, ut *lex Messiæ exiret è Sione & sermo Domini de Hierusalem.* Non lex vectigal exigens, sed obedientiam, non lex populis gravis, sed amabilis & salutifera. non quæ invitis extorqueret bellorum pabula, sed quæ à volentibus posceret obsequium, fidem, amorem & reverentiam Numinis. Voluit Augustus censeri orbem universum. Voluit Messias censeri orbem credentium in ipsum. Voluit Augustus censeri subditos suos. Messias suos. Augustus, ut quibus præsidiis insisteret pacis belique temporibus, in comperto haberet. Messias, ut ex quibus Ecclesiam sibi colligeret. Augusti omnis potestas brachii fuit secularis. Messiæ spiritualis. Augusti Danubio & Euphrate claudebatur. Messiæ se à mari ad mare extendit juxta propheticum sermonem. Augustus bellaturus venit, adversus principes hujus mundi: hic noster Messias debellaturus bella mundi, quæ geruntur sub vexillis Sathanæ. Illius imperium violentiæ plenum fuit, hujus mansuetudinis. illius plenum minarum, hujus beneficiorum. Ille perdere venit, hic servare. ille præsentis seculi princeps, hic futuri. Illi gladius hominum sanguine rubuit, & sic parta pax terris: huic proprio sanguine rubuit crux, & sic parta pax cœlo & terris. Ille feroces, robustos, opulentos ditionis suæ ministros esse maluit. hic tenues, humiles, rudes elegit. Ille adversus hostium suorum potentiam mundi se viribus armavit, hic spiritu oris & verbo Euangelii contudit inferorum potestates, erigentes sese adversus Dei gloriam. Augusti Pontifica-

tum

num & principatum rapuit alter. hujus nemo. Quotquot sub Augusto censi sunt, servitutem professi sunt. Quotquot sub Iesu nostro, nomen dant libertati. Ille donaria poscit. hic salutis æternæ donativum suis confert. Pax erat Romano imperatori, nascente Christo, ut alterius pacis crederetur autor hic princeps pacis, clausæ Iani bifrontis fores, ut per Messiam recluderentur fores & portæ Cœlorum. Natus quippe novus rex Salem, hoc est pacis, qui peccatores Deo reconciliaret, *qui mederetur contritis corde, captivis prædicaret indulgentiam, qui prædicaret annum placabilem Domino, & consolaretur omnes lugentes, & poneret fortitudinem lugentibus in Sion, & daret iis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Pacifice Iesu, tranquilla nos, ne conscientia ulterius accuset nos. Pacifice Iesu, tranquilla Patrem, ne fulmine justissimi furoris prosternat nos. Pacifice Iesu, tranquilla hostes nostros, ne ulterius illi à nobis, aut nos ab illis diffideamus. Devinci nos hominibus, devinci nos Deo, devinci nos nobis. Hæc illa animi pax & tranquillitas est, quam nec sensit in se Augustus, nec aliis dedit. Hæc illa securitas, quæ securos nos esse non sinit. Hoc otium, quod in salutis negotio nos otiosos esse non patitur. Mundi pacem vel hostis turbat vel suspicio violat, vel intercurrens calamitas castigat, vel tempus finit. Nostram cum Deo pacem Christus conciliat, Spiritus roborat, fides continuat, precatio fovet, recti constantia æternam facit. Facessant bella, lites, latrocinia. Christus vera pax advenit. Facessant odia, hodie Cœli mel stillant. Fugiat mors, quia vita hodie de Cœlo descendit. Cesset omnis sollici-

tudo, & dolor & planctus. hodie litis inter Deum & nos sequester natus est.

Dum Cesaris jussu quisque in civitatem suam ac tribum proficiscitur, *ut profiterentur*, ecce venere una Iosephus & Maria, principis sui mandato manifesto, Dei occulto. Iosephus, qui credebatur vulgo esse Mariæ vir. Maria, quæ sine viro gravida erat. Iosephus cœlitus admonitus, ne Mariam desereret. Maria cœlitus admonita, ne metueret. Iosephus Dei auctoritate in eventum plenum prodigii intentus. Maria divinis consiliis placide acquiescens. Parent potestati supereminenti, quia se subditos agnovere, nec detrectarunt audire superiorum monita, nesciæ rebellionis animæ. Accurrit virgo prægnans, nec fugit oculos hominum bene sibi conscia. nec fastidit obsequium mariti, paritura suum & Iosephi dominum. non dedignatur fabro ire comes, quæ Regem gestabat, nec haberi ejus uxor, quæ tota Deo fuerat dedicata. Dum Bethlemi est, oppidulo vili, claro tamen Davide conditore, *peperit Maria filium suum primogenitum, & pannis eum involvit & reclinavit in præsepi, quia non erat locus in diversorio* Placuit Bethlehem, ita ferentibus oraculis: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Iuda, ex te egredietur, qui erit dominator in Israël.* Hoc futurum, antequam fieret, intelligebant Scribæ, qui percunctanti Herodi responderunt, Messiam in civitate Bethlehem nasciturum. Quantæ rei gloriam duæ pusillæ civitates inter se partitæ sunt. Bethlehem & Nazareth. illa Iudæ, hæc Galileæ civitas. illa nativitatis, hæc conceptionis & educationis Christi fama nobilis. Ambæ mysterium voce occultantes. Bethlehem domus panis

panis est, in qua sacra virguncula protulit panem illum cœlestem, unde qui ederit, non morietur in æternum. A Nazareth Nazareni dicti. at quid hoc Nazarenum esse? nonne sanctum? nonne consecratum Domino? At quæcunque lex Mosaica juxta carnem præscribit de consecrandis Nazaræis, in Christo completa sunt secundum spiritum. Nascitur in urbecula, in qua domum nullam. peculium nullum habuit cœli terræque Dominus. Nascitur noctu, sine die, per quem factus est omnis dies, sine luce, qui lux mundi futurus erat. Non erat illi locus in diversorio, qui locum vivendi singulis indulget. Nascitur peregrinus extra Nazaretham, ut minus de natali solo solliciti quisque essemus. Nascitur in itinere, ut nos in via peregrinationis nostræ renasceremur. Peperit Maria filium. ergo hominem. peperit suum filium. ergo ex suo, hoc est Davidis, sanguine natum. Peperit primogenitum, quia non præcessit alius. peperit sibi unicum, at nobis quoque primogenitum. quos sibi fratres adscisceret, ne solus sine fratribus accederet Patrem. Qui sine fœmineo partu fuit ab æterno unicus patri, sine virili congressu fuit unicus matri. Involvit infantem fasciis, ut scissam humani generis charitatem reintegraret, & candida gloriosæ immortalitatis veste nos indueret. Iacet in pannis, qui regnat in cœlis, spirat in cunabulis, qui tonat in nubibus. Ponitur in præsepi, nec dedignatur has angustias ubique præsens regnator universi. Assidet Iosephus & Virginem peperisse stupet. Assidet Maria, & matrem se læta gratulatur. Nec quia peperit sine viro terretur, sed quia genuit ex Spiritu sancto miratur. O virilis infantia, per quam crescimus

in mensuram adulti Christi. O felices panni, quibus peccatorum sordes deterguntur. O præsepe splendidum, in quo cibus invenitur animarum. O beati vagitus, per quos ab æternis ploratibus liberamur. O lenes fasciæ, per quas vitiorum vinculis expedimur. Atque hic est partus Virginis unicus, cui nec antecesserat ab orbe condito ullum exemplum, nec secutum est. Quocunque me verto, implicor miraculis. quicquid loqui aggrediar, sapientiæ humanæ paradoxum est. quicquid mente complecti, mente majus est. Veteris Ecclesiæ sanctissimas voces audite: venit in mundum, per quem factus est mundus: conditor Mariæ natus ex Maria: filius David, & idem Dominus: semen Abrahæ & tamen ante Abrahamum: creator cœli, nunc creatura: fabricator terræ, factus in terra: divina nativitate invisibilis, humana visibilis, utraque admirabilis: qui natus de patre fecit nos, qui natus de matre regenuit nos: speciosus in forma Dei, contemptus in forma servi; natus in sæculo, qui fuit ante omne sæculum. Quæ peperit & mater & virgo est. quem peperit & infans & verbum est. Infans, qui sibi antequam nasceretur & uterum de quo nasceretur, & locum ubi, & tempus quo nasceretur, præfinivit. Lactat mater cibum suum, panem nempe cœlestem, per quem ipsa vivere debuit. Nutrit Deum, à quo ipsa nutritur. gestat infantem ulnis, cujus virtute ipsa est, vivit & movetur. Immensus carne tegitur, videtur invisibilis, incorporeus lacte vescitur, impalpabilis palpatur, incomprehensibilis comprehenditur. Audiat omnis ætas, quod nunquam audivit. Exiit ipsi virgini filius, qui erat Sponsus, ipse genitus, qui erat genitor. fecit gravidam ipse, qui erat

erat nasciturus ex virgine, nam idem Deus fuit cum Spiritu, qui inumbravit ipsam. In principio nascentis mundi, factus est homo ad imaginem Dei. hoc die renascentis mundi induit Deus similitudinem nostram, & verbum caro factum est. Tunc homo Deus esse voluit per superbiam, hoc die Deus homo factus est per humiliationem. Tunc primus Adam solo Deo operante vitam accepit. nunc secundus Adam solo Spiritu operante homo fit. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cœlo cœlestis. Hic dies est, quo filius Dei descendit in terras, ut per ipsum ascendamus in cœlos. Hic dies est, quem fecit Dominus, filio ad nativitatem, nobis ad felicitatem, sibi ad gloriam.

Vt omnes mihi dies ex voto cedant, gratulationes gratulationibus subtexantur, non ob hoc mihi placebo. Verum ut hic dies nobis salutaris eveniat, est quod mihi, est quod toti orbi gratulor. Damnis, luctu, vexationibus percutiatur animus. Nullus dies, nulla hora sine querela abeat. non idcirco me miserum judicabo. quia per hunc nativitatis Christi diem provisum est Christianis, ne quis ater ipsis dies eveniat. Pone me, quisquis es, in opulentissima domo, in qua pictis tabellis aureisque tapetis fulgent laquearia. Malim ego Bethlemi esse, in stabulo Redemptoris mei, ubi auri argentique eget auri argentique creator. Pone me in regum atriis & delicato apparatu; feliciorem me credam, si lassa cervix mea in manipulo fœni juxta puerum hunc requiescet. Transfer me in Principum cubilia, mollissimum supponite corpori meo tomentum. quiescam ego mollius in præsepi tuo Christe, ubi anima mea solatium invenit, ubi paupertas pro luxu-

ria eſt, indigentia pro opibus, pro ſplendore vilitas, pro elegantia ſordes. Fac me prætextatum, candidis me veſtibus vel purpuratis induite. non fero tam viles habitus. Tunc illuſtri me veſte indutum putabo, cum panniculis tuis & paupere amiculo involvar, auguſtiſſime puer. Fac me victorem omnium gentium. Adorent me Orientis & Occidentis reges. triumphalibus curribus imponar. Sequatur victorem ſuperbum magnifica pompa. Ego totum hoc fortunæ regnum deſpiciam, dummodo cum Chriſto humilis, & contemptus mundo habear. Aſcendere mihi videor in cœlos, cum in ſtabulum hoc deſcendo: inclareſcere, cum in diverſorio noſcor nulli: diteſcere inter egenos, æſtimari, dum inter hos contemnor. Fingite guſtui blandiri popinam, aures vocum ſono, oculos ſpectaculis, nares odoribus recreari. Plus voluptatis capio ex tuguriolo tuo Chriſte, ubi bos & aſinus admugiunt opifici ſuo, ubi aures recreat vagitus filii Dei & ſuffitum fragrantiſſimum fundit floſculus Ieſſe. Alias voluptates ratione compeſcimus. hanc ut maximam complector. aliis utuntur filii hujus mundi. hac totus & animitus fruor. Alias voluptates vix bonas puto. hanc ſummum bonum. Aliarum voluptatum cauſa nihil facit ſapiens. hujus Chriſtianus omnia.

Verum nihil adhuc de neceſſitate Cunarum Chriſti dixi. Et à communi omnium noſtrûm miſeria eſt. hæc à peccato. Etenim poſt violatum à primis parentibus fœdus, excidimus primævo felicitatis ſtatu, quo tenerrime nos habebat Deus, & ſpe cœleſtis hæreditatis, cujus præludium exhibebant Paradiſi amœnitates. Inauditum ante mortis & calamitatum non

unum

unum genus nulli erat terribile. quin natura omnis æqua & propitia arridebat integris. Involvit eadem audacia & parentes & liberos. peccato, quia in ipsis eramus; reatu, quia in ipsis peccaveramus. Gaudebat Diabolus, quia quem formaverat Deus creando, deformaverat peccando. Gaudebat cum homine se miserum esse, qui solus inter tot creaturas miser fuerat. Volupe illi erat, post violatum rebellione cælum, terram quoque ream peragi, ut quocunque respiceret Deus, operis sui deformitatem & improbitatem adspiceret. Exin omne malorum genus terris incubuit, & verso in iram divino favore, naturam universam iniquam & novercam experti sumus. Clamabat lex: Hodie morere. clamabat peccatum, mancipium meum es. Semota longe utriusque lethi necessitas, ilicet gradum corripuit. Divortium fecere Deus & creatura, cœlum & terra. desiit eos amare creator, qui ipsum deseruerant prius, nec egit cum iis familiarius, quos prævaricatio sejunxerat. Hac rerum nostrarum miseranda facie, sic Deus dilexit mundum, ut de Filio statuerit, qui se obsidem & vadem sisteret pro peccatis nostris. Movebat controversiam gratiæ divinæ divina severitas, severitati divinæ divina gratia. Ne periret homo, veniales codicillos obtulit gratia. Vt periret homo, fatales codicillos obtulit justitia. Hujus vox erat: *Anima quæ peccavit, morietur.* Illius; *ubi peccatum abundat superabundabit gratia.* Hujus, *non vult Deus mortem peccatoris, sed ut resipiscat & vivat.* Illius, *Maledictus, qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat.* Hujus, *misericors est Deus secundum multitudinem miserationum suarum.* Illius, *Stipendium peccati mors.* Iustitia

tia se iniquitatem odisse profitebatur. Gratia, misericordiam adversus justitiam gloriari. Pœnam exigere, justitiæ fuit. condolere peccatori, gratiæ. illud legis latæ veritas postulabat. hoc Dei erga creaturam charitas, &, ut ita loquar, affectus suadebat. Intervenit Sapientia, justitiæ & gratiæ adoranda conciliatrix, & ita de rerum summa statuit: ut & justitiæ divinæ satisfieret; nec minus se explicaret misericordia. ne aut videretur Deus judex non lenis, nam infinite benignus erat; aut pater non justus, nam infinite malum oderat. Hoc temperamentum in Infante Christo suspicite, qui nasci voluit, & rem tantam à paupertatis professione ordiri, ut cruento mortis suæ sacrificio justitiam gratiose, & gratiam juste exequeretur. Non potuit his partibus defungi angelorum aliquis, quia culpa hominis erat. nec potuit inter peccatores reperiri, qui expiaret alienum crimen, suo crimine reus, & nomina nostra apud Deum expungeret, ipse animæ suæ debitor. Placuit Deo filium mittere, qui non *assumpsit Angelos*, sed *semen Abrahæ*, qui cum filius esset, patrem placaret & exoraret; & cum homo esset, hominum delicta morte expiaret. Hic puer hodie natus est. hic filius hodie nobis datus est. ut felix videri possit culpa, quæ tantum Redemptorem meruit. Causam nativitatis quæritis in cœlo? Dei Patris misericordia est. Causam quæritis in terris? miseria nostra est. in cœlo? Dei judicis justitia est. in terris? peccatum est.

Accedite, accedite peccatores ad Cunas Christi, non oculis, sed fide. non pedibus, sed obsequio, non ut manibus eas palpetis, sed animo, sed pia & plena devotionis mente. Accedite

cedite ad Præsepe infantis, spei vestræ anchoram, consolationis fontem, miseriæ asylum, gratiæ fundamentum. Si gravis vobis est tyrannis Sathanæ, hic rex vester jacet, Sathanæ victor. Si iram Dei extimescitis, hic sacerdos vester jacet, tradendus propter lapsus vestros. Si devios error agit & seculi hujus dementia, hic propheta vester est, qui viam adaperiet, qua ad cœlos itur. Videte longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profunditatem Cunarum Christi, & longitudinem, latitudinem, profunditatem divinæ charitatis agnoscite. Quid cessatis venire filii Abrahami secundum carnem? vobis toties promissus est hic puer, vobis natus, ad vos primum missus. Expectatis magnificum Messiam? at promissus est pauper. expectatis prælianrem? at promissus est princeps pacis. expectatis cum comitatu & pompa? at audiistis pullo asinæ vehendum. expectatis triumphantem in terris? at verberandus erat, contemnendus erat, crucifigendus erat. Cur pacem vobis fingitis, qualem mundus dat? venit ut Deum nobis reconciliaret. cur Salomonis sceptra reposcitis? regnum ipsius in cordibus nostris est. non potuit majestas ipsius esse gloriosior, quam adventu vili & contempto: nec virtus major, quam in debilitate: nec potestas, quam in infirmitate. Talis promittebatur, talis expectabatur, talis exhibetur. Excipite Messiam vestrum; nam testimonium habet à Deo, à patribus, à prophetis, ab Angelis, à Virgine, à Sponso Iosepho, à sacerdote Zacharia, à præcursore Ioanne, ab Elizabetha, à pastoribus, à Magis, à Simeone, ab Anna Phanuelis filia, ab ipsis Scribis, pronuntiantibus ubi esset nasciturus Messias, denique ab ipso Herode metuente. Præ-

eunt ad Cunas paſtores Iudæi, conterranei veſtri, & viam monſtrant, qua eundum. Eunt paſtores ad paſtorem, humiles ad humilem. neſcit Cæſar, neſciunt Præſides, neſcit Herodes, neſciunt Phariſæi, ubi natus ſit Meſſias. Norunt paſtores, & noctu vigilantes puerulum gregatim accedunt. Nec enim invenitur Chriſtus à dormientibus ſed vigilantibus. His comitibus adite diverſorium, & invenietis infantulum involutum faſciis & repoſitum in præſepi. Non creditis Virginem parere poſſe, & tamen creditis virgam Aaronis aridam floruiſſe, fronduiſſe & fructus tuliſſe. Dicite mihi, quomodo virga hæc protulit, quod nec à ſemine ſuggeri nec à radice potuit? Et ego dicam, quomodo Virgo conceperit, & pepererit. Sed nec vos poteritis conceptum virgæ explicare, nec ego partus virginei modum. Peragit omnipotentia, quod non poteſt humana impotentia, nec capit diffidentia.

Poſt Iudæos, accedite ad Cunas vos è gentibus nati, quos hic puer populum vocavit, cum populus non eſſet. Accurrite ad hanc opulentæ paupertatis domum, & glorioſæ egeſtatis hoſpitium. Præeunt Magi, ſive Perſæ, ſive Chaldæi, & ſtella duce accedunt gentilium quoque redemptorem. qui omnibus perſpicuus eſſe voluit, quia ſervandis omnibus venerat. Hic nimirum ſtella eſt, quam prophetia Balam ex Iacob exorituram prædixit. Sequamur Magos, alienigenæ alienigenas, ut puerulum regem adoremus. Conſiſtit ſtella, inventa domus eſt, inventus Rex eſt. Non parietes magnis & pretioſis majorum vultibus refulgent, non marmora marmoribus diſtincta ſunt, non picturæ prætexuntur atriis, non columnæ, non ſtatuæ exornant

nant porticus. Præsepe videmus, in *quo bos novit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Tigna videmus semiruta, tecta araneorum telis plena, in quibus retexendæ salutis telam orditur Servator. Rimis & fissuris ubique hiant tecta, ut Solem justitiæ illustret Sol naturæ. Angustum habitaculum est, & minus contento. nec minus augustum, quia majus in se habet omni eo, quod in terris est maximum. Idem atrium, penetrale, vestibulum. Noluit distinctis spatiis habitare, qui omnibus præsens est. Sub hoc tecto tam sordido editus est in lucem ille cujus principatus est super humeros. Nulli circumstant servi, nullæ obsequuntur famulæ, aut puello aut puerperæ. Ipsi sibi domini & famuli. Servire venit, qui nascitur, non imperare. ministrare, non dominari. Nulla hic supellex, nullum patrimonium. non distincta cubile, culcitra, stragulum, opertorium. Ponitur in stabulo & Deus in illo. Cunæ præsepe sunt, fœnum pro culcitra est, fœnum pro stragulo, fœnum pro opertorio. Supervacua fastidit, qui hæc ipsa condidit. frugalitate occultat magnificentiam, & ex rerum affluentia, vix capit, quantum est necessarium, ille, cujus est terra & plenitudo ejus. Destituitur naturæ bonis, quæ tota est illius, & artium præsidiis, quas ipse docuit. Sola animi magnitudine felix est, qui major esse non potest, quam cum omnia despicit. Ita nasci expediebat, ut se Messiam promissum ostenderet. ita nasci, ut divitiis nos cœlestibus impleret. ita nasci, ut exemplo humilitatis præiret superbis. ita nasci, ut paupertatem ferre doceret divites hujus mundi. ita nasci, ne leve esset credere; & ea amplecti, quæ cunctis adlubescunt. Alia A. O. hominum, alia Dei consi-

lia

lia sunt. Illi res vilissimas quæsito splendore illustrant. hic res maximas viliore scena exhibet. Tenuis fortunæ mater est, domus contempta, habitus contemptior. Similis nativitati vita ivit. Quos enim adscivit discipulos, non è magnatum atriis, non è pharisæorum cathedris, non è philosophorum scholis, sed à telonio, à retibus ad se vocavit. Per famem, per convitia, per ludibria, per omne malorum genus ad immortalitatem contendit. *Nulla est Messiæ species, nullus decor. Vidimus & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum.* Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. At si purgatis animi nebulis hæc ipsa propius inspicietis, Deum immortalem, in quanta vilitate quam pretiosum depositum, in quanta humilitate quantam sublimitatem, in quanta paupertate quantas divitias, in quanta infirmitate quantam virtutem, in quanta ignominia quantam gloriam, in quantis laboribus quam absolutam requiem inveniemus. Facile erat puero huic in ipsa totius orbis metropoli nasci. ipsam Romani Imperatoris arcem aut Capitolium occupasse, inter principes, satellites & applausus populi exire in lucem. Verum displicuit Deo iste fulgor, ne rebus æternis momentaneæ, spiritualibus corporeæ, cœlestibus terrenæ, fluxæ solidis fucum facerent. Si ullibi, etiam hic regnum cœlorum grano sinapis est simile, quod specie pusillum est, virtute maximum. Faciem nascentis Christi si intueamini, Iudæis scandalum est, gentibus stultitia. at si penetres, divinam ubique adores sapientiam.

Quin inter hæc ipsa humilitatis signa quamplurima, emicant argumenta divinæ sublimitatis.

tatis. Annuntiatur paupercula Virgini, sed per Angelum: desponsatur fabro, quem tamen Deus alloquitur in somno: nascitur ex virgine, sed opificio Sp. sancti: reclinatur in præsepi, sed canunt Angeli: Vagit puer in cunis, sed trepidat rex Herodes. Non est locus illi in diversorio, & adoratur à Magis. pauper est, nec minus thus, myrrham, aurum, regum donaria accipit. aurum, quia rex est. thus, quia sacerdos est. myrrham, quia moriturus est. Vita ejus nihil popularius. Et tamen quid regalius? quam verbo ejicere spiritus, dicto sedare ventos ac fluctus, contactu sanare leprosos, simplici jussu omne morborum genus. Capi se passus est, sed ad ejus vocem conciderunt armati satellites. Mortuus est in cruce, sed quid hac morte potentius, quæ concussit elementa mundi, Solem obscuravit, saxa discidit, monumenta aperuit, mortuos excitavit.

Attolle te peccatrix anima, & quoties peccatorum subit memoria, Præsepe Christi cogita, in quo Agnus Dei jacet, tollens peccata mundi. Quoties lachrymæ pœnitentiæ testes oboriuntur oculis, toties in puerum hunc oculos dirige. siccabit eas maximi & clarissimi Numinis conspectus. Adeo ejus majestas te perstringet, ut nihil aliud velis aspicere, in nullo alio hærere. Hic puer tibi diebus ac noctibus cogitandus est. hic contra carnem, Sathanam, mundum advocandus. Venit, ut generi humano ægro diu & affecto mederetur: Venit, ut quicquid infernalis principis furor concussit, in locum suum restituat. Venit, ut demerso in tenebris orbi affulgeat novum & salutare sidus. Causam tuam si Iustitia damnabit, clementia

asseret,

asseret, & utut nocentem te invenerit, innocentem in se faciet.

Ne extimesce accedere ad Deum, nam idem frater noster est, ejusdem carnis & sanguinis nobiscum particeps. Isto nomine ipse nos appellat in Psalmis : *Annunciabo nomen tuum fratribus meis*, in *medio Ecclesiæ laudabo te.* & apud Esaiam, *Ego & pueri, quos dedisti mihi Deus.* Audi cognationis vocabula. Frater noster est, nobis in omnibus similis excepto peccato. Quantum est miseriarum solatium, videre in cunis vagientem misericordiæ pastorem. quantum, videre pontificem, qui condolere nobis possit, quia homo est, & velit, quia frater est. Si in lachrymas solvimur, lachrymavit & ipse in diebus carnis suæ. si divinam opem destituti imploramus, imploravit & ipse cum clamore valido : si angimur, etiam ipsius anima anxia fuit ad mortem usque. Si fames, sitis, æstus, dolores, lassitudines, pericula nos exercent, passus est eadem. Si mors terribilis est, terruit & ipsum. Vnum hoc agendum sedulo, ne fratri dissimiles omnino simus. *Estote sancti, sicuti ille sanctus est: imitatores Christi, sicut ille est imitator Dei.* Nolite esse fratres mundi, ut sitis hujus. Displiceat carnis affinitas, placeat affinitas ejus, qui ex Spiritu sancto conceptus est. *Qui voluntatem patris facit, qui in cœlis est, hic est frater ejus, & soror & mater.* Quoties natalem filiorum celebrant principes, purgant à sordibus palatia, splendida veste induuntur, floribus conspergunt atria, & quicquid ad corporis delicias facit, hoc omne promitur. Quanto magis purgandus à peccatorum sordibus animus, cum ad æterni Dei Cunas,

as, ad fratris nostri sanctissimi præsepe invitamur. Quidquid non vultis reperiri in domo vestra, laborate, ne Deus inveniat in anima vestra. *Ecce stat ad ostium & pulsat, si quis surrexerit & aperiat, ipse intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Date illi locum in animis vestris, quem non invenit in diversorio. Occurrite illi conscientia secura, castitate nitida, charitate splendida, eleemosynis fervida, pietate illustri, devotione fideli. Accurrite Reges terræ, & osculamini filium hodie genitum, regem regum & dominum dominantium. Accurrite principes, & dum pacis æternæ principem amplexamini; coëant in fœdera mortales dexteræ. Accurrite Sapientes hujus mundi, & salutaris sapientiæ momenta ab hoc puero, qui patris est sapientia, discite. Accurrite divites, sed nolite extolli, quia ditissimus ad præsepe se demisit. Accurrite pauperes, sed nolite dejici, quia opulentissimus in fœno jacet. Accurrite potentes & nobiles hujus sæculi, potentissimus specie infantis impotentiam profitetur. Accurrite humiles & infirmi, quia Dominus orbis agnoscitur, qui in stabulo nascitur. Accurrite Theologi, & fidei Christianæ tesseram esse credite, natum esse hodie Servatorem, qui est Christus, in gaudium omni populo. Venite, qui corpori medicinam facitis & ab hoc Infante animæ vestræ medicinam supplices exorate. Venite juris interpretes, & causarum patroni, & bene vobiscum actum putate, cum vestram apud Deum causam hic Infans disceptabit. Accurrite mercatores, & diffusos cupiditatis vestræ terminos angustiis cunarum Christi coërcete. Accedite virgines ad Virginem, & à virgine discite castitatem,

&

& obedientiam. venite parturientes ad parturientem, quia qui ex vobis natus non est, vobis tamen natus est. Venite matres ad matrem, & liberos non ablactate per petulantiam, sed lactate per pietatem. Venite viduæ, & cum Anna vidua Phanuelis filia laudate eum, qui natus est ex virgine. Venite vetulæ, & cum vetula Elizabetha benedicite Domino. Exultate senes, & cum sene Simeone excipite fidei ulnis puerum, senectutis vestræ rectorem, solatium, spem. Exultate pueruli, nam dicit vobis hic puer: Sinite puerulos venire ad me, nam ipsorum est regnum cœlorum.

Invitavi Iudæos, invitavi gentes ad Cunas Redemptoris mei. Tempus est, ut accedam ipse. Sed videor mihi, veluti in sacra ecstasi, videre assidentes præsepi quatuor sanctissimas animas: Mariam Dei matrem, Zachariam præcursoris patrem, Elizabetham præcursoris matrem, & gravem annis Simeonem. Maria pio cantu magnificat Dominum, quod ancillam suam respexerit, & humillimam puellam Dei matrem esse dignatus fuerit: jam futurum, ut beata prædicetur, non pretio suo, sed Dei benignitate. potentis Iehovæ hæc esse opera, qui summa imis mutare valet, & potentes hujus mundi attenuat, ut obscuros promat: suscepisse in gratiam Israëlem puerum suum, memorem promissi sui, non Israëlem qui secundum carnem est, aut quem sola sanguinis propinquitas commendat, sed fidei sinceritas, qua sola cernitur Deus. Sedet juxta Elizabetha, & benedictum esse ait fructum ventris Mariæ, illam benedictam inter mulieres. Adstat Zacharias, & divino numine afflatus, multa canit de cornu salutis, quod Deus erexit in domo

domo David : de certitudine adventus ejus, quem Deus prædixerat per ora prophetarum : de causa adventus, ad faciendam misericordiam : de fine, ut eriperet nos de manibus inimicorum : de officio nostro, ut Deo serviremus in sanctitate vitæ, conscientiæ sinceritate omnibus diebus nostris : de puero præcursore, qui præparaturus esset animos ad tanti boni susceptionem. Adstat senex Simeon, & postquam impletum est senis desiderium in ipsa mundi senectute, manibus librans infantulum, erumpit cycnea cantione in has voces : Nunc dimittis Domine servum tuum, postquam videre contigit hisce oculis salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israël.

Et ne sine Deo hæc peragi viderentur, circumvolitant Angeli canentes : *Gloria in excelsis Deo, pax in terra bona voluntatis hominibus.* Gloria in cœlis, quia nulla illic dissensio. Pax in terra, quia dissensionum hic plena sunt omnia. At quæ illa gloria? Iustitiæ est, quia victima pro peccatis nascitur. Misericordiæ est, nam puer nobis datus est. Veritatis, & constantiæ, nam tot seculis promissus jam missus est. Sapientiæ : nam Verbum & sapientia & interpres secretorum patris est. potentiæ, nam ex virgine Deus caro factus est. Felicitatis, nam in hoc plenitudo Deitatis habitat. Et quæ illa pax? mentis tranquillitas est in puero hoc acquiescentis. Ecclesiæ & piorum concordia est. Dei erga nos favor & benevolentia est. Iudæorum & gentium in uno capite Iesu Christo, per fidem, reconciliatio est. Hanc enim pacem annuntiavit gentibus, quæ longe fuerunt,

fuerunt, & Iudæis, qui prope. Qui illi homines bonæ voluntatis? qui venerabile hoc Incarnationis mysterium credunt, non sugillant: puerum adorant, non profanis vocibus conspuunt: jugum ejus placidi excipiunt, non proterve excutiunt.

Puelle Iesu, sine, sine, ut post tot tantaque nomina, eminus præsepe tuum adspectem. nec enim dignus sum propius accedere. Cum te Deum de Deo cogito, expavesco & contremisco. Cum hominem homo intueor, resumo animum & reviviso. Sine quæso, tam audacem me facit tua lenitas; ut præsepe tuum, ut te tangam. nec enim aliter à lepra animæ meæ sanari possum. Sine, ut supplex divinæ tuæ fronti, quam peccati nunquam puduit, figam spirituale basiolum, quo peccandi consuetudinem dediscam peccator. Sine, ut ocellos contrectem, quibus gratiosissime infans, irradias squallidam non uno crimine animulam meam. Sine, ut lævam meam imponam tuæ dexteræ, & dexteram meam tuæ lævæ, ut quicquid ego feci lævum, tua justitia & sanctitate facias dextrum, & quam dexteram hactenus commodavi iniquitati, tu læva flectas in obsequium tuum & gloriam. Permitte, ut tenellam cervicem amplectar, ut arctius tibi uniar & per te Deo. Permitte, ut halitum meum confundam tuo, ut amorem tuum permisceas meo erga te amori. Permitte Christe, ut brachiolis tuis circumder, quorum altero ad fidem invitas Iudæos, altero gentes. Omnia & singula dum fide perlustro, clamat anima mea: Hic infans est, qui pro me apud patrem loquetur. hoc caput est, à quo vivendi præcepta hauriet mundus. hi oculi, qui oculos mihi aperient,

ent, ut videam, quæ ad salutem meam erunt. Hoc illud os est, quod benedictione non una me implebit. hæc lingua, quæ dolores meos mitigabit salutari blandiloquio. hæc manus est, quæ leni contactu languoribus meis medebitur. hi pedes, qui pedes meos dirigent in viis Domini. Nondum omnia dixi. Multa adhuc oblita es dicere anima mea. Ah, ah puelle, hoc caput est, quod spinis lacerabitur, ne me laceret infernus. hic vultus est, quem conspuet miles, ne me rejiciat Deus. hoc os acetum bibet, ut dulcedine tuarum promissionum reficiar. Hæc labella pallescent, ut cruentum peccatorum meorum vultum nive candidiorem reddas. Hæc membra flagella aperient, ne me absorbeat Dei ira. hoc latus hasta fodiet, quia non obedivi Deo. hæ manus stillabunt sanguine ob culpam meam. hos pedes transfadigent clavi, ne moriar in æternum. Adorande puer, te ridente, exultat anima mea, quia sempiternæ salutis dator es. Te flente, plorat anima mea, quia ob peccata non tua, sed mea ploras. Te dormiente, securitatem sibi promittit, quisquis fide vigilat. Te vigilante vigilat, qui cum mundo dormitare timet. Cum suspiras, suspiriorum tuorum causa peccatores sumus, & inter hos ego maximus. Cum lactaris a matre, lacta nos lacte doctrinæ tuæ & aqua saliente in æternum. Cum portaris à matre, verbo oris tui porta nos, ne vacillent pedes nostri. Cum tibi annuit Iosephus, rerum tantarum pius admirator, tu annue nobis & oleo lætitiæ perfunde nos. Cum te mater filium vocat, tu nos fratres voca. Cum te Iesum vocat, sancte Iesu serva nos. Cum te Christum vocat, unge nos Spiritu tuo, ut ad obsequium tuum reddamur

mur promptiores. Cum fasciis involveris, involve nos clementia tua, & gratia tua circunda nos. Cum in præsepi poneris, pone nos in cœlis, nam ob hoc in præsepi jacuisti. Cum locum non invenis in diversorio, inveniamus per te mansionem in domo patris tui. Cum in stabulo vitam ordiris, fac ut vitæ nobis terminus sit cœlestis palatii felicitas. Cum quiescis, quies tua præsagium nobis est æternæ quietis. Cum te moves, ecce, piis motibus totus incalesco, & poëta fio:

Cuna Tonantis, lectule Imperatoris
Præsepe, magni sella sospitatoris;
Cum te tuumque illustre dedecus specto,
Sordent triumphi, sceptra, regna, fortunæ,
Fasces, trophæa, vestium venustates,
Auroque quicquid purpuraque splendescit.
En ipsa cœli prædicanda majestas
Sordescit, ipso despicatior vulgo,
Egena rerum: vilibusque sub pannis
Crepundiisque grande Numen occultat.
Mundi Redemptor magnus incubat fœno.
Hac vagit aula, anhelituque brutorum
Blande incalescit. O stupenda paupertas.
Creator orbis angulo jacet parvo
Pene exul orbis. vestiumque donator
Fastidit illas. ipse regibus major
Rex universi, regios fugit cultus,
Opesque nescit omnium ministrator.
Non cinnama inter balsamique sudores
Infans renidet, Persicosque splendores.
Non hic jaspis, margarita, beryllus,
Fulgens smaragdus tecta sancta collustrant.
Puer ipse splendor omnis & sibi lux est.
Sibi ipse fulgor, ipse lumen & sidus,
Omnisque pyxis elegantia rerum.

Augusta proles, nate patris excelsi,
Squallentis obsolete sordibus tecti,
Vbi illa decoris sempiterna majestas?
Paresque patri gloria tua fasces?
Vbi patentis imperi potens sceptrum?
Vbi tribunal cœlitum choro septum?
Ex quo per omnes jura dividis terras,
Mandata ponis: jussa manibus dictas.
Nempe illa tristis, mœsta sors egestatis
Pressit volentem. pauperesque paupertas
Focillat insons. sic modestia prabes
Exemplar orbi turgidosque despectas.
Te clara cœlo, clara gentibus cunctis
Benedicta magnum Virgo parturit Christum,
Intacta Iesum. plena gratia mater
Tot gratiarum lata gignit autorem.
Pastor stupescit & tuetur infantem.
Reges adorant. erudita Persarum
Ante ora vagit eruditior cunctis,
Scientiarum & omnis arbiter veri,
Ac dona pauper colligit Sabaorum.
Latatur Anna. jamque proximus morti
Cœleste Simeon sanctus inchoat carmen,
Et nos beanti succinit juventuti.
Applaudit æther & Deum Cherubina
Canunt cohortes. solus horret Herodes
Timetque nostrum purpuratus infantem.
Puelle Iesu. particeps mea carnis,
Agnosce fratrem, quem tibi redemptori
Fides adunat. condole tua genti,
Ecclesiaque tot malis laboranti.
Tibi gratulamur maximo sacerdotum,
Tibi gratulamur maximo prophetarum,
Regumque quot fuere maximo regi.
Post tot piorum gratulantium voces,
Audi pusilli Christe canticum servi,

Et verba veterum, quæ reponimus, Patrum:
Æternus horas supputas tuæ vitæ.
Immensus alvo clauderis tuæ matris.
In matre totus, totus in sinu patris.
Nec hic vel illic segregatus in partes.
Nulli videndus. nunc videndus in terris.
Tot sæculis præmissus inchoans sæclum.
Deus perennis permanens, caro factus.
Patri coævus, nec coævus in carne.
Æqualis illi, nunc tamen minor Patre.
Pater Abrahami, semen Abrahæ sanctum.
Mariæ creator & creatus ex illa.
Mundi creator, nunc creatus in mundo.
Qui patre natus universa fecisti,
Et matre natus Spiritu refecisti.
Terrena servans & superna conservans.
Infans loquendi nescius, tamen Verbum.
Infans malorum nescius, tamen passus.
Cui mater una mater & simul Virgo est.
Virtute cujus facta mater est mater.
Quem nutrit illa, quæque vivit ex illo,
Quæ portat ulnis, cuncta qui suis portat.
Qui Sponsus idem est matris, & tamen proles.
Matri colendus & tamen colens illam.
Autor diei nocte proditus sera,
Et lucis expers, lucis autor æternæ.
Stabulo recumbens imperator Augustus,
Fœno recumbens rector orbis immensi.
Obses salutis, autor & simul pignus.
Et victima idem Pontifexque mactandus.
Infans stupende, nascere & Deus cresce.
Infans stupende cresce, vive Servator.
Infans stupende morte crimen expunge.
Infans resurge, jamque celsior cœlis
Miserere nostri. redde gentibus pacem.
Et pace natus inquieta compone.

Patriæ

Patriæ labores magne subleva princeps.
Patriæ parentes vindica Deus fortis ,
Arausiique nomen inclytum Patris ,
Arausiique germen inclytum Patris.
Fac, ut per amplos nota Tethyos fluc
Vrbs nostra, Cunis incubet tuis Iesu.
Vivant potentis Amstelæ Senatores ,
Et civium quotcunque Christianorum ,
Præsepe sanctum culcitrasque non grandes,
Et te jacentem supplices adorabunt.



D I X I.

Recitata fuit in Illustri Amstelodamensium Gymnasio, 27 Decemb. 1636.

CHRISTVS PATIENS, SIVE HOMILIA
in historiam Passionis Domini & Servatoris nostri Iesu Christi.

LOcutus aliquando ad Vos fui A. Christiani , de Præsepi sive Cunis Domini & Servatoris nostri Iesu Christi; quas Pater illustravit stupenda humilitate , Filius occulta & adoranda implevit divinitate, Spiritus S. ineffabili inumbravit sanctitate. Adstitit tum Cunis mater gratiæ plenissima. custodivit eas Iosephus justissimus. laudaverunt Angeli gloriosissimi. muneribus beavere Arabum & Sabæorum reges potentissimi. Benedicebat fructui ventris Mariæ Elizabetha , vaticinabatur grandia Zacharias, ulnis puerum accipiebat Simeon , & confitebatur Domino Phanuelis filia. Iacuit in præsepi, sed conditor mundi. jacuit infans , at futurus

Euangelii præco jacuit despectus & pauper, at rex idem & Imperator late patentis Ecclesiæ. Vagiit tenellus, attamen vis & potentia cuivis credenti ad salutem. vagiit in stabulo, cœlorum princeps; involutus fasciis, ut nos peccatorum vinculis exsolveret. Timuit Herodes, quia metuebat regem. ignoravit Augustus, quia nesciebat Messiam. Lætati sunt pastores, quia magnum animarum pastorem invenerant. Ex illo tempore fugit in Ægyptum à facie Regis, ne nobis fugiendum semper esset à facie Domini. rediit ex Ægypto, ut perditas Israëlis oves ad se vocaret, & servaret. Profecit sapientia, ætate & gratia, apud Deum & homines, & dum se vocat filium hominis, non dissimulavit se Dei filium esse. Audivere docentem Solymæ, cum duodecennis esset. stupuere pueritiæ divinam facundiam maximorum scripturæ interpretum subsellia. Latuit Nazarethi, sed Deo notus. non latuit Capernai, illustribus factis conspicuus. Cum Mose & Elia in monte Thabor locutus fuit, qui per ipsum Mosen, ante tot secula se venturum prædixerat. Prophetam se nuncupavit & præstitit; lucem se mundi dixit, & fuit; viam, quam monstravit errantibus; ostium, quod aperuit pulsantibus; panem vitæ, quem dedit esurientibus. Videre per ipsum cœci gratiæ Solem, qui nunquam viderant naturæ. Illuxit illis fidei lumen, quibus nunquam illuxerat diei. audivere vocem Euangelicam, qui vocem audiverant nullam. Locuti sunt cum cœlesti magistro, qui ad humanos sermones obmutuerant. Iverunt claudi in viis Domini, qui in viis mundi claudicaverant. occurrit leprosus medico suo & sanatum se gavisus est. tetigere ægri sanitatis autorem, & dicto citius

con-

convaluere. Excivit è ſepulchris mortuos, qui ſepulchri fores erat perrupturus, mortis dominus. recluſit fatales urnas, & ambulare juſſit cadavera, novus vitæ dator. Ivit per medias hoſtium turbas non viſus. Permiſit ſe tentanti Sathanæ, ſed confutatum glorioſe dimiſit. exegit miſerorum corporibus damnatos ſpiritus, quibus Deus imperabat. præcepit ſanctiſſima quæque; & fecit: præcepit graviſſima quæque, ſed ipſo juvante leviſſima. diſpulit juſtitiæ ſitim, juſtitia ſua; paupertatem, ſpiritus paupertate; luctum, animæ ſolatiis; ignominiam, ſpe futuræ gloriæ. vocavit ad ſe parvulos, quos magnos faceret in regno cœlorum. ſapientiæ ſuæ compotes fecit, quos inſipientes putant mundi ſapientes. Imperavit fidem peccatoribus nobis, qua non eguit ipſe, non peccator. dilectionem præſcripſit diſcipulis, patri ſuo dilectiſſimus; pœnitentiam, à qua fuit alieniſſimus; humilitatem, omnium humillimus.

Tot tantiſque beneficiis dum populum ſuum ad ſui amorem pellicere ſtudet: dum gemiſcentem ſub peccatorum onere gentem adventu ſuo Meſſias ſolatur: dum grandibus argumentis ſe à Deo miſſum evincit: fidei ſuæ & mandatorum tabulas in prodigiis & miraculis aperit: dum cœlum terræ, hominem Deo, creatorem creaturæ, nos nobiſcum, hominem homini conciliat: Ecce, Iudæorum odiis & furore capitur, vincitur, in jus rapitur, accuſatur, damnatur, cæditur, conſpuitur, ridetur, in crucem tollitur. Moritur victima publici odii, hominum ſcelere, idem victima ſalutis publicæ, Dei conſilio.

Ad hoc triſte ſpectaculum, quo nullum triſtius omnis ætas vidit, nullum ſalutarius pec-

cator: nullum lachrymosius flevit pietas; nullum crudelius exhibuit impietas: nullum execrabilius aspexit innocentia, nullum optabilius nobis fecit divina misericordia, invitant hoc tempore nos omnes Christiani nominis Ecclesiæ. Nec temere. Nam qui verno tempore mundus nasci cœpit & lapsus est, eundem patiente Christo, sub veris initia renasci, & resurgere integrum oportuit. Personant templa piorum suspiriis, gemitu, doloribus, madent lachrymis, ob repetitam memoriam exspirantis in cruce Servatoris. strident conciones vinculorum & catenarum, quæ Dominum nostrum strinxere, horribili strepitu & concussu. Resonant parietes sacri truculentis vocibus clamantis Iudæi, crucifige, crucifige. Pius concionator, dum tantas res edisserit, audiunt fidelium animæ intus flagellorum, verberum, quæ discerpsere innoxium Iesu corpus, terribiles sonos: audiunt ictus adactæ in insontis caput coronæ: audiunt ictus malleorum, affigentium cruci manus pedesque sui sospitatoris: audiunt deprecantem scelera sua latronem: audiunt clamantem in cruce, præ dolorum acerbitate, æterni Dei Filium. Loquitur suggestus religiose, quæ fecit Iudæus irreligiose. Confluunt undique populi, ut audiant de crucifixo, ut olim confluxere ad videndum crucifixum. ædium sacrarium ærea, arena est tristissimæ recitationis, ut Golgotha olim fuit tristissimæ contemplationis. flent columnæ, flent marmora, etiamnum rumpuntur in animis nostris saxa, obscuratur Sol, dum hæc ipsa pia recordatione, non ficta religione, memoramus. Præeunte Ecclesia, sequitur pari pietate Schola. Qui rerum naturalium scientiam ex hac sede profiteor, jam

jam ea loquar,ad quæ non assurgit vel Stoa,vel Peripatus. quantumvis ingeniosissimæ. Quæ cathedra in rationibus humanis tota desudat, jam eas expediet, quæ supra omnem naturæ & rationis validissimæ conatum sunt. Qui Deum vobis quotidie monstro,in cœlis, in elementis, in metallis, in plantis, in animalibus, in homine potentem, jam eundem vobis monstrabo in monte supplicantem, in prætoriis damnatum, in cruce pendentem & morientem. Qui de arcanis Vniversi disputo, inter ancipites Græcorum & Arabum & Latinorum scholas,jam oberrantem inter Annæ & Caiphæ & Pilati & Herodis tribunalia Redemptorem meum sequar. Qui pulvere, illustris quantumvis scholæ, indies adspergor, jam me, jam vos adspergam, sacrosancto illo pulvere, quem crucem suam bajulans Iesus & per viarum sabulosa trahens,pro peccatis meis & vestris excivit. Qui optimam Vrbis potentissimæ juventutem doceo sapere, jam docebo illa admirari, illa venerari mysteria, quæ Israëli scandalum, gentibus stultitia sunt. Satur secretorum hujus mundi, illam bonitatis, & sapientiæ divinæ abyssum scrutabor reverenter, in quam ipsi Cherubinorum & Seraphinorum suspiciendi ordines videre desideraverunt.

Duo sunt Iesu Christo vitæ tempora. Vnum humilitatis, alterum majestatis. Vnum ignominiæ, alterum gloriæ. Vnum servitutis, alterum plenæ libertatis. Prius in terris inter nos vixit. Posterius in cœlis etiamnum vivit. Prius meriti fuit. posterius prœmii: illud laboris, hoc honoris & mercedis. Illud certaminis cum Sathana, peccato & morte, hoc victoriæ & triumphi. De utroque stipendiis & venerandis

verbis loquitur gentium Apostolus : *Qui cum esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam, se æqualem esse Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & nomen illi supra omne nomen donavit, ut in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Deus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Tempus humilitatis tribus partibus absolvitur : nativitate, quæ humillima fuit; vita, quæ sanctissima; passione & morte, quæ acerbissimæ ac ignominiosissimæ fuere. Dicam jam de passione & morte. ubi diversa omnia à natalibus reperio. nascente Christo, cum optimis illi res fuit. patiente, cum pessimis. Tunc sacerdotem egit Zacharias, vir justus apud Deum. nunc in sacram scenam prodit venalis anima Iudæ & emptus pretio Pontifex Caiphas. Tunc Magi munera regi Christo obtulere. Nunc per Ecclesiæ procerum tyrannidem traditur lacerandus regum maximus. Tunc Simeon gavisus amplexus est puerum ulnis. Nunc cæsum virgis raptat in crucem Iudæus adultum. Tunc Angelorum fulgor illuxit cunis vagientis. Nunc sacerdotum furor sævit in morte patientis. Tunc Mariæ matris admiratio fuit, nunc aulæ utriusque & sacræ & profanæ execratio. Tunc delicium erat & amor Annæ vaticinantis, nunc ludibrium & opprobrium plebis tumultuantis. Tunc ab Elizabetha agnitus, nunc à Iuda osculo proditus.

Vos A. Christiani, qui mecum adstitistis Cunis

nis nascentis Iesu, ite, quæso, mecum per Dominicæ passionis flebilem historiam. Præibo piis verbis. sequimini piis mentibus. absit facundia. siluit Iesus. absit ab oratione fucus. siluit veritas. calceamenta carnalium desideriorum exuite, dum mecum acceditis ad Deum, ad crucem, ad altare, in quo mactatum est venerabile cœli depositum. Conscendite mecum montem Bethphages, orate cum Christo, occurrite proditori Iudæ, nam prope est. ite in vincula, consistite coram Caipha, sed taciti, tacente Iesu. adite una prætorium Pilati, sed & hic parci estote verborum, ad exemplum Iesu. sequimini porro in regiam Herodis, nec pigeat redire cum Domino ad Pilatum. hinc, suppositis cruci quoque humeris vestris, ite ad Golgotham, flete crucifixum, flete, quæ calamitatis tantæ catastrophe est, in cruce pro nobis expirantem. Verum unum præmoneo seriò, ne magna amoris in Christum præsumptione, inter has mundi illecebras, inter tot aularum calidos focos, inter illices pecuniarum tinnitus, velut ad ancillæ vocem, cum Petro dicatis, *Non novimus hominem.*

Horrescit anima mea & tremit. Adest, adest, peremptoria hora & potestas tenebrarum, quæ Servatorem meum ad supplicium deposcit. Ipse tantæ rei præscius, quam, ab omni æternitate, voluit consiliorum divinorum ineffabilis ordo, *ascendit in montem Olivarum*, secretus à peccatoribus, quorum causam agebat. In montem adscendit, ut vicinior cœlo, Deo Patri obedientiam probaret, teste cœlo; & extra insanientis vulgi turbas strepitumque, apud animum recolligeret grandis cœpti infandum laborem. secessit oraturus solus pro omnibus, qui

ſolus moriturus erat pro omnibus. Selegit Olivarum montem, ut eo loco de pace noſtra cum Deo patre paciſceretur, qui, à veteri pacis ſymbolo oliva, nomen habebat. Hic *in faciem procidit*, abjectus, omnis creaturæ primogenitus. Hic in lachrymas, in gemitus, in ſudores cruentos, inter mortis metus maximos & animi terrores horrendos, effuſus fuit character ſubſtantiæ patris, ſplendor gloriæ & inviſibilis Dei vera imago. Hanc naturæ noſtræ trepidationem in ſe ſuſcepit, ut à ſuis eximeret. non dedignatus eſt hos animæ cruciatus pati, qui crucem noſtra cauſa non recuſavit. Obverſabatur cogitanti, hinc ſummi Numinis ob peccata omnium noſtrum juſtiſſima ira, hinc futuræ mortis acerbiſſimus ſenſus & tot malorum triſtiſſima facies. quæ ſponſori noſtro miſerabilem hanc vocem extorſere: *Anima mea triſtis eſt uſque ad mortem*: & hanc: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, ſed non ſicut ego volo, ſed ſicuti tu vis.* Sciebat utique, non eſſe triumpho locum, niſi poſt victoriam, nec victoriæ ante certamen, nec certamini, niſi inter partes. Sciebat, nullum eſſe certamen laudabile, niſi quod cum ratione & deliberato ſuſcipitur. Sciebat, nullum eſſe certamen majus, quam quod homini ab ipſo homine exſurgit. Quare ſeceſſit à ſe filius hominis & unus partes fecit. voluit ratione, quod noluit affectu. horruit homo, quod aggreſſus eſt Deus. timuit mortalitas, quod elegit immortalitas. ſuaſit amor ſui, ne biberet de calice. ſuaſit amor noſtri, ut biberet de calice triſtitiæ, qui nobis eſſet futurus calix lætitiæ. Succubuit penè meditatione funeſtæ crucifixionis. at erexit ſe fiducia lætæ reſurrectionis. Non vult eſſe miſer, cum inſontem ſe adſpi-

adſpicit. Vult eſſe miſer, cum nos ſontes reſpicit. voluit auferri calicem, quia militabat miles. noluit auferri, quia vicit imperator. deprecatur calicem, quem ipſi propinamus peccatores. arripit calicem, quem ipſi propinat miſertus noſtri Deus. Cauſam agit trepidationis humanæ & tolerantiæ ſuæ. *Serva me ex hac hora*, trepidationis oratio eſt. *Sed propter hoc veni in hanc horam*, tolerantis obedientiæ vox eſt. Petiit amoveri calicem tribulationis, quia maluit eſſe. & admovit ori calicem redemtionis, quia perditos nos voluit ſupereſſe. Duplicem voluntatem perpendite. Vnam fluctuantis carnis, alteram immobilis decreti. Vnam luctantis rationis, alteram ſuperantis ſpiritus. Vnam placentis ſibi, alteram placentis Deo. Suſpicite in concordiæ magiſtro mirabilem diſcordiam, & dividi potuiſſe à ſe, qui nos omnes unit in ſe: abnegat, quæ viventi jucunda ſunt; & præfert, quæ morituro glorioſa, orbi ſalutaria ſunt. Ita ad ſe redit, & *Angeli* validis *ſolatiis* fultus, ſuſtinet mala, quæ ſe ſuperaturum confidit. Ieſu Chriſte, etiam nos in Olivarum montem transfer, ut calcatis ſeculi voluptatibus, propius inferamus cælo mentem: permitte, ut in terram procidam poſt te, qui procidiſti in faciem pro me. permitte, ut preces noſtras permiſceamus tuis, ut una cum tuis tranſvolent in cœlum, ad Patrem tuum. Permitte, ut ſuſurrulus in cor noſtrum deſcendat, ejus alloquii, quo te ſolatus eſt Angelus Dei. Cedo guttulam *ſudoris* tui, in refrigerium æſtuantis malorum ſenſu conſcientiæ. Cedo guttulam cruenti ſudoris, qua abluamur à peccatis noſtris. Cedo guttulam lachrymarum tuarum, ad reſtinguendam

 ſitim

ſitim juſtitiæ tuæ. Cedo alteram guttulam, quæ langueſcentem & tot dubitationum inſultibus vacillantem fidem noſtram roboret fulciatque.

Deſcendens à monte Ieſus *ſalutatur à Iuda, & proditur oſculo.* oſculo, non fidei, ſed perfidiæ: non cognationis, ſed ſimulationis: non ſubmiſſionis & devotionis, ſed proditionis: non officii, ſed maleficii: non amicitiæ, ſed fallaciæ. proditur fidelitatis doctor. fit mercimonium ipſe Deus. appenditur vili argento, quo precioſius nihil vel cœlum habet vel terra. creatura creatorem ſuum ære licitat. vendit vas figulum ſuum; terræ filius Dei filium. Qui nos emit ſanguine ſuo, venditur metallo, quod condidit ipſe. triginta ſiclis æſtimatur, qui animam ſuam in pretium dedit toti mundo. Scelerate Iuda. ſalutas Dominum, & fallis. dominum vocas, & re dominum negas. ave dicis illi, & benedicis, cui malè vis, & miſerrimum væ apportas. inclinas te reverenter, ut tradas crudeliter. accedis amicus, diſcedis inimicus. Salutis viam oſtendit tibi Ieſus, & tu mortis viam oſtendis inimicis ejus. ſervare te voluit per fidem in ſe, & tu perdere ipſum venis per infidelitatem ex te. iviſti inter dilectiſſimos, accubuiſti inter diſcipulos. nunc mutatis partibus, inter ſatellites, inter lictores inveniris. Voluit te tradere Deo, ne perires. & tu illum tradis ſacerdotibus, ut periret. Avaritiam admittis, & amicitiam Domini è pectore dimittis. tinxiſti manum in paropſide præceptoris tui, ut te reum tingeres innoxio ſanguine, quem prodidiſti. ſectator fuiſti, jam deſertor es. conviva fuiſti hoſpiti; jam hoſpitii violator es hoſpes. quæſtor fuiſti Apoſtolici cœtus, jam ductor impiæ cohor-

cohortis. Sequeris diabolum ducem, & non vis habere Iesum rectorem. *Capitur & vincitur.* At vos Principes sacerdotum, magistratus templi & seniores, parcite, precor, pias scelerare manus. parcite Christo injicere vincula, quia justus est. quid vincitis hominem, qui templi vestri Dominus est & sancti sanctorum summus sacerdos? quid captivum abducitis? libertatis vestræ vindex est, tot sæculorum spes, Israëlis exspectatio. erras Iudæe, erras lictor, erras satelles. nostras manus liga, hæc capita obnubito, nos in gemonias pertrahe. Me me, adsum, qui feci. in me gladios & fustes vestras convertite. nihil ille nec ausus, nec potuit. *Ducitur* in morem facinorosi *ligatus ad Annam Pontificem*, Caiphæ socerum. ab Anna ad Caipham, ut quæ vincula inter illos conjugii erant, vincula essent conjurantium in Christum, soceri generique. Species prætexenda fuit sceleri, & damnandus in sacris Conciliis, ut Ecclesiæ autoritate interficeretur Ecclesiæ caput, doctor, petra. *A Caipha itur ad Pilatum*, à *Pilato ad Herodem*, ab *hoc rursus ad Pilatum*, ut secularium quoque voce caderet. Sed hominum improbitatem vertit divina sapientia in Filii sui gloriam. Quot judices invenit, tot innocentiæ suæ testes habet. traditur ab iis, sed infami pecunia proditus. capitur armata manu, ipse inermis. trahitur, nihil reluctans, & sponte se præbens. judicatur, sed à professis hostibus. Veritatem loquitur Caiphas, nec intelligit. *præstat, ut unus moriatur, quam populus.* non invenit Pilatus culpam in ipso. horret Pilati uxor & justum vocat, ut jam mulier excuset à peccato, quæ prima nos peccatores fecerat. Annas, quia nihil expiscari potuit flagitiosum, mittit ad Caipham.

pham. adjurat filium Dei Caiphas, qui filium Dei oppugnabat. odit Annas Pontifex minor, Iesum Pontificem maximum. persequitur sacerdos unius anni, Iesum sacerdotem in æternum. Leviticus sacerdos illum; qui secundum ordinem Melchisedechi erat. sacerdos typicus verum. Qui Pontificatum mercatus fuerat ab Herode, sacerdotem à Deo constitutum. illusit Herodes Iudææ solum rex, regi, qui à mari ad mare dominatur, teste Esaia. pronunciant de capite ejus suppedanei judices, qui vivos mortuosque, etiam hos suos judices judicabit, judex supremus & irrefragabilis. Advertite Iudices, Anna, Caipha, Pilate. errastis omnes in reo. Quæ in Iesum Nazarenum congessistis crimina, nostra sunt, non illius. Nos filios Dei falso nos diximus, cum arrogantiæ cristas tollimus insolentius, cum Iovis Ammonis filios nos jactamus, cum pauperem forte præ nobis contemnimus. Nos legem Mosis solvimus, cum leges singulas transgredimur audacius. Nos per dæmoniorum Principes, Ambitionem & Avaritiam, magnos hujus mundi dæmones, reges principesque, soliis suis deturbamus. Nos templa Dei subvertimus, cum animas nostras non uno crimine profanamus. Nos populum concitamus, cum manifestæ veritati bellum indicimus, cum tyranni incubamus civium cervicibus, cum censura vexamus imbelles columbulas, & milvis rapacibusque corvis veniam damus. Nos venimus dare gladium, & fratrem cum fratre committimus, cum fratri temere irascimur, & implacabiles sumus. Dixit se filium Dei Iesus & fuit. si prophetis creditis, pater æternitatis fuit & egressus ejus à seculo. In Psalmis legisse debebatis, *Filius meus*

es tu, hodie genui te. Dixit se filium Dei & miraculis probavit. Non dedit turbas, nec studuit rebus novis, qui Cæsari jussit dare, quæ Cæsaris sunt, & ipse dedit. Non solvit legem Dei, qui ad recti amussim vixit inculpatissimus. Non evertit templum, qui domum orationis esse voluit, magnus pro templi majestate & reverentia zelotes. Non regna affectavit vestra, cujus regnum non erat de hoc mundo. Non venit dare litem proposito suo, sed pertinaciæ vestræ eventu. Non collusit cum diabolorum Principe, qui rigidis pietatis jussis Sathanæ regnum evertit. Non docuit seditiosus, qui suos ad pacem constanter hortatus est. nec collegit discipulos ad pugnam, sed ad propagandam Euangelii doctrinam. Non potuit machinari malum, qui locutus est publicè, in synagogis, in templo, festis diebus, loco & tempore celeberrimo, confluentibus undique è Syriæ partibus, populis.

Interea, dum hæc geruntur in Pretoriis, in aulis, deseritur ab amicis, *fugiunt discipuli*, & in latebras se abdunt, afflicto pastore. Vnus Petrus, quanto creditur esse animosior, tanto *abnegat Dominum* timidior. *Ancillulam* timet pusillanimis, qui se in mortem iturum dixerat magnanimus. nec negat solum, sed pejerat & execratur. fortis fit negator, qui fortis fuerat pollicitator. Atrox crimen, nisi excusaret infirmitas. nec enim venerat, ut abnegaret, sed ut curiosus spectaret. nox erat, & tenebræ involverunt animum. dum ad aulicum ignem se calefacit, refrixit charitas. accedebat ad impios, & abibat à pietate in Dominum suum. Dejicit prima afflictio, quem sua erigit persuasio. Nec Petrum solum tangit iste dolor. etiam error

iste

iste noster est. Ancillam timemus, Auditores, cum edenda de Christo confessio est, vel verbo, vel opere. Cum coram Imperatoribus & regibus stamus, vacillamus timidi & Christum citius, quam aularum prunas deserimus. Cum magnis promissis nos vocant terrarum Dii, labascit fides, & nescimus hominem. Mundus ancilla est, Cæsar ancilla est, caro nostra ancilla est, peccatum, Sathanas, improbus quisque & seductor, intercurrentes ancillæ sunt, quarum vel amore vel metu juramus indies, nos nescire hominem. Cum mercaturam sinistri facimus, & spe lucri proximum fallimus, nescimus hominem illum, in cujus ore non fuit dolus. cum patrocinium commodamus nequam causæ, nescimus hominem illũ, qui nos docuit implere omnem justitiam. cum morbos ægrorum trahimus aut curamus negligentius, ut unctiores redeamus, nescimus hominem illum, qui morbos curavit verbo. cum plebi ad os loquimur, cum pulvillos supponimus peccantibus, nescimus hominem illum, qui hypocritis toties larvam detraxit. cum Principibus populi responsamus, & Regum apices concutimus petulanter, nescimus hominem illum, qui Herodi non respondit. Cum temerariis bellis implicamur, incendiis, lanienis urbes agrosque vastamus, nescimus hominem illum, qui Petro imperavit, ut gladium reconderet. Sed *Galli cantum audivit Petrus. & recordatus est verbi, quod dixerat Iesus, Priusquam gallus cantet, ter me abnegabis. Et egressus foras, flevit amarè.* Dat locum pœnitentiæ, qui dederat jactantiæ. minorem se agnoscit sibi relictum, qui major fuisset Christi ope subnixus. Cum viribus nostris fidimus, labimur mobiles; cum Dei auxilio nitimur,

mur, consistimus immobiles. Sibi diffidat oportet, qui fidens esse volet. A Christo petendum, quicquid pro Christo gerendum est fortiter. Ancillæ vocibus iterum atque iterum percelli, quam ignominiosum viris. Et tales singuli sumus, cum maxime nobis videmur stare. Galli insperata vox Petrum peccati commonefecit. Vtinam & commonefaceret nos. Cum à Domino castigamur, cum morborum omne genus & nova febrium cohors nobis incubat, galli cantum audimus, ne cum mundo pereamus. Cum inter feretra quotidie, & pompas funebres & sepulchra ambulamus, canit gallus, & nos peccatorum nostrorum ac mortalitatis redarguit. Cum in templis, aures nostras vellicant Ecclesiastarum acres invectivæ, clamat gallus, ut è peccati veterno sopitam mentem suscitet. Cum piis parentum, præceptorum, amicorum hortatibus revocamur ab errore, gallos omnes credite, qui ad resipiscentiam invitant. Supplicia nefariorum, cruces, lictorum virgæ & secures, carceres, catenæ, pro gallis sunt & pœnitentiæ doctoribus. Fames, paupertas, bella, exilia, naufragia, terrarum inundationes, tempestates, totidem sunt gallorum voces, quæ Christi memoriam refricant. Exit Petrus. unde? ex atrio Pontificis, ubi peccaverat. Flet Petrus, quia intuitus est illum Dominus. & flet amare, quia abjuraverat severe. Exeamus & nos cum Simone è pontificum atriis, ubi facilis in peccata lapsus. ne misceamur famulis sceleratorum, ne vitium trahamus à contactu. lachrymis testemur pœnitentiam, cum respiciens nos Iesus promittit misericordiam. Exemplum sit nobis Petrus, & imbecillitatis humanæ, & resipiscentiæ non fictæ, labentis

bentis Ecclesiæ doctoris, & resurgentis è lapsu; fidentis sibi, nec diffidentis gratiæ. Salutares lachrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, testimonia fuerunt veræ conversionis. Salutares lachrymæ, quæ fluxere ex fonte charitatis, ut abluerent verba formidinis. Non est tardum remedium abolitionis, ubi non fuit judicium pravæ intentionis. Nascitur abundantia fletus, ubi non deficit simplicitas affectus. At quam dispar ratio peccantis Iudæ & peccantis Petri. Iudas abjectis ad pedes sacerdotum argenteis, recessit & scelus scelere cumulavit. Agnovit magnitudinem criminis, sed non agnovit magnitudinem clementissimi Numinis. Exivit Petrus, ne peccaret amplius. Exivit Iudas, ut qui in Dominum peccaverat, jam in se peccaret. Flevit Petrus & misericordiam consecutus est. flevit & Iudas, sed abjecto magis animo, quam converso.

Magnum se putabat fecisse Petrus, quod *gladio amputasset auriculam Malchi.* major res agebatur. Exploranda fuit constantia ejus, qui Neronis aliquando tyrannidi objiceretur martyr. tentanda fuit mansuetudo ejus, qui mansuetudinis Christianæ esset futurus præco. non opus gladio Episcopis, quibus pugnandum spirituali, & sacro. Non fundendus sanguis erat prælucentis Malchi, sed toti mundo prælucentis Christi. At felices sumus, quibus amputantur auriculæ, quæ hactenus auscultaverunt impiis sacerdotibus, impiis scribis, impiis pharisæis, impiis senioribus, hoc est, carnalibus desideriis. Ter felices auriculæ, quas restituit Iesus, quæ Deo patri auscultant, vocanti nos ad Filium; quæ Filio auscultant, docenti viam salutis; quæ Spiritui S. auscultant, salutaria suggerenti.

renti. Probrosum erat vulnus Malchi, sed minus periculosum. Insanabile, quia resecta cartilago non renascitur. At Christo sanabile & hoc vulnus fuit. reddidit auriculam, qui reddere potest saniorem mentem, divinæ auræ particulam. reddidit corpori membrum, qui totius hominis est medicus.

Redeo ad prætorium. quod non miseriarum & ignominiæ genus patitur apud Deum gloriosissimus? *Velatur facies* ejus, sine quo in tenebris peccati, & ignorantiæ & mortis versamur. *cæditur* contemptim colaphis, gloriæ nostræ fons & origo. *illudit miles* prophetæ, ne nos essemus ludibrium Sathanæ. *conspuitur*, conviciis proscinditur, in exemplum, si forte & nos conspuat scribæ cujusdam, aut pontificis subbalneo. Et patitur hæc taciturnus, quia moriendum erat divino consilio. parcus est responsi, largus beneficentiæ. maluit factis declarare naturam divinam, quam apud juratos hostes profiteri. accusatur blasphemiæ, quem Pater glorificavit. mendaciis impugnatur veritas, & non unius criminis arcessitur reus, qui solus omnium omni vacat crimine. Disjunxerat Herodem & Pilatum vetus simultas. Nunc, patiente Iesu, redeunt in gratiam mutuo & *coëunt amici*. Improba concordia est, quam conciliat veritatis injuria. Satius est dissentire malos, quam convenire in malo. non amicitia est conjurantium in Christum, sed conspiratio. *Gavisus est Herodes*, *viso Iesu*. Sed salutarius gaudium concepisset, si oculis fidei Iesum vidisset. audiverat multa de eo, non miratus sanctitatem potentiamq; ejus, sed novitatis studiosus, quomodo de funambulis, aut præstigiatoribus audimus. *Præfertur Barrabas*, & posthabetur Dei filius

filius comperto homicidæ. depoſcit inſania ad ſupplicium de omnibus bene meritum, & dimittit publicæ tranquillitatis hoſtem. *Flagellatur miſer*, & quæ flagra nos manebant, diſcerpſere innoxium. Vibicibus horret, ſanguine madet luridus, ſulcis cruentis alte diſcinditur inculpata cutis. Iterum aberras impietas. flagellatur unus, cum flagellandum eſſet univerſum genus humanum. flagellatur inſons. at flagellari meruere, quotquot ab Adamo natales accepere. Quoties virgas tollis lictor, toties teipſum feri, nam tu reus es. quoties ictus ingeminas, ingemina in tergore Iudæi, ingemina in tergore gentilis, quia omnes peccaverunt. Alliga poſtibus Caiphæ veterem novumque orbem, nam uterque poſitus eſt in malo. Alliga viros, alliga fœminas, alliga virgines, alliga juvenes, alliga ipſos mundi imperatores, ipſum Annam & Caipham, cum Pilato Herodem, nobilem cum ignobili, ſapientem cum inſipiente. omnes eidem culpæ affines ſumus. Diſſecas venas Ieſu. Has venas diſſeca, quæ impuris affectibus incaluere. rumpe arteriarum compagem, nam iniqua plurima à corde imbibere. Lacera nervos meos, nam ſinguli peccaverunt. ille qui in oculis eſt, vidit vanitatem; qui in auribus eſt, auſcultavit improborum ſuſurris; qui in naribus eſt, odoribus ſe commodavit ad luxum; qui in lingua eſt, laſciviit in gulæ gratiam; qui tactum facit, leno fuit voluptatum. is qui linguam commovet, pronus fuit ad vaniloquia. Etiam *coronam gerit Ieſus*, ut videretur rex, qui erat. ſed *ſpineam* gerit, ut diceretur, per contumeliam eſſe, quod erat regali officio. *arundo pro ſceptro eſt*, veſtis *purpura*. nam hæc regum ſunt inſignia. Oro te, Ieſu

Chriſte,

Christe, sine, ut ablatam capiti tuo coronam ludicram, omnium & singulorum peccatorum vertici imponam. Benedicte patris, hæccine te insignia decent? Nobis vertices maledicti sunt, nobis frons impudens & effrons. Nostra capita stultitiæ multiformis promptuaria sunt & tot ineptiarum officinæ. Tuum sapientiæ cœlestis, tuum sanctimoniæ incorruptæ, tuum devotionis sinceræ arx est & regia. nobis regna exprobret fatua corona, nos ridicula purpura investiat, quia fatua cogitamus, fatua loquimur, fatua scribimus. nos reguli videamur populo, qui cum centum aut plus terræ ulnas possidemus, terrarum Domini vocamur. Sæviant minaces spinæ in capillis nostris & pungant caput, quod à mala mente indies pungitur. Spina ambitio est, spina auri sacra fames est, spina crudelitas est, spina discordia est, spina sordida avarities est, spina superbia est, spinæ sunt, iræ, odia, hypocrisis, quibus, vel pungimus alios, vel pungimur ipsi. Ab his spinis solus liber est Iesus. Cur ergo spinis coronatur? non sibi, Fratres, sed nobis, ut spinarum nostrarum spicula, obtundat spinis, quas gessit & sensit merito nostro, non suo.

Inter hæc ludibria & sannas & sibila vulgi, hac tristi rerum facie, sic vinctum, cæsum, consputum, coronatum, purpuratum, miserrimum, talem fatetur Pilatus, his vel admirantis vel dolentis vocibus: *Ecce Homo.* En spectaculum Iudaicæ feritatis. En spectaculum calcatæ, spretæ, irrisæ, damnatæ innocentiæ. En Deum, sed in carne afflictissimum. En Deum, sine majestate vilissimum. En hominem, sed ex Deo natum. En Deum, sed ad inferos depressum. En hominem omni homine minorem & majorem, omni homine

homine feliciorem & infeliciorem. En hominem, omnis hominis scandalum, omnium fidelium decus & gloriam, omnium Angelorum admirationem. Ecce homo, quem sui non agnoscunt, venerabuntur gentes. Ecce hominem nihili, sine quo nihil fuissemus nos, execrationem suæ gentis, ut benedictione nos impleret sua. ecce hominem, filium hominis & unigenitum Dei. Mox *rapitur ad supplicium, tandem consentiente Pilato.* favisse dixeris Christo, sed ut Herodes favit Iohanni, cui ad puellæ preces caput amputavit. *Bajulat crucem suam*, hoc est aram, idem sacerdos, idem victima. Cogitur humeros commodare *Simon Cyrenensis*, è gentium numero, ut, Iesu præeunte, bajularet sequens. felix necessitas, quæ propellit ad salutem. felix violentia, qua trudimur in regnum cœlorum. amplectitur crucem Christi nondum Christianus. ut qua via incedebat Christi vestigiis, eadem incederet per fidem populus, qui longe erat. Nec pudeat nos portare crucem Iesu Christi, liberiore obsequio. Sequamur cum Cyrenensi ad locum supplicii, ut abducamur à loco æterni exitii. compatiendum est Christo, si una regnare volumus. Nec dignus est Christo, qui non accipit crucem suam & Iesum sequitur. Dum sub cruce laborat & gemit, plorare vetat filias Ierusalem. plorare vetat & nos, quorum causa crucem portat. Cum viridi ligno accidat hæc calamitas, ne desperemus, si arido accidat. Cum membris Christi male est, commodemus humerum laborantibus, nam & sic juvamus bajulantem Christum.

Pervenit *ad Calvariam* Redemptor noster, locum damnatis ossibus craniisque infamem,

qui

qui virtute sua resuscitabit mortua. *Crucifigitur*, quo non aliud mortis genus erat atrox magis & probrosum. Suspenditur *inter latrones*, ut videretur crimen esse commune, quibus erat commune supplicium. Pendet inter facinorosos, nec inquinatur ab ipsis, ut impleretur scriptura, *Et cum injustis deputatus est.* Pendet medius & velut princeps maleficorum, ut inter contraria sua eluceret justitiæ & sanctitatis princeps. Erigitur in altam trabem, velut in triumphale signum, cui orbis universus inclinat caput, quem venerantur Angeli, soli tremunt dæmones. Pendet cœlos terramque inter, utraque reconciliaturus. Pendet in theatro & mundi meditullio, ipse mundi admiratio, amor mundi, solatium, & fœlicitas mundi. Pendet velut in specula, è qua miseriam nostram spectat, tam truci vadimonio redemptam. Pendet inter dextrum & sinistrum latronem, specie futuri Iudicis inter justos à dextris, & injustos à sinistris. Pendet pœnitentem inter & impœnitentem, inter condolentem & exprobrantem, ut non omnium se Servatorem, sed pœnitentium probaret. Pendet inter gratiæ exemplum & contumaciæ, inter electum Dei misericordia, & relictum sua culpa. Fecit ex latrone uno civem paradisi, dum alter se fecit civem gehennæ. Pendet nudus, ut tot meritorum salutari veste nuditatem nostram tegeret. Pendet nudus, ut qualis in Paradiso homo primus habitaverat, talis in Paradisum homo secundus intraret. Pendet pauperrimus, cui jam nihil erat reliquum in terris, ut ne vestis quidem matris hæreditas esse posset. Pendet miserrimus, inter cruciatus maximos, nervorum instar tympani distensiones, manuum pedumque vulnera, pendulo

è trans-

è transfixis manibus corpore, rigente vultu, conniventibus in ipsa morte & peccatorem adhuc gratiose intuentibus oculis. Nec crucifigitur sine titulo & criminis & personæ. Adscribuntur hæ voces, *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum*. Prima vox salutis est, secunda educationis, tertia regii muneris, quarta regem repudiantium Iudæorum. Innocentiam pendentis loquitur titulus, & contumaciam Iudæi. Iesus erat, ergo servator. Nazarenus erat, ergo sanctificatus & separatus. Rex erat, at sine incommodo Herodis. *Iudæorum*, hoc est confitentium ipso nomine scelus suum. Nam *Iudæi* vox confitentem significat. Hoc trophæum passionis suæ retulit Dominus, quod cum rex esset regum, talis imprudentis Pilati jussu, invitis pontificibus & scribis declaratus fuerit. Legebant ista Hebræi, legebant Græci, legebant Romani. Hebræi, quorum propria erat Hebræa lingua. Græci, qui ob commercia cum Iudæis frequentes aderant. Latini, quia stipendia sub Pilato merebant. Non ignoravit indigena, quis esset crucifixus. non ignoravit peregrinus. omnium intererat illa sciri, quia in rem omnium erat pati Iesum & occidi.

Spirante adhuc Iesu, in spolium cedunt vestimenta, operæ militaris prœmium. hæc cum consuta essent, in *quatuor diviserunt partes*, ut militum singulis sua cederet portio. At tunica, vestis interior & sacro corpori vicinior, quia futuram non habebat, inutilis futura, si discinderetur, tota contigit illi, cui sors favit, ut impleretur, quod prædictum erat à Davide: *partiti sunt inter se vestimenta mea, & super veste mea miserunt sortem*. Vestis ista insutilis, Ecclesia Christi est. cohæremus in crucifixo plurima mem-

membra, quæ vel imperitia nostra, vel pertinacia, vel ambitione, vel zelo, qui non est secundum scientiam, misere discerpimus. Quis resarciet? Tu, Christe, respice è cœlo ad vestem tuam in tot frusta laceratam. Secatur in partes à pontificibus ipsis, à scribis, ab Ecclesiæ tuæ doctoribus. Vah insaniam nostram! Pepercere Barbari milites tunicæ tuæ, nec dissuerunt illam. at non parcunt sacrorum & templi antistites vesti tuæ. Vni, reduni, Iesu, discissa membra, ut omnium sit unum corpus, unus spiritus, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Ad crucis locum eunti porrigitur *acetum, felle permistum:* sed noluit bibere. Sitiebat hostium pœnitentiam, quam noluerunt porrigere, qui nolebant in eum credere. Et cum vinum offerri soleat morituris, *dederunt vinum myrrhatum.* sed non accepit. displicebat dantium permixta myrrhæ amarulentia. Biberat ante cum discipulis suis, non bibiturus de fructu vitis, donec biberet novum in regno Dei. In cruce pendenti iterum porrigitur acetum & bibit, ut impleretur, quod scriptum est, *aceto potaverunt me.* Et inter hæc orat pro crucifigentibus se: *Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciant.* Non ulciscitur se mansuetus, sed orat pro salute hominum, qui se agnum paschalem offerebat pro ea. Tunc Sol sensit innoxii supplicium, nec sustinuit esse spectator, patiente Sole justitiæ. Obduxit caligine faciem suam, *& tenebræ operuerunt terram,* dum Iudaïcis mentibus incumbit contumaciæ caligo. Lugeat carnalis Iudæus, sed spiritualis gaudeat Christianus. illi dies versa est in noctem. nobis hæc nox coruscat in diem.

Tum, velut victus, cruciatuum acerbitate, voce magna exclamavit, *Deus meus, Deus meus, cur dereliquisti me.* Est quædam derelictio, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla majestatis ostensio. Non dereliquerat ipsum Deus, quem è morte resuscitaturus erat. cum Deum suum vocat, non desperantis vocem auditis, sed nostram vicem sustinentis. Adami illa vox est & omnium nostrûm, à quibus vultum jure averterat divinus favor. In terra hæc loquebatur, qui apud Patrem & in Patre commorabatur. Quærit quare ipsum dereliquerit Deus, quia insontis fruebatur conscientia. quærit quare? ut peccati meritum nobis suggereret, & consilium divinum crucifixionis primam summamque causam indicaret. Postquam *omnia consummavisset*, & nihil sacrificio deesset, *inclinato capite dedit spiritum.* Dedit, quia animam suam ultro posuit pro ovibus suis. Dedit, quia jam olim in typo suo dixerat, *Ecce adsum Domine ut faciam voluntatem tuam.* grata fuit victima morientis, quia fuit ultro obedientis. Mortuo *perforatur latus, effluentibus aqua & sanguine*, quantum abluendis omnium hominum sordibus sufficiebat. O sanguinis pretiosissimi rivule, sana me, nam animam meam lepra habet per te sanabilis. O rivule riga me, nam exaresco tui desiderio. O rivule lava me, nam à capite ad calcem sum vulnus, & livor & plaga tumens. O rivule refrigera me, nam flammæ infernales circumdederunt me. O rivule recrea me, nam peccatorum meorum doloribus fractus fessusque sum. O fons vitæ, ô fons unice, ô fons inexhauste, ô fons limpidissime, ô fons ineffabilis gratiæ. Da ut peccator maximus sorbitiunculam sanguinis salvifici corde contrito

&

& vera fide hauriam,& hauriant mecum, quotquot in Christum credunt mecum, ne moriamur sed vivamus in æternum. Video destillantem, crucem juxta, sanguinis guttulam. Accurre, accurre anima & bibe. Bibisti? Euge. salva es, beata es æternum.

Tum ne sua majestas & divinitas deesset tam flebili, tam horribili scenæ, *concussa terra est*, quam cum Patre creaverat. horruit natura, patiente Deo naturæ. *dissilierunt saxa*, quæ in maximam duritiem ipse compegerat. *Rumpitur templi velum*, ut figura in veritatem, prophetiæ in lucem, lex in Euangelium verteretur. rumpitur, ne solius Iudæi esset salus & promissio, sed & gentibus nobis esset aditus ad sanctum sanctorum. apertæ sunt sepulchrorum fauces, *egressa cadavera*, ut finem suæ mortis doceret, resurrectionem mortuorum. Est hoc, Auditores, familiare Deo nostro, per imbecillitatem filii sui ostendere virtutem suam, per stultitiam prædicationis sapientiam suam profiteri, per ignominiam crucis illustrare suam gloriam. De humili, leni, paupere, despecto Iesu multa legitis. Sed & hoc legitis: illum adoratum à Magis, verbo ejecisse dæmones, sanasse morbos, sedavisse tempestates. Legistis illi structas insidias. sed & hoc legistis: ipsum ivisse per medios insidiatores. passus est se capi, sed nutu prostravit ipsos satellites. ridetur in cruce à pluribus, sed dixit Centurio, *Vere hic est filius Dei.* Mortuus est in cruce. en impotentiam. at obscuravit Solem; concussit elementa mundi, saxa discidit, monumenta aperuit, mortuos suscitavit. en omnipotentiam. *O profundas divitias sapientiæ divinæ.* capitur immensus, ligatur incomprehensibilis, maledicitur

benedicto. Qui Deus est ob æternitatem, moritur homo ob mortalitatem. Qui in forma Dei Deus erat, crucifigitur in forma servi. nec conspicua est forma Dei in homine, nec læditur forma Dei in servo. simul sunt in cruce, sublimitas pendentis hominis, & humilitas latentis Dei. simul celsitudo divinitatis, & abjectio humanitatis. Humilitas vera est in Deo inviolabili, & divinitas vera in homine violabili. In eadem cruce itur ad gloriam, sed per contumeliam, itur ad incorruptionem, sed per supplicium, itur ad vitam, sed per mortem. In eadem cruce aliud egit Christus patiens, aliud Israël insaniens. alius finis irati Iudæi, alius miserentis Dei. ille interficit Messiam suum, hic liberat à Diabolo captivos. Toto passionis decursu repugnat iniquitas justitiæ, cœcitas luci, mendacium veritati, vincente justitia, perrumpente luce, triumphante veritate. Ignoscite A. si dum prolixus est Servator noster satisfaciendo, paulo prolixior sim dicendo.

Audivistis historiam crucis dominicæ. audivistis rem, non fortuito aut humanis consiliis gestam. Ea narravi, quæ æternitas occulta habuit, ante tot seculorum infinita millia. Ea narravi, quæ typis exhibita fuere ante Mosen, sub Mose, post Mosen. Ea narravi, quæ constantibus prophetarum oraculis de Christi passione & morte prodita, obscurius intellexit pia antiquitas. Etenim *hunc Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo inter Iudæos, virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio populi: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affixerunt Iudæi cruci & interfecerunt.* Sed ipsum crucifixum audite, paulo ante mortem: *Glorifica*

mi

me pater, apud temetipsum, ea gloria, quam habui apud te, antequam mundus esset. Quæ illa gloria? gloria est patientis primum, mox resurgentis Christi. Ibo per stupendum consiliorum divinorum ordinem, & ubique patientis Christi partes esse, manifestum faciam. Salutis nostræ fons principiumque ab æterna & gratiosa Dei electione est. At elegit nos Deus in Christo, ante jacta mundi fundamenta. at quali? patiente. nec enim amare peccatorem summo amore potuit pater, nisi reconciliatus. at nulla reconciliatio sine Mediatoris sanguine. Electos in Christo vocare decrevit Deus. ad quid? ad fidem. & quæ illa fides? quæ nihil scire satagit, quam Iesum, quantumvis crucifixum. Vocatos ad fidem justos pronunciare decrevit. at cujus merito? cujus pretio? luentis pro nobis & satisfacientis Christi. Iustificatos sanctificare decrevit. per quem? per Spiritum sanctum. at cujus est hunc dare? filii sedentis ad dextram Patris. at qui sedeat ad dextram Patris? nisi per passiones intret in regnum cœlorum. *Oportebat Iesum pati & sic intrare in gloriam suam.* Sanctos immortalitate donare in cœlis decrevit. ob quem? ob crucifixum, qui factus est potentia ad salutem cuivis credenti. Emicuere hæc arcana in typis & umbris. Serpens insidiatus calcaneo seminis fœminini, figuram exhibet Diaboli, antiqui serpentis, insidiantis semini promisso, quod Christus est. Et quis Melchisedecus iste fuit, sacerdos altissimi? Christus. perhibente Paulo ad Hebræos. & quod officium sacerdotis? offerre victimas Deo, qualem se Christus patiens Patri obtulit. Quis Iosephus iste falsis criminibus impetitus & venditus? Iesus est, accusatus à Iudæis, & à discipulo venditus. Quis

iſte agnus Paſchalis? *Paſcha pro nobis immolatum eſt Chriſtus.* Quid enim? ſine macula & labe fuit agnus iſte. fuit & ſine peccati macula Ieſus. agnus ex grege fuit, Ieſus homo ex hominibus. Agnus mactari debuit. etiam mactatus Ieſus eſt. agnum ſine fermento comedi oportuit. & Ieſum panem vitæ ſine hypocriſi. Agnus corpori alimoniam dedit. Ieſus animæ. agnus à ſtantibus & proficiſcentibus comedebatur. nec Ieſu Chriſto fruitur paſciturque fides noſtra, niſi accincti ad iter cœleſte ſimus. non frangi debuerunt oſſa agno typico. nec fracta fuerunt Chriſto. quibus poſtes agni ſanguine adſperſi fuere, evaſere manum percuſſoris Angeli. etiam Chriſti ſanguine aſperſi quotquot ſunt, evaſere mortis æternæ pericula. Tot victimarum, pecudum, boum, ovium lanienæ, tot ablutionum & purgationum genera & formæ, nonne præludia fuere & ſigna & imagines ablutionis peccatorum & redemptionis noſtræ per Chriſti ſanguinem? & quis iſte vitulus, qui extra caſtra immolabatur? Ieſus extra Solymam immolatus. Iam ſerpens æneus in deſerto exaltatus, nonne umbra fuit Chriſti in cruce exaltati? ipſe interpres Chriſtus eſt: *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportuit filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ionas in ventre ceti triduum latens perſonam geſſit morientis & triduum in ſepulchro jacentis Chriſti. Perhibent idem tot prophetarum vaticinia & cœleſti afflatu proditæ voces. Scire hæc oportet Chriſtianos, ut quantis fundamentis innitatur religio noſtra liquido perſpiciatis. Et utinam hæc audiretis Iudæi, qui Meſſiam expectatis curribus, equis, elephantis, armatis copiis, incen-

incendiis, cæde terribilem & ad Syriæ regnum violenter grassantem. promissus est patiens & moriturus. Esaiæ verba sunt de Messia loquentis: *non clamabit, neque audietur vox ejus foris. calamum quassatum non conteret, linum fumigans non extinguet.* Talis fuit Iesus patiens. siluit coram judice, nec clamavit. Latronem, calamum tot sceleribus quassatum, in cruce servavit, & pro fumigantibus odio & crudelitate Iudæis oravit. De Messia idem pronuntiat: *Spiritus Domini super me, ut prædicem annum placabilem Domino, & diem ultimum Deo nostro, ut consoler omnes lugentes, & dem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Patientis hæc Iesu officia sunt. placabilis fuit, nec enim se ultus est. filias Ierusalem consolatus est ad supplicium abiens, coronam matri dedit pro cinere, cum discipuli sui curæ illam moriens commendaret. Petro oleum gaudii dedit pro luctu, cum oculis in misericordiam flexis ipsum adspectaret. Et quis ille *lapis angularis & pretiosus, quem reprobaverunt ædificantes?* Iesus est, quem in crucem sustulere Iudæi. Heli morituro dicit Deus: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam faciet.* quis ille? Iesus sacerdos, a quo Deo complacitum fuit. At quale hujus Sacerdotis sacrificium? Dicit alibi: *sacrificate sacrificium justitiæ.* at quod hoc? corpus Christi est, quod traditum est pro nobis in mortem. Eundem flagellatum, despectum, percussum nec repugnantem ob oculos ponit Prophetarum gravissimus: *Non est ei, inquit, species & decor. Vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem*

infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est ob iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis super eum, & livore ejus sanati sumus. oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suum. His consona loquitur Iessæus: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicuti mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. quoniam in Te, Domine, speravi.* Et alibi: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nonne hæc ipsissima Pilati vox est: *Ecce homo.* Iterum ad filium Amos provoco: *Ego autem non contradico, retrorsum non abii. corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Iam lachrymantem Ieremiam audite: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: in umbra tua vivemus in gentibus. Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis.* De flagris regius Propheta loquitur: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* De victima, de morte, de cruce, de Pharisæorum instituto, Ieremias verba facit: *Tu autem Domine demonstrasti mihi & cognovi, tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes:*

mitta-

mittamus lignum in panem ejus, & eruamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. De Regis Messiæ paupertate vaticinatus est Michæas: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & servator, ipse pauper & ascendens super asinum & super pullum filium asinæ.* Talis Solymam ingressus est Iesus. Coactus est puer fugere in Ægyptum, quod passionis auspicium fuit. at prædixerat illud Oseas: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Cum caperetur, desertus est à discipulis. Sed non siluit hoc Zacharias: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* non siluit David: *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Petrum pejerantem & execrantem designat. Proditus est à conviva & discipulo. sed & illud fatidicus Rex in psalmis cecinit: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si quis me oderat, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo* (hic Iudas est) *unanimis, dux meus & notus meus.* Ducem vocat, quia cura rerum gerendarum illi commissa erat. at clarius: *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* & rursum: *Amici & proximi mei adversus me appropinquaverunt & steterunt. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* potuit ne molliora loqui Iscariotes, cum diceret: *Ave Rabbi?* Stipulatus est Iudas triginta argenteos, quibus emptus ager ad sepulturam pauperum. Sed utrumque in oraculis Zachariæ legitur: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt ex filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli.* Conjuratum in Iesu caput à Pontificibus, Scri-

bis, primoribus populi. At in hæc invectus ante fuit David: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. adstiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum adversus Dominum & Christum ejus.* Quæ fremuere gentes, milites Romani sunt, qui in unum convenerunt principes adversus Christum, primores populi & principes sacerdotum fuere. qui reges adstitere, Herodes Rex fuit & Pilatus Iudææ præfectus. Ligatus est Iesus, sed ob hoc comminatus est populo suo Esaias: *Væ animæ ipsorum, quia cogitaverunt cogitationes pessimas adversus seipsos, dicentes: alligemus justum, quia inutilis est nobis.* Ductus est in judicium, velut reus, at dixit & hoc Esaias: *Dominus in judicium veniet cum senioribus populi sui & principibus ejus.* Eorum adversus Messiam machinationes, exprobrationes, sessiones primas, secundas, tertias, deplorat Ieremias: *Vidisti Domine omnem furorem eorum adversus me. audisti opprobria eorum & cogitationes adversus me, labia insurgentium mihi & meditationes adversus me tota die, sessionem & surrectionem eorum vidi.* Pependit in ligno maledictus pro nobis. at hoc prædictum à Mose: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Conspicati sunt pendentem in cruce, qui vitam dabat omnibus, & non crediderunt illi. sed & hoc prævidit Moses: *Et erit vita tua pendens coram oculis tuis. timebis nocte ac die & non credes vitæ tuæ.* Viderunt pendentem inter iniquos, & non credunt Esaiæ dicenti: *cum iniquis deputatus est.* riserunt pendentem, & non crediderunt. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt caput.* Tenebræ operuerunt terras, illo patiente circa meridiem, qui lux erat mundi. prædixit hoc Amos:

mos: *Occidet Sol meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* & Zacharias: *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu; & erit dies una nota Domino.* Erat hic dies crucifixionis Christi, notus Domino, non Iudæo. Pendente in cruce porrectum est acetum. at dictum hoc Davidi: *Dederunt in escam meam fel, & in siti potaverunt me aceto.* clavis affixus est cruci, distentus manibus pedibusque. prophetia hæc est: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt ossa mea.* partiti sunt milites vestes & miserunt sortem super una. at hæc Davidis verba fuere. moriturus jam dixit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. prædixit David: *Speravit in Domino, salvum faciet eum, quoniam vult eum.* oravit pro mortis suæ autoribus. sed fecerat idem in typo David: *pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* Sepultus fuit, & lapide clausum sepulchrum. Non tacuere hoc prophetæ, *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* & alius, *Non derelinques animam meam in inferno, nec sines sanctum tuum videre corruptionem.* Conditus est in sepulchro sub vesperam & Sabbatho requievit. nec hoc indictum prophetæ: *A conspectu iniquitatis ablatus est justus, & erit in pace locus ejus.* Toto passionis circulo, simplicitate vicit astutiam Sathanæ & mundi, mansuetudine superavit ferociam, humilitate inanis gloriæ typhum, comitate superbiam, infirmitate potentiam. nec tacuit hoc Habacuc: *Splendor ejus ut lux erit. cornua in manibus ejus. ante faciem ejus ibit mors. egredietur Diabolus ante pedes ejus.* quæ illa cornua in manibus? crucis sunt extrema? quibus mundi hujus principem oppressit. ubi illa forti-

tudo abſcondita? in cruce, in qua latuit divinitatis potentia. En Meſſiam tuum, Iſraël, in quo typi omnes & figuræ legis, in quo vaticiniorum tam denſa nubes ſe explicuit. Ignoſce, ſi cum Meſſia dicam: *aures habetis ad audiendum & non auditis, oculos ad videndum, & non videtis, cor ad intelligendum & non intelligitis.*

Sed miſſo Iſraële, cujus oculis etiam in hunc diem incumbit velamen Moſis, ne videant in finem legis, ad me & ad vos revertar A. C. Ego, quo me, hac rerum facie, pendente & moriente in cruce Ieſu, vertam peccator neſcio. Terret me lex, quæ maledictum me pronunciat, quia non manſi in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Terret me peccatum, quia ſtipendium ejus eſt mors. terret mors, quia in æternam me trudit. terret me conſcia mens, quia tot me tranſgreſſionum redarguit. terret Sathanas, ſub quo captivus ſum. Quo me recipiam miſer, quæ ſpes. quæ ſalus miſero mihi denique reſtat? quo me recipiam deſperabundus? nam nec apud ſuperos uſquam locus, nec apud inferos. Ibo ad Deum Patrem? at hunc peccatis offendi. ibo ad Spiritum ejus ſanctum? at hic non audit peccatorem, niſi reconciliatum Patri. ego reus loquor. Implorabo Angelorum gratiam? at hi mori neſciunt. mihi moriendum eſt, nam peccavi. Invocabo cœlos, & tot creaturarum clementiam? at peccavi homo, exedundum mihi homini eſt, quod intrivi homo. Periimus, periimus miſeri. conclamata res eſt. montes cadite ſupra nos, colles obruite nos ab aſpectu & vultu irati & ultoris Dei. Vincula mortis circumdederunt me, in mortis umbra ambulo, flagellor intus ſcelerum furiis. Deus noſter, Deus noſter, quare dereliquiſti

nos?

nos? quare? perditio mea ex me eſt, culpa mea eſt, prævaricatio mea eſt. Cur triſtis es anima mea ad mortem? Crux in oculis eſt. ſalva res eſt. Ad te Ieſu pendentem confugio. te intentis oculis vadem & ſponſorem meum intueor. abſit mihi lætari & *gloriari, niſi in cruce tua, per quam mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* Ieſu Chriſte, ut caput habes inclinatum ad oſculandum me; ut cervicem inflectis, ad proſequendum me; ut moribundis me ocellis adſpicis, ad ſervandum me; ut manus extendis, ad invitandum me; ut brachia exporrigis ad amplexandum me; ut ſanguinem fundis, ad redimendum me; ut vulnera oſtentas, ad ſanandum me; ut pedes fixos torques, ad ſuccurrendum mihi. ut totus pendes in ſolatium meum, in redemptionem meam, in ſalutem meam. Tua crux miſericordiæ divinæ & juſtitiæ conciliatio eſt. Tua crux Patris placatio eſt, & mea propitiatio. Tua crux reſtaurat per hominem, quod ſubverterat homo. Tua crux & gratiæ ſpectaculum eſt, & pœnæ: & maledictionis & benedictionis; & doloris & amoris: & ignominiæ & gloriæ: & mortis & vitæ. Ad eandem crucem ſuſpirant animæ piorum & gaudent, cadunt & ſurgunt, vident languores ſuos & medelam inveniunt. Ab eadem cruce fluunt amaritudines peccatorum noſtrorum & dilectionis divinæ fontes uberrimi & ſuaviſſimi. In eadem cruce rubent tranſgreſſiones noſtræ, inſtar ſanguinis & coralii. in eadem cruce nive candidiores redduntur. Per eandem crucem deſcendo ad inferos peccati reus. per eandem crucem adſcendo in cœlos à peccato indemnis. Ex eadem cruce pendent chirographa omnium noſtrûm, de non ſolvendo. Ex eadem cruce pendent codicilli ve-

niales de spondendo. Quid obmurmuras impietas? quid dubitatis de tota re incredulæ mentes? At non negat Iesum passum Iudæus, non negat gentilis. ille, quia se occidisse fatetur. hic, quia suspensum è cruce vidit. adsunt testes Euangelistæ quatuor, quibus in tanta veritatis luce, à Iudæis Christiani nominis hostibus nunquam scripto contradictum est. adest testis Dionysius Areopagita, qui Christo patiente, in hæc verba erupit: aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina laborat. testis est Phlegon Trallianus, Adriani Imperatoris libertus, qui quo tempore crucifixus est Iesus, eclipsin illam præter naturæ ordinem notavit. Asserunt idem ex gentilium commentariis Eusebius, & Lucianus Antiochenus presbyter, ad Iudices inquit: Scrutemini annales vestros, videbitis tempore Pilati cessasse lucem media die, & fugatum solem, dum Christus pateretur. Ad eosdem libros ablegat Tertullianus Ethnicos in Apologetico suo adversus gentes. In tanto testium veritatis numero ecquis ambigat, quin *fidelis sit sermo, & omni acceptione dignus, Christum venisse in hunc mundum, ut peccatores salvos faceret.*

Quare accedite ad crucem Christi peccatores, sive ex Agare serva, sive ex Sara libera nati. Quid rependemus Domino pro tot beneficiis? pro hoc misericordiæ & gratiæ exemplo. Vnum petit crucifixus, ne peccemus amplius. *Mortuus est semel, ut nos peccato moriamur in perpetuum. Et vetus noster homo cum eo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne posthac serviamus peccato.* Qui faxit, iterum Iesum in vincula reposcit, iterum flagellat, conspuit, & ridet, iterum cruci affigit. quot animam polluimus peccatis, tot clavis transfigimus denuò

manus

manus pedesque; tot ictibus percutitur illi caput; tot spinis pungitur; tot vulneribus laceramus filium Dei; toties perforamus innoxium latus, tot sudorum, tot sanguinis, tot lachrymarum fluvios extundimus Servatori nostro. Illudit liberatori suo, qui se hosti iterum devovet. frustra sanguine Christi mundamur à peccato, si ut immunda sus, ad volutabrum redimus. Exite mecum è circulo peccatorum, dum circulum passionis & miseriarum Christi decurrimus. Audes, quisquis es regum, principumque, vincire innocentem, cum hæc innocentis Iesu vincula cogitas? Audes conspuere vultum proximi & floccifacere minorem, cum miserandos vultus crucifixi vides? Audes verticem inferre cœlo, cum impositam capiti coronam spineam spectas? Audes illudere Deo, cum illudentes Christo servos intueris? Audes flagellis discerpere testes mortis Christi, & in membra ejus sævire, qui in ipsum caput indigne ferociisti? Audes oculis usurpare mundi ineptias, cum mortis umbra involvi oculos Iesu adspicis? Audes auscultare sugillantibus Christum, cum languidas morientis aures cernis, ne te sugillet Sathanas? Audes extensa manu latrocinari, cum manus istas extensas respicis ad salutem tuam? Audes sacrilegus esse, & manus polluere rapto, cum perfossas & sanguine aspersas manus meditaris? Audes mendax & adulator effrene os recludere, cum ad silentem coram judice Iesum advertis, ne tuum crimen proderet? Audes intemperans gulæ delicias facere, cum acetum biberit Iesus, ne austeritatem divini furoris gustares tu? Quid vulneribus gloriaris miles? Hæc vulnera supputa,

quæ

quæ te salvum præstabunt integrumque. Quid latus hauris ense per temeritatem? hebescet tibi ensis, & mucro, ad transfixum lancea latus. Quid acceleras pedes, ut noceas? stant immobiles Christo pedes, ut prosint tibi. Sanguinem fundis? ille in cruce pro te fusus est, ne tu sanguinem funderes. Qui sceptra aliorum rapitis, qui purpurati in soliis sedetis, ad chlamydem Christi respicite, ad arundinem, quam pro sceptro gessit. irradiet majestatem vestram Iesu humilitas, & splendebitis magis. interstinguite titulos vestros vocibus cruci inscriptis, & vera nobilitate fulgebitis.

Agite omnes, & gressus accelerate ad eandem crucem, in qua pendet. sarcinas peccatorum suorum quisque ex hac suspendat, hic excutiat, hic deponat; ut omnium remissionem impetret. affigite cruci omnes criminum formas, ut cum ipso moriantur. Hæc cum fecerimus, adscendite mecum in crucem latronis pœnitentis, & peccata confitemini, ut & nos audiamus clementissimam vocem: *Hodie mecum eritis in Paradiso.* Nondum dimitto vos. iterum adscendite in crucem Christi, & osculamini filium, traditum pro vobis in mortem. tangite caput salutiferum, tangite manus medicas generis humani, tangite os pacificum, tangite latus vivificum, tangite sanguinem preciosissimum, tangite pedes officiosissimos. Adspicite intenti longitudinem, latitudinem, profunditatem, sublimitatem crucis Christi. Longitudinem, quæ tanta est, quantum à peccato distat gratia. Latitudinem, quæ tanta est, quantum est intervallum inter merita Christi, & nostra debita. Profunditatem,

tem, quæ tanta est, quanta est immensitas amoris Christi erga nos. Sublimitatem, quæ tanta est, quanta est sublimitas misericordiæ, favoris, benevolentiæ, bonitatis, clementiæ, charitatis, dilectionis divinæ. Non loquor poëtarum commenta. docuit me ista verba loqui omnium Apostolorum disertissimus, ea periodo, qua nulla numerosior, nulla sanctior, nulla efficacior, nulla divinior est in toto Scripturæ à capite ad calcem contextu. Periodus hæc est: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus, in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere, cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profunditas, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

Vos jam alloquar, quibus atria & cubilia fulgent tapetis, proavûm imaginibus, armis, sclopetis, clypeis, hastis, vexillis, navibus. alia ornamenta, alium fulgorem à cruce Christi petite. Vbi majorum pendent vultus, suspendite juxta vultum morientis Iesu, ut partam sæpe scelere nobilitatem hac sceua redimatis. Vbi Cæsares suspensos videtis, suspendite animo Iesu orantem pro vobis, lachrymantem pro vobis, sudantem pro vobis. Vbi insignia gentis vestræ pendent, suspendite juxta ligatum, percussum, flagellatum Iesum, & præ his insignibus sordebunt stantes in curribus Æmiliani. Vbi tapeta & Serum vellera splendent, ubi vestes coccinum & purpu-

ram

ram bibunt, bibant purpuram sanguinis Christi, stillantem è vulneribus ejus. Vbi vatum fabulas & figmenta suspenditis, Prometheos, Tantalos, Ixionas, Sisyphos, suspendite potius pendentem inter latrones Iesum. Vbi spurcos amores exhibent tabulæ, spectentur flentes Mariæ & Magdalenæ. Vbi tot artis documenta afficiunt oculos, afficiant animos nostros tot charitatis Dei erga nos documenta, quæ in cruce explicuit sospitator noster. Adspicite hæc, non in tabellis solum, sed assidua piæ mentis meditatione. Adspicite, sine adoratione & veneratione, sed non sine correctione & emendatione. Et vos elegantiæ omnis & nitoris studiosæ matres, quæ domos vestras ut cœlos habetis, qui suppellectilem duplicatis, non ad usum, sed luxum; quæ speculis, cortinis, aulæis, pulvinaribus, lucernis, conopeis, purpurissis, Soli fulgorem suum exprobratis: quæ inauribus, calamistris, pectine, torquibus, gemmis, armillis, Cleopatræ estis, aliam vobis supellectilem comparate. Pro speculo animæ vestræ, sit crux Christi, speculum peccati, speculum pœnæ, speculum redemptionis. pro calamistris sit corona spinea. pro torquibus & armillis vincula & catenæ, quibus vinctus est pro vobis. clavos, malleos, virgas, quæ percusserunt innocentem, pectines vestros esse cogitate, quibus non luxuriantem per colla, per humeros capillum, sed cordis vestri sordes purgabitis. Etenim, simulachrum rei, cogitatio est. cum illa sacra est, sacra etiam hæc est. Hæc cum sacra est, non potest non cogitatio sancta, efficax esse incitamentum ad pietatis virtutisque studia. Dico verissima. intellectus fit omne il-
lud,

lud, quod intelligit, non reapse, sed repræsentatione. Crucem cogitate, crux est. clavos crucis cogitate, mens clavus est. vulnera Christi, vulnus est, sanguinem, sanguis est, similitudine, non re. Iam, impetratam per sanguinem Christi vulnerati & crucifixi peccatorum remissionem cogitate? Ecce, mens peccatrix per sanguinem Christi se purgatam videt & gaudet. Cum talis est mens, cum hæc volvit frequenter, cum attendit pia devotione, audacter loquor, impossibile est peccare illum, ista qui cogitat, quia ex Deo est.

Iam vos accedite ad crucem Christi, qui afflictum, ægrum, mutilum, vel morbis vel martyrio corpusculum trahitis. Passus est pro vobis, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit. Adspicite in cruce pontificem vestrum, qui lachrymis suis, suspiriis suis, precibus suis, cum clamore valido, verberibus, flagris, crucis doloribus, didicit vobis condolere. ingemiscitis vos? ingemuit prior. fletis? flevit. suspiratis? suspiravit. doletis? doluit plus. Qui lapidibus obtereris, Stephane protomartyr, Christo te solare, qui tot calamitatibus, velut lapidum segete, obtritus fuit. Qui clavis terræ affigeris, Matthæe Apostole, Iesu tuo te solare, qui cruci clavis affixus hæsit. Qui funibus traheris & distraheris, Marce Euangelista, Iesum intuere funibus vinctum tractumque. Qui veritatem Euangelicam sanguine tuo obsignasti, Luca Euangelista, in magnum hunc veritatis testem oculos converte. Et tu dilecte Iesu Christo, Iohannes, cum in Pathmum exul relegaris, cogita, ante te in Ægypto exulasse Dominum tuum. Cum cruci affigeris, Petre, inversus

versus, pro solatio putasti vel ipsa crucis forma differre à Servatore tuo. Cum cæderis, cum capite mulctaris, Paule, *reliquias adimples passionum Christi*, *& stigmata Domini Iesu in corpore tuo portas.* Sed melius tecum agi sentis, quam cum Christo crudeliter crucifixo. Cum excoriaris, Bartholomæe, fers patienter, quia vibicibus & flagellis discerptum Mediatorem secutus es. Quibus oculos tyranni effodiunt, oculis se solentur exspirantis Iesu. quibus manus præscindunt, manus istas perforatas fide exosculentur. quibus linguam eximit furor mundi, pudor non sit silere, nam siluit reus pro nobis Christus. Quos flammæ ustulant vivos, flammis amoris erga crucifixum toti exardescant. Quos aquæ suffocant, rivis lachrymarum Christi reviviscant. Discant omnes obedientiam, sicut ille ex iis quæ passus est didicit. Postremum, vos adeste, quotquot fallaci mercatura, velut triginta siclis, Dominum venditis. Ne credite siclos Iudaicos periisse. tinniunt indies in ærariis vestris. nec mercantes solum, sed quemlibet peccantem exercet sceleratum hoc Iudæ peculium. Dicam vobis inscriptiones singulorum siclorum, ne credatis me falsum dicere. Primus siclus Impietas inscribitur. illorum est siclus, qui vendundis emendisque mercimoniis Deum non timent. Secundus blanditiæ sunt & dulciloquia, quibus velut osculo salutamus ementem, ut fallamus. Tertius mendacium est. illum siclum omnes officinæ habent, quoties mendacio extrudunt minus vendibiles merces. Quartus astutia est, cujus malis artibus mercium precia surgunt caduntque. Quintus fraus est, qua silemus rei venditæ vitium. Sextus stoliditas est, qua felicita-

citatem pecuniis æstimamus. Septimus arrogantia est, qua præstare putamus nos, ob hoc, quod siclis abundamus. Octavus invidiæ siclus est; quando dolemus, quod locupletiores sicli sint aliis. Nonus malitiæ est, qua depreciamus merces alterius, quantumvis optimas. Decimus temeritas est, quæ siclos ab inferis petitum abit, quæ per glaciem, per iratum & procellosum mare, per saxa, per ignes navigat, siclorum amore. Vndecimus luxuriæ est, cum siclos absorbet voluptatum ingluvies. Duodecimus ebrietatis est, quæ siclos pleno auro proluit & spumantibus pateris exhaurit. Decimus tertius gulæ est, quæ siclos Sybariticis mensis vorat. Decimusquartus perfidia est, quæ cum Domino suo & amico convivatur, quem in animo habet prodere. Decimusquintus Simonia est, quæ pontificatum emit pecunia & ære licitat sacra munia. Decimussextus schismatis est studium, cujus nullum apparuit vestigium in Christi tunica. Decimusseptimus calumniæ est, quæ hæresin & falsa dogmata affricat Christi membris, à quibus alienissima sunt. Decimusoctavus vindictæ est, quæ siclis latrones nocendique artifices in innocentium pernitiem redimit. Decimus & nonus regnandi sitis est, quæ siclos, plus quam triginta, impendit, ut vastitatem faciat, & Europam omnem manifestæ objiciat lanienæ. Vigesimus pertinaciæ est, quæ erroribus receptis mordicus inhæret, quia ad comparandos siclos utiles sunt. Vicesimus primus ignorantia est, quæ Dominum gloriæ & imitatores ejus crucifigit vel affligit, quia nescit, quid faciat. Vicesimus secundus luxus est, qui siclos publicos in res nihili absumit.

Ter-

Tertius supra vigesimum exlex militia est, quæ vestimenta Christi prædam habet, quæ per nefas abstulit. Vigesimus quartus injustitia est, quæ alteri suum nescit dare. Vigesimus quintus crudelitas est, quæ tunc maxima est, cum miseris, cum captivis illudit. Vigesimus sextus hypocrisis est, quæ sanctimoniæ specie vestem discindit & peccandi sibi commeatum facit. Vigesimus septimus est timor Cæsaris, ne siclis ejus & gratia excidamus. Vigesimus octavus præsidentia est, qua Petri nobis & petræ videmur, & ad primum levioris periculi insultum, Dominum negamus. Vigesimus nonus impœnitentia est, cum ne quidem cruci affixos & in ipso agone mortis positos, peccatorum pœnitet. Trigesimus avaritia est, in cujus margine scriptum, Avaritia hunc nummum excudit. Non fabulor A. res seria est. mundus pro foro est. omnes mercatorem agimus. est aliquid vitiorum singulis, super quo contrahimus libenter. sicli parabolici sunt, quibus Dominum & virtutes, quas nos docuit, vendimus sacerdotibus & populi primoribus, hoc est Sathanæ, carni, mundo. Hi sicli sunt, quibus fallimus & fallimur ipsi. Reddamus siclos sacerdotibus. avaritiæ suum, nam pessima sacerdos est, fraudi suum, mendacio suum, hypocrisi suum, nam Pharisæorum & Scribarum filia est, singulos singulis vitiis, quorum nominibus valent. Ita crux Christi vobis & mihi recuperatæ salutis erit authoramentum, & sanctioris vitæ exemplum & argumentum. Denique, ut postrema verba loquar, A. C. mecum Iesum Christum in cruce expirantem, non lignum, ita affamini:

Iesu Christe, tuas humilis prosternor ad aras,
Et veneror mortis celsa theatra tua.
Tu pateris, sed culpa mea est: tu criminis expers
Supplicii pendis tristia fata mei.
Se peragit natura ream. tu victima luges.
Alterius scelus est alteriusque dolor.
Nomina debemus. sed tu vadimonia praestas,
Nostraque sat facilis debita sponsor habes.
Dextra tibi perfossa riget; mea sola scelesta est.
Nec sentit poenam noxia dextra suam.
Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat.
Debentur lateri vulnus & hasta meo.
Improbus immiti linguam tibi lavit aceto
Miles. at hac nostram proluat unda sitim.
Spinea regalem tibi cingit adorea frontem.
At pudor humani nominis illa fuit.
Cur secat immerita tergus vibice flagellum?
Et cruor è sacro corpore fusus abit?
Hoc tergus Iudae feri. mea perfida vita est.
Perfida mens, studiis perfida lingua suis.
Exspuit in sacros vultus sceleratus Apella.
Conspue me: vultus gloria nulla mei est.
Heu, strinxere tuas adamantina vincula palmas,
Brachia erant vinclis nostra liganda tuis.
Quid captive gemis? damnati carceris umbra
Me tegat & fraudes abdat opaca meas.
Latro datur socius, miti lupus imminet agno.
Et numerum impietas cum pietate facit.
Iste latro collega mihi consorsque malorum est.
Talis ego merui parte sedere chori.
Iudicis ipse tui toties absolveris ore.
Sum sceleris judex testis & ipse mei.
Heu miser, infamis libras mala pondera ligni,
Et proprii portas busta futura rogi.
Me grave lassat onus, vitiis succumbere doctus
Debebam merita succubuisse cruci.

Christe,

Christe, quid exanimi ducis suspiria planctu?
Verberat & patrios mœsta querela lares?
Me Me; adsum, qui feci, in me converte furoris
Fulmina, me media desere morte Pater.
Quid pia, quid moriens claudis tua lumina, Iesu.
Sola fuit sonti hæc debita pœna mihi.
Crux salve veneranda. mei medicina doloris,
Spes mea, peccantum portus & ara precum.
Præsidium miseris, fidei tutela labantis,
Vnica Christiadum gloria, vita, salus.
Hoc merito nos, Christe, beas, altare, sacerdos,
Victima. cuncta unus, jam minor ipse Deo es.
Ora tibi prono pendent proclivia vultu:
Oscula vis populo figere blanda tuo.
Sunt expansa tibi totum amplexantia mundum
Brachia, & hic speciem gestus amantis habet.
Dextera Iudæos invitat, at altera gentes.
Sic moriens cunctos vivere, Christe, cupis.
Destillat madidis lachrymarum flumen ocellis,
Abluat ut lachrymas flebilis unda meas.
Et qui fœda lavat peccantis crimina mundi,
Sanguinis ex isto corpore rivus abit.
Gaudia nostra dolor peperitque infamia famam.
Et mea captivus libera colla facis.
Quæ te flagra premunt, flagris me absolvere possunt.
Et ne cadat homo, caderis ipse Deus.
Cingit spina caput. sed, quæ marcescere nescit,
Facta meo capiti spina corona fuit.
Gestat arundineum regalis dextera sceptrum.
Ne desint titulis sceptra futura meis.
Desereris, ne me pereuntem deserat æther.
Et tua sit quæstus meta querela mei.
Mors tua vita mihi est, atque isto funere pascor.
Quemque tibi rapiunt, dant mihi fata diem.
Cur timeam? fidei una mea fiducia crux est.
Cur timeam? rigidas crux fugat una minas.

Cur peccem? tanti Sponsoris morte redemptus.
Cur peccem? gemitus cum subit hora tui.
Hæc facies, hæc mœsta Dei pendentis imago,
Nec nos peccantes, nec sinit esse reos.

D I X I.


Recitata fuit in Illustri Amstelodamensium Gymnasio, 25 Mart. 1641.

Ad Illustrissimum Principem

FREDERICUM HENRICUM,

Principem Auriacum, Comitem Nassaviæ, &c. Gubernatorem Gelriæ, Hollandiæ, West-Frisiæ, &c.

GRATULATIO PANEGYRICA.



Illustrissime Princeps:

Facit contemplatio, sensusque publicæ felicitatis, ut quos honores divinis pariter & humanis consiliis summos adeptus es, Tibi gratulari audeam, ea oratione, quæ nulli nostratium invidiosa, exterorum nullis, præterquam hostibus, ingrata esse potest. Uti enim ad hoc maximæ dignitatis & imperii fastigium, non ambitio Te, aut luxuriantis fortunæ cœcus favor, sed perspecta Belgarum populo virtus, animique fortitudo, & gentis Auriacæ ingentia merita evexerunt; ita nulli grave esse potest tanti nominis tui incrementum, nisi cui expedit sine rectore esse avitæ libertatis vindicem Rempublicam. Etenim post noctem, quam pene supremam habuimus, defuncto fratre Principe, novum sidus illuxisti, cujus ortus, quasi novi Solis, lucem caliganti patriæ reddidit, & publici mœroris invisam

tempestatem subita serenitate discussit. Ut dubium sit, utrum major fuerit conceptus ex morte Invictissimi Herois dolor, an ex hisce imperii tui auspiciis commune gaudium. Certe paria sint oportet. Nec dispar esse potest occidentis & nascentis virtutis æstimatio. Et ita nobiscum comparatum est, ut quorum bonorum jactura dolemus quam maxime, eorum accessione, quum summa illa sint, gaudeamus non minus. Quantum enim in Fratre amisisse nos fatemur, tantum in Te recuperasse certa animi fiducia credimus. Et si sub illo floruit inclytum Fœderati Belgii imperium, sub Te, quam adeptum est securitatem, & gloriam, porro inviolatam conservabit. Non poterant profecto Potentissimi Fœderati Belgii Ordines sapientius tantarum rerum momenta moderari, nisi ut in eadem domo familiaque Imperii vires remanerent, cujus nomen colere venerarique assuevimus, & in qua salutis ac præsidii nostri firmamentum ac robur omne fato quodam repositum fuisse videtur. Fuit illa Nassaviorum domus, cœlitus delapsa progenies ad Imperia Belgarum; quæ primum Belgio universo Præfectum dedit Engelbertum Nassavium propatruum tuum, cujus ductu quum res maximas in Gallia Flandriaque gessisset Cæsar laudatissimus Maximilianus, florentissimis eum Belgii nationibus prefecit. Quem secutus Henricus Nassavius, Engelberti è fratre nepos, non solum potentissimo exercitui Caroli Quinti Cæsaris in Galliis dux præfuit, verum etiam Brabantiæ universæ, aliarumq; Provinciarum, ejusdem Imperatoris nomine, gubernacula tenuit. Nec minor laus fuit propatruelis tui Renati Cabilionensis, Arausionensium Principis,

Hollan-

Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque gubernatoris, qui postquam Gelriæ ducatum Caroli Cæsaris imperio adjecisset, felicissimos blandientis fortunæ successus præmatura morte finivit. Mox ad patrem tuum Gulielmum devolutus Aransiæ Principatus, & Hollandiæ, Frisiæ, ac Vltrajecti, Præfectura; in qua ita se gessit Princeps consideratissimus, ut quum se & Patriæ & Regi suo sacra fide obstrictum sciret, non prius à Rege defecerit, quam postquam ille rex esse desiisset, nec patriæ custodiam deposuerit etiam tunc, quum empti latronis metu ea defendenda esset, & magna mercede parricidis veniam fecisset regius furor. Et quanquam nulla calamitas par ejus morti ab irato Numine excogitari potuit, tamen magnitudinem rerum, quas difficillimis temporibus egit, intuentibus, credere licet, tantum Principem Deum accommodasse turbatis Patriæ rebus, ut non nisi extincta tyrannide, partaque libertate, eum origini suæ, hoc est, cœlo repeteret. Post hunc, gravissimis Hispanorum odiis ac periculis circumseptam Rempublicam, Gubernatoris titulo, assecutus est Mauritius frater, qui bellum sub Patre inchoatum tanta in rebus agendis promptitudine, celeritate ac felicitate gessit, ut hostem, qui lacessiverat prior, fractis jam ultra Herculis Liberique terminos viribus, induciarum leges accipere coëgerit. Et sane, si causam potuisset, non alium ipse belli sui Imperatorem electurus fuisse videbatur. Itaque nomen ejus & fama rerum per totum orbem diffusa, gentibus etiam exteris admirationi ac terrori fuit, & non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam superavit. Huic Principi quum successor quæreretur, non

poterat præter Te eligi alius,qui ad hanc ſpem genitus & educatus, non majores ſolum, ſed & jam nuper Patrem Fratremque tantorum muniorum conſortes habuiſti. ut quoties hos mente circunferres, toties in altero ſingularis prudentiæ, in altero fortitudinis militaris cum fortuna conjunctæ imaginem recognoſceres, & per veſtigia utriuſque decurrens, ſicuti generi, ita & magnitudini amborum ſuccederes. Vtique iſtis Ducibus ordinata primum diſciplina militaris, vireſque civitatum, non minus bellandi arte,quam virtute firmatæ; ut quibus ſtudiis imperii noſtri fundamenta jecit Pater, opes publicæ ac privatæ, bellique laudes ſub Fratre creverunt, iiſdem totius operis gloriam conſummares. Nec ſolum profecto maximorum Principum cognatione,velut honeſto quodam ſanguinis præjudicio, Reipubl. gubernaculis admotus es, verum propriis virtutibus id fieri meruiſti, quod citra ullius invidiam, omnium applauſu,veluti cœleſti oraculo,factus es. Non militari impetu ac inclinatione,quod Romanis Imper. familiare,ſed conſilio & ratione electus es; ſi modo eligi potuiſti,qui ſolus tantæ moli ſuſtinendæ idoneus ſuperfuiſti,nec tam auguſtæ gloriæ vicinum magis paremve alium habuiſti. Opus erat Milite,cujus tu partes omnes expleviſti,tum mortis,cujus metus cæteros exanimat, perpetua contemptione, tum gloriæ laudiſq; inſatiabili cupidine. Opus erat militiæ Duce, quem ita hactenus expreſſiſti, ut non niſi ſero factus videaris,nec doctrina uſuq; ſolum, ſed naturæ beneficio Imperator eſſe credaris. Opus erat rerum,quæ domi ſunt, gubernatore, quem excelſæ indolis moderatione,rara humanitate,erga cives benevolentia,& prudenti conſilio,

filio,omnibus numeris absolvis. E ludo & pueritiæ disciplina in militiæ disciplinam profectus es, & tyrocinii rudimenta sub fratris militia depofuisti, Expugnata jam tum ab eodem Gertrudisberga, validissimæ urbis Dominio simul ac Præfectura auctior, patriæ hæreditatis sortem inclyti sanguinis ac nominis fama illustrasti. Adolescens ordines & signa duxisti, & majore, quam ferebat ætas, animo hostem petiisti, non ante potens tui, quam maximi parentis manibus Hispanorum sanguine parentasses. Omnia facilius, quam moram ferre poteras. Cunctatio servilis, statim exequi militare ac regium adolescenti videbatur. In acie animus & armis erat, & victoriam jam animo præconcipiebas, si tantum ante signa & phalanges tuas stare potuisses. Quin etiam, quæ leviora haberi solent in re militari, charum te ac venerandum efficiebant, exercitatio armorum quotidiana, inter ipsos milites gregarios conversatio, vigorque militaris. Fratri perpetuus comes adhærebas, qui tot urbium victor, tot præliis superior, tot classium domitor, nunquam sine Te victor fuit, sed uti consilii periculique, ita laudis quoque & gloriæ consortem esse voluit. Ibas in hostes, ipsis cuneis immixtus, nec honestum esse ducebas de illo triumphare, quem non læsisses ipse. Leve credebas nominis tui auspiciis pugnari, nisi bellorum discrimini te offerres ipse, mucrones in ora hostium dirigeres, collato pede pugnares, ordines turbares, nec nisi prostrato hoste gradum promoveres. Ita non Ducis solum, sed & militis munia executus es; nec disciplina solum ac jussis, sed exemplo etiam & factis præivisti. Vidimus vultum ducentis in prælium milites, obsidentis urbes, fu-

gantis obsidentes, obsessos liberantis, & equites ad bellum excitantis; jam patriæ libertatem, jam hostium spolia, jam inveteratæ virtutis documenta, & immortalis gloriæ prœmia pro concione commemorantis. Ne vero major esset armorum quam prudentiæ tuæ laus, ineunte adolescentia in Concilium Status (quod vocant) adscitus, bellicas res consiliis quoque tuis moderatus fuisti, & eas sententias dixisti, quæ summam prudentiam cum summa animi excelsitate conjunctam indicarent. Peditum agmina postquam feliciter duxisses, tandem totius Belgici equitatus imperator fuisti, & maximum belli nostri robur ac septum cura tua fulcivisti. Nec poterat arctis patriæ limitibus concludi sublimis animi tui vigor. In Britanniam legatus mitteris, & initum olim cum Elizabetha fœdus restaurans, à Iacobo Rege veteris societatis subsidia facile impetras. Reversus, urbibus, propugnaculisque omnibus, quotquot in Flandrica ora Potentissimis Ordinibus parent, gubernator præficeris, & futuræ dignitatis præludia auspiciaque capis. Etenim, quum in belli Duce hæc inesse oporteat; scientiam rei militaris, animi fortitudinem, & authoritatem; quis Te scientior esse potest? qui militiæ præcepta non solum à Fratre accepisti, sed & dedisti ipse; nec quæ dedisti, ex alienis semper judiciis, sed ex propriis quoque bellis ac victoriis hausisti. Puer, vir, domi, foris, armis, consiliis, pace, bello, arte, robore, eques, pedes, terra, mari, miles, dux, vel gessisti bella, vel quæ gereres, cogitasti. Quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus, expedire, propriæ tuæ laudes sunt. Vt pedestres, ut equestres ducendæ turmæ, ne locum deserant, ne ordi-

ne ordines turbent; ut munire castra, ut ducere fossas, ut committere exercitus, ut eosdem revocare oporteat: denique quæcunque evenire in acie ac præliis possunt, omnia campestri meditatione prænovisti. Fluminum tractus, Mosæ, Vahalis, Rheni, Isalæ, Scaldis vada, profunditates & flexus, urbium, propugnaculorum, portuum situs, ac robora, aperta tibi sunt. Et, quod in Annibale laudat Livius, non minus hostium, quam tua loca explorata habes. Fortitudinem vero animi in iis perspicere licet, quæ vel cum aliis, vel sine aliis magna præclaraque egisti. Tu comite Briaulteo, aliisque Gallicæ nobilitatis Ducibus, è castris digressus, & Mendosæ insidiis circumventus, insigni fortitudine Te tuosque expedivisti, & periculi magnitudinem laudi ac commodo deputasti. Nec enim temere adversa casuum æstimat, quem fortuna subinde decepit. Tu ad Roram amnem, circumfusis undique hostibus, captus pene, capi tamen non potuisti, & cum victus videreris, verso in desperationem consilio, non sine Numine victoriam reportasti. Pugnabant utique pro te celebrati nominis fama, & illa ipsa, quam dixi, desperatio, ingens ad contemnenda pericula incitamentum. Tu obsessam à potenti Rege Brunsvicensium metropolim summis obsidionis periculis liberasti, tantaque id negotium confecisti celeritate, ut citius vicisse, quam venisse cognoscereris, ejusdemque liberationis author idem & nuncius fueris. Tu, cum ancipiti diu certamine in Flandria de summa pene rerum dimicaretur, ingens quoque tuis incitamentum fuisti, tum ad se tuendum, tum ad hostes fortiter incessendum. Tu Limburgensi agro, rigente bruma, ignes & arma intulisti, & non

magna militum manu, in ipso hostilis terræ meditullio, Erkelium oppidum expugnasti, diripuisti, incendisti. Trepidavit nuper subito cohortium tuarum adventu Brabantia, & illic militem Batavum stare obstupuit, ubi securitatis suæ & imperii sedem posuit summa Hispaniarum majestas. Et facile Nemetum terris jam pridem tristem servitutem avertisses, nisi læva fuisset iis Ducibus mens, qui blandis fœderibus circumventi, inglorii & singuli perire, quam gloriosissimi belli fortunam experiri maluerunt. Ita contemtrix illa mortis pro patria virtus latius se diffudit, quam ubi nata est; & heroicos ausus illic explicare conata fuit, ubi stirpis suæ originem ac cunabula veneratur. Adest quoque Tibi, quæ multum in bellis administrandis atque imperio militari valet, Auctoritas. Et, qualis laudatus ille Germanicus, visu & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retines, invidiam & arrogantiam effugisti. De Felicitate nihil dicam, quæ quia in potestate nostra non est, nec virtutibus accenseri meretur. Eam tibi Deus summam præstet, & destinata salubriter potentius numen exequatur. Formam imperante dignam sortitus, non animis solum, sed etiam oculis civium servis. Imperium quoties cogitas, omnem Majestatem in lubrico positam prudenter cogitas, & inter maximam & ultimam fortunam nihil interesse edoctus, illam reverenter habes. Festinationem, temeritatemque prudentia ac consiliorum freno moderaris. In omnem occasionem intentus, nec tuæ dees, nec hosti suam subministras. Sed inter has præclaras & eximias virtutes tuas, maxime tamen se ostendit Comitas illa tua, &, quam

quam à Batava gente habes, Humanitas; quæ ita in te elucet, ut ad hanc unam virtutem genuisse te videatur natura, ſtudium exercuiſſe, felicitas ſervaſſe. Ita faciles aditus ad Te privatorum, ita liberas eſſe querimonias ſinis, ut is, qui dignitate principibus excellis, facilitate par infimis videaris. Moderationem, modeſtiamque, in omni fortuna eminentia bona, propria habes, &, quod de Tito olim dictum, neminem à ſermone tuo triſtiorem dimittis. Tua quoque hæc vox eſt, quæ olim fuit Trajani laudatiſſimi Principis: *Talem præſtabo me Imperatorem meis, qualem optarem ipſe privatus.* Quæ quum ita ſint, minime fuiſſe difficilis deliberatio credenda eſt, quiſnam potiſſimum tantis rebus, hoc tanto bello præficiendus eſſet. Mihi vero memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua avorum tuorum decora circumferenti, hæc ſedet ſententia, nulla te virtute majoribus tuis minorem futurum, qui nulli dignitate, opibus, animique celſitudine es inferior. Quid? quod rerum à te geſtarum præſtantia, velut quibuſdam alis, ſublati, cogitatione & ſpe multo jam ulterius provolamus. Nec ſentit vovetque aliud Patria univerſa, quæ vota jam ſua colligit, fauſtiſque acclamationibus Gubernatorem ſuum gratulabunda excipit. Gaudent Illuſtriſſimi Potentiſſimique Fœderati Belgii Ordines, &, quam ſummam habent poteſtatem, Te imperante ac vindicante illuſtriorem habent. Gaudet Batavia, ſingulari jure tua, & ei ſe vitam dediſſe gloriatur, à quo vitam jam ſibi ſecuritatemque promittit. Gaudet Geldria, & illum ſe Ducem nactam lætatur, cujus induſtria propagatos imperii ſui fines, Rhenum, Vahalim, Moſamque ab ho-

 ſtium

ſtium incurſionibus non ſemel defenſos adſpexit. Gaudent Toxandri, & cum omnium te ducem agnoſcant, ſuum privato nomine compellant. Gaudent Trajectini, & inter Batavos ac Sicambros medii utrorumque applauſus ſuis applauſibus excipiunt. Gaudet Naſſoviorum familia omnis, & gloriæ ſuæ incrementa ex tua ſperat. Gaudet civium quiſque, quorum alii corpus, non virtutem, alii ſolum nomen patris immutatum eſſe dicunt. Omnes certatim te velut beneficum & ſalutare quoddam numen adſpiciunt, alternis judiciis ambigentes, Dominum ſalutent, an Patrem. Iam militum totiuſque exercitus applauſus quantum tui vel admirationi dediti ſint, vel charitate flagrent, teſtes ſunt. Fremitus concurſuſque omnium, neminem ſolum gratulari ſinit. Ac cæteri quidem viciniores Principes ac populi, quanta omnes animorum alacritate recentem Præfecturæ tuæ nuncium acceperint, ex eorum Legatis cognoſcere potuiſti. Academia noſtra, Reipublicæ hujus non ornamentum ſolum, ſed & fulcrum, pariter Te Patriæ ac litterarum, Martis Palladiſque tutorem veneratur. Quare capeſſe gubernacula florentiſſimarum provinciarum Princeps Illuſtriſſime, quas fama rerum geſtarum, opum affluentia, virium gloria terribiles fecit. Agitur in iis Naſſoviorum gloria, quæ tibi à majoribus cum magna in rebus aliis, tum maxima in re militari tradita eſt: agitur ſalus tot ſociorum atque amicorum, regum, principumque, qui ſuam felicitatem perniciemque à noſtra ſejungi non poſſe ſapienter vident: agitur fortuna tot optimorum civium, quibus non ſalvis & pacis ornamenta & ſubſidia belli fruſtra requires. Exempla Tibi adſunt fortiter

&

& feliciter, capiendi imperii à majoribus illis tuis, quos immensa serie Cæsaribus annectis. Eminent inter illos Adolphus, Gulielmus, Mauritius, primi ultimique conditores magnitudinis & claritudinis Nassavicæ. Adolphus vir bello maximus, plus virtuti suæ, quam fortunæ debuit, & quum omnia sua saluti publicæ devovisset, se quoque tandem devovit; docuitque posteros, difficulter possideri imperia, quæ cum potentiorum invidia possidentur. Guilielmus pater, ut cæteras ejus virtutes sileam, Lenitatem, Constantiamque, & in sævis undis tranquillum animum tibi transcribit. Vt gubernator in magna navi flectit ac regit omnia parvo motu, ipse immotus; talis ille tuus genitor, periculorum securus, fluctuantem bellorum tempestatibus Belgicæ navem. Quid Mauritius frater? vixit carus suis, metuendus hostibus, utrisque venerandus, & satur gloriæ, satur vitæ, Te non imperii modo sui, sed & virtutum suarum hæredem reliquit. Fuit in illo vis animi incredibilis, laborum patientia propemodum nimia, fortitudo inter Europæos Principes excellens, consilium par animi fortitudini, scientia rerum Mathematicarum eximia, pietas denique erga parentem insignis; quam, Philippum paternæ cædis authorem non semel justissimo bello ultus, orbi testatam fecit. Et, quæ summa numinis benignitas fuit, exspectavere eum fata, dum Oriente domito, aditoque nuper Occidente, quicquid mortalitas capiebat, nominis fama impleret. Quod si maternum genus spectare libeat, quod ex Galliæ summis Principibus deducis, hic avum intuere Casparem Colinium, Galliæ Admiralium,

magnæ authoritatis, famæ, ac fidei virum, qui cum se totum puriori religioni consecravisset, vitam sibi crudeliter eripi, quam illam, maluit. Tu succedis, & iisdem virtutibus illos reddis, quorum sanguinem præfers. Non potest non rapi ad similitudinem eorum, à quibus fluxit, excellens indoles, & simulacrum refert cœlestis animi decerpta ab iis aura. Obsequeris vocanti Te ad magna Fortunæ, sed ita, ut virtuti illam ipsam debeas. Sine hac Princeps famam magnam habere potes, non potes bonam. Non convenire cuiquam imperium ajebat Cyrus, qui non melior esset iis, quibus imperaret. Nec firmum imperium esse potest, ubi illa exulat. Vti navigantium oculi in Helicen, ita in Principes suos versæ pleræque civium mentes & oculi, non tam imperio, quam exemplo moventur. Arduum tuum munus est, & magnum, mole, cura, periculo. Bello præficeris gravissimo, sive hostem spectes, cujus potentia maxima est, sive rempublicam, quam defendi nostra aliorumque interest. Et cum alibi bella fuisse, & transisse compertum sit, hic sedisse & habitasse creduntur. Scilicet, fecit locorum oportunitas, & eorum conspiratio, qui magnitudini nostræ sunt offensi, ut consilia & arma undique Austriacorum verterentur in has partes, & nostro hoc solo certamen certaretur, pene dicam, de Europa. Venisti in medium belli discrimen, ex quo non difficulter Te expedies, si, quod facis, Deum adhibueris in consilio, & nihil magni sine illo Numine te posse credideris. Habuit olim libertas nostra hostes potentissimos Romanos, & jam Hispanos habet, gentem, uti Annæus Florus testatur, *bellatricem, viris armisque nobilem, Annibalis eruditricem.* Vtris-

Vtrisque, cum in bella truderetur, opposuit causæ æquitatem, artem militarem, & invictum animi robur. Sed per gravissimas tempestates, & bellorum procellas, in hanc temporum felicitatem enavigavit, auctaque inter arma & enses imperii potestas, fama, & opes. Tu iisdem præsidiis fretus, fortitudini animi, quæ in te summa est, consilium jungis; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre solet. Vides magnos duces plura consilio quam vi perfecisse: nec temere Diomedi socium Ithacum assignare sapientiæ patrem. Bellum Hispaniense, gravissimis causis, magno animo, felici successu susceptum, continuas, & parentis tui infandam cædem porro expiare pergis. Vtique Belgis imperas, quibus pro aris & focis fortiter mori suavius semper fuit, quam ante eos. Imperas iis, qui bellis circumsepti, nondum tamen bello lassati sunt, nec pacem se habere posse, præterquam in bello, arbitrantur. Imperas, sed magnis rerum nostrarum adjutoribus, Gallo & Britanno, quibus opitulandi necessitatem non sociorum solum amor, sed & propriæ securitatis solicitudo quam maximam imponit. Et est profecto is hostis, cum quo non de gloria aut propagandis imperii finibus pugnamus, sed de vita, & quod vita antiquius, avita libertate. Fatum quoque hoc est tuæ stirpis & domus, ut gloriæ suæ magnitudinem à miserorum tutela habeat. Dictum olim de Scipionum gente, natam eam ad Carthaginem vincendam. Ego de tua dixerim, natam eam ad sublevandos tyrannide & fœdo servitutis jugo Belgarum populos. Pacem ab hoste nec petis, ne victi videamur; nec obla-

tam respuis, ne superbi victores habeamur. Nihil enim magis decorum Principi, quam ut sciant omnes, & suscipere illum juste bella, & finire posse. Sed nullam admittes, nisi honestam & tutam. Secus non pax ea foret, sed servitutis pactio. Procerum populique hæc vox, hæc sententia est: Potius cum dignitate cadendum esse, quam cum ignominia serviendum. E militia & bello subductum Respublica vocat, sed (ignosce Patria sic loquenti) non omni ex parte beata. Tu beare eam porro non desinis, dum Religionem & Iustitiam, certissima securitatis publicæ pignora, fortiter propugnas. Vtique hæ illæ virtutes sunt, quibus Principes Deos fieri Augustus perhibebat. Illa, cum Dei Optimi Maximi munus sit, in animos imperium habet, nec à nobis divelli potest. Et cum Deo hominem, homines hominibus, hos ipsos Principi suo alliget, vincula illa dissolvi non patitur. Vnam sententia frustra exspectabis, quia suam quisque impensius amat; unam animis optare licet, quia plures Christiani sumus; quos utcunque opinio & doctorum placita dividant, cœlestium bonorum sensus communioque arctius junxisse debebat. Occurrit supplex justitia, & ad pedes tuos provoluta, se quoque laciniam vesti tuæ attexi postulat. Dum se commendat, cives suos tuosque commendat, summi, medii, infimique ordinis. Tu Curiæ ac juris summus præses unicuique suum das, ne inferiores vim patiantur, nec superiores contumeliam accipiant. Non minus enim te civibus datum arbitraris, quam tibi cives. Et sicuti sidera splendorem non habent, nisi ut usibus mortalium inserviant: ita nec tu dignitatem hanc, nisi cum officio conjunctam, habes. Iustitiæ clementiam &

leni-

lenitatem admiſces, & in hoc faſtigio non magnus magis, quam bonus audire deſideras. Amari ſiquidem à popularibus, metui ab hoſtibus, digni principis eſt. Famam, jam præſertim in theatro ejus poſitus, ſerio curas; & cum reliqui mortalium ea, quæ conducunt, maxime ſectentur, Tu præcipua rerum tuarum ad illam dirigis. Quare temporibus tuis dicendis non deerunt decora ingenia, & grata poſteritas proſperam tui memoriam circumferet. Nec minus lætus hic Inaugurationis tuæ orietur dies, & ſalutaris Belgis tuis, nec Belgis tantum, ſed & vicinis, nec vicinis tantum, ſed & longe diſſitis; etiam iis, qui adverſa nobis veſtigia prementes, alia ſidera, aliud cœlum vident. Plura dicerem, niſi apud Deos Principeſque pauco ſermone utendum ſcirem.

Faxit Deus immortalis, ſtator vindexque hujus imperii, ut quam libertatem avitam inſignis Naſſoviorum prudentia, Procerum, civium, militumque egregia virtus, & ante omnia cœleſte ipſius numen hactenus defenſavit, tutam porro inviolatamque conſerves: & Parenti fato diſpar, Fratri felicitate par, utrique animi magnitudine ſimillimus, Te officiaque tua omnia Patriæque Patrique *æternum conſecres.*

DIXI.

PANEGYRICVS,

Quo Illustrissimo & Excellent. Principi,

FREDERICO HENRICO,

Arausionensium Principi, Comiti *Nassoviæ*, &c. Hollandiæ, Zelandiæ, *&c.* Gubernatori, Supremo militiæ nostræ terra marique Duci, *&c.*

Expugnatæ fortiter SYLVÆ-DUCIS *laudem gratulatur Autor.*



Bsidionem fama clarissimam, opere, laboribusque gravem, insignem casibus, cædibus atrocem, confecisti, propitio Numine, *Princeps Illustrissime.* Præivisti victor. Subeunt victoriæ tuæ testes ac præcones plurimi, qui quam omnem ab ingenio, industria, ac eruditione impetrare possunt dicendi facultatem, tantæ rei certatim applicant. Vtique interest præsentis seculi, magnorum Ducum præclara facta grata mente recognoscere, & futuri, eadem velut ante oculos posita habere; ne aut obliterata inertia nostra virtus in vivis langueat, aut quæ imitetur, majorum exempla, desideret posteritas. Veteris ævi res gestæ suis memoratæ sunt scriptoribus. Nec fas est incuriosum esse rerum suarum ætatem nostram, tun præsertim, cum magni nobilisq; facti prodenda est memoria. Agere memoratu digna, eademque scripto consignare, laudabile creditum apud eos, apud quos virtutes æstimantur. Vbi pretium his deest, per inertiam simul

ſimul & ſilentium, cum gloriæ ſtudio, imperiorum dignitas, ipſique tandem principatus concidunt. Bellum Fœderatis populis, ſub tuo ac gentis tuæ moderamine, cum potentiſſimo Hiſpaniarum rege per annos multos fuit. Ad libertatem feliciſſimis incrementis contendimus. Inchoavit eam Gulielmus, genitor tuus. auxit ejus ſecuritatem ſupra modum Mauritius, frater, illuſtris ac beatæ memoriæ Principes. longius provehere pergis, *Frederice Henrice*. Toto belli decurſu Naſſoviorum imprimis emicuit fides, conſtantia, animique magnitudo, ut in illa ſtirpe imperii hujus robur collocaſſe videatur ſummi Numinis providentia. Vrbes munitiſſimæ victæ. acies hoſtium atrocibus præliis profligatæ. exercitus ingentibus impenſis, ſupra quam quis credat, conſcripti, majores ſemper pro magnitudine creſcentis indies imperii. Exiguæ primum vires Hollandiæ Zelandiæque potiſſimum terminis circumſcriptæ, fuere. Mox acceſſio facta Geldriæ, Tranſiſalaniæ regionis, Friſiæ partis, ac Groningæ omnis. Non tuta ab armis noſtris Brabantia, non Flandria. utriuſque oram validiſſimis præſidiis tenemus. Numero hominum opib[illegible] inferiores vicimus ordine & diſciplina, non domi ſolum, ſed & foris: non terra ſolum, ſed & mari. Poſt victum ex parte Orientem, & ereptas Luſitanis Moluccas inſulas, arma noſtra ſenſit Occidens. Adeo ſucceſſus ſuos urgere paratus populus, velut æſtu quodam & torrente fortunæ raptus in vetere ac novo orbe trophæa fixit. Bella navalia, portus Iccius, & fretum Gaditanum, inter Calpen & Abylam maxime, celebria conſpexere utrumque cis Tropicum. Omnium tamen feliciſſime nuper tuis

auſpiciis

auspiciis sub ipso Tropico navigatum,(non patitur Hispanorum vecordia,ut pugnatū dicam) cum victoriæ proemium cessit argenti, merciumque preciosissimarum immanis vis, & laceratæ momento hostium rates, Cubæ littora tabulis operuere. ut jam in ipso mari, in alio orbe victa videretur infesta terris Europęis Hispania. Induciarum non longo intervallo distinximus bellorum tempora,& data ad recipiendum spiritum partibus requies. Damnata aliquandiu nocendi studia, non causæ; pugnæ, non odia, his opertis magis, quam extinctis. Mox majoribus animis redintegrata bella, nos minore emolumento terra marique pugnavimus, usque dum exuta in Occidente regiis opibus classe Mexicana, & turbatis tanta clade hostium rationibus, tempore optimisque occasionibus usus, *Sylvam-ducis*, propugnaculum Brabantiæ validissimum, in potestatem tuam redegisti. quæ sola lacinia deerat pulcherrimæ Fœderatorum vesti. Mirum, quantum ex hac victoria roboris & dignitatis Reip. nostræ accesserit, quantum illustrissimo tuo nomini apud suos gratiæ, apud exteros famæ & auctoritatis. Infestissimæ olim Romanis fuere urbes duæ, Carthago, & Numantia. Nullę longius principem populum, nullæ gravius afflixere, consumptis tot Ducibus, exercitibus, opibus. Hæc urbs Carthago nobis & Numantia fuit. Bis irrito conatu tentata, semel solius cœli in ipsam favore, in nostros inclementia evasit; semel Alberti Archiducis prudentia,&, quæ in bellis plurimum valet, celeritate defensa fuit. Fraudibus petita sæpius, stratagemata nostrorum vel Marte, vel fraudibus elusit. Ingressi urbem sumus. intra portas, in foro ipso stetimus. nondum tamen vicimus. Fato

tunc

tunc servata urbs, ne, post tot fratris triumphos, Tibi quoque deesset futuræ gloriæ illustre argumentum. Ecce, pendet animi Europæus orbis, utrum admirabilius sit, quod illam viceris, an quod aggredi ausus fueris. Dum victam stupet, hæret iterum, quid prius in ea victoria miretur: An velocitatem, quod brevissimo tempore viceris: An operum magnitudinem, in quibus labor naturam ipsam pene vicit: An Numinis favorem, quod anni tempestates, raro hisce regionibus more, obsidenti idoneas concesserit, totoque obsidionis tempore æther velut in partibus fuerit: An felicitatem, quod spem dubiæ adhuc victoriæ erexeris altera, & Vesalia potitus nutantem belli fortunam occupaveris: An maximi Regis castra subita rerum desperatione dilapsa, & qui exercitus pares nobis habeat, momento victum. Fœderati vero Belgii Proceres, civesque tui, dum gloriosæ obsidionis momenta propius ad animum revocant, ejus gloriam publica & privata utilitate, hostiumque summis incommodis metiuntur. Nullam siquidem ex finitimis urbibus illa nocentiorem experti fuimus. Hinc in Geldriam, Hollandiam, & ipsam diœcesin Vltrajectinam factæ excursiones turbarunt quietos. In omnium latus impacta omnes afflixit, abductis trans Vahalim, Mosam, Rhenum ipsum captivis, cæsis nostrorum copiis, abactis jumentis. Non æstate ab illa, non bruma tuti fuimus. Vndique præsidiis fortissimis muniendi urbes, propugnacula, arces necessitatem nobis imposuit. Equitum peditumque sedes oportuna militem in agros nostros effuderat, priusquam venire eum sensissemus. Tuta locis & fuga ex occasione jam latrocinia, jam bella faciebat. In hoc

Numan-

Numantiæ ac Carthagini dissimilis, quod illam à Roma Alpes, hanc mare, ipsam à finibus nostris arctissimum flumen dirimat : illæ à Latio longius fuerint, hæc Sicambros Batavosque proxime contingat. Quanta vero hosti ex ea damna exspectanda sint, postquam nostrarum partium esse cœpit, inde colligunt, quod Brabantiam nobis omnem aperiat, aditumque præbeat securum in Menapios, Tungros, Eburones, Advaticos: belli discrimine Bredam Antverpiamque involvat: eodem Heusdam, Graviam, Bommeliam, Bergam ad Zomam, fluminumque commeatus liberet. Quotquot vero à rerum circumstantiis tanti belli authorem & causas infra Deum positas animo præscindere amant, tam præclari facinoris successum prudentiæ tuæ ac fortitudini, industriæ ac constantiæ, indefesso studio, animique magnitudini acceptum ferunt. quarum illam totius operis moderatricem, hanc ejusdem administram comitemque venerantur. Primum, hostium ad Occidentem immanem jacturam in lucro deputabas, & quæ inde nata fuisse in comperto erat præsidiariorum per Brabantiam, Gelriam, Flandriam murmura & querelas, ob non soluta stipendia; satis gnarus, disciplinam solvi, ac licentiam turbarum ostendi, frustratis militum desideriis. Deinde, absente Spinola, cujus ductu multa prospera ac præclara Rex gesserat, fore sciebas, ut tardius moveret Archidux Isabella, & in quem summæ rei regimen conferret ambigeret: facile Hispanorum & Belgarum æmulatione militaribus odiis fomenta præberi: periculose ex hybernis exciri militem querulum: deesse, hoc saltem tempore, quæ conscribendis novis copiis & educendo exercitui suffi-

ſufficerent. Qua rerum perturbatione utendum, & quæ caſus obtulerat, in ſapientiam vertenda ratus, urbem illam aggredi ſtatuiſti, quæ finitimarum eſſet infeſtiſſima. Obſervabas præterea, maturius te, ob advehendi commeatus commoditatem, caſtra explicare poſſe, & eo loco, ubi à vicinis urbibus fluminibuſque annonæ ſubvectationes juvarentur: Hoſtem, ſi vel maxime caſtris inſultare velit, ob pabuli inopiam non poſſe. Super hæc in Germania bello Cimbrico, in Inſubribus Gallico regias opes atteri. Nec minus occurrebant, quæ difficilem reddebant obſidionem. maximo ambitu cingendam urbem, ob circumfuſas aquas, quæ propius locari caſtra prohibebant: multo opus eſſe milite, quo & diſperſas caſtrorum partes tuearis, & obſeſſos oppugnes: paludes nihil ſtabile firmumque admittere: ob aquarum affluxum hyemem hyberna ſuſtinere non poſſe. Augebant difficultatem, præter præſidia, cives continuo bellandi uſu exercitatiſſimi, maximus in oppido rerum (ita credebatur) ad bellum apparatus, rei frumentariæ ultra quam ſatis, arces adhæc validiſſimæ, & propugnacula portis lateribuſque urbis undique objecta. quibus malis remedia jam ante quæſiveras, à milite, armis, commeatu, navibus, ærario, & Illuſt. Ordinum in tantas impenſas egregia facilitate. Cumque ingenti totius Europæ præjudicio gravaremur urbem illam vi expugnari non poſſe, ideoque in miſeriam ſimul noſtram & ignominiam, velut fato, ſervari: Tu veteris ac recentioris ævi exempla in conſilium advocando, nihil labori induſtriæque impervium eſſe, temet ipſum, jam & nos docuiſti. Atque iſta meditantem animum magnæ ſpei gloriæque ardor accendebat.

Subi-

Subibant laudatissimi fratris conatus minus prosperi, frustrata tuorum stratagemata, necdum amissæ Bredæ pudorem decoxeras. At omnium maxime heroicam mentem stimulabat patriæ amor, quam in tuto locari in confesso erat istius urbis accessione. Motis castris, præveniendum celeritate hostem judicabas, ideoque, ut falsa opinione ipsum imbueres, quidvis potius, quam de Sylvæ-Ducis obsidione suspicandi argumenta illi objecisti. Crederisque animis adversæ partis prorsus persuasisse, nihil minus te, quam quod cogitabas, cogitare. Accessit ad Prudentiam labor & industria, animique incredibilis & propositi constantia, quibus tantas res gessisti, quantas audere vix hominis, perficere (Velleji verba sunt) pene nullius, nisi Dei esset. Circumvallationis magnitudo, celeritas, robur, ac securitas parum à miraculis absuere. Insedisti paludes, fluvios stitisti, epotasti stagna & lacus, non militum numero, uti olim Medus, sed arte ac ingenio. Nec jam mirari subit, quæ de Drusi, Corbulonis, Civilis laboribus, de Carthaginis, Numantiæ, Platæarum, Alesiæ obsidionibus grandia memorant scriptores. Illic fossæ ductæ, murique duplices, quorum alter obsessos, alter exterius spectabat. vidimus & hic. Illic lacubus injecti aggeres, & hic. Illic Durias trabibus impeditus, hic glebis superaggestis Dommala, Diesa, & Aa fluvii. Illic turres erectæ, exstructa castella hic vel numero, vel mole potiora. Romani operantes simul & pugnantes castra perfecerunt viginti dierum spacio. Non majore nostri, manus ligone & ballista armati, ut pro illius officio hæc pugnaret. Maximus, qui Alesiæ fuit, ambitus in passus ivit undecies mille. Tuus hic in

passus

passus amplius tricies mille, sive milliaria Italica triginta duo, quem nullibi non, adversus externi hostis insultum, tuebantur tot tamque immania opera, quanta qui oculis non subjecere, animis concipere non possunt. Non reliquisse aditum, nisi à cœlo venturis hostibus, videbaris. Nec dubium, quin longius abiverit cura tua, dum in magnis negotiis etiam tuta timentur, & prudentia abundantes amat cautelas. Hoc circo inclusæ belli partes, urbs, exercitusque. Hæc Martis, hæc virtutis tuæ, ac tuorum area fuit. Magna hic, non aliorum modo Ducum, sed & tua etiam in promovendis operis studia apparuere. Vbique comitate & alloquio operantium officia provocabas; animos prœmiis implebas, pecunias, ingentia ad quidvis audendum incitamenta, liberalius offerebas, aggeribus vallisque spacia præscribebas, inter glebarum jactus, & ligonum motus per paludes discurrebas, incorrupto summi Ducis honore. Vbi pugnæ locus, ubi invadendæ arces, arcibusque objecta molium terrestrium repagula, pugnantibus te ostentabas, sedulo cauens; ne furore militari certæ cædi tuos objiceres: sufflaminabas bellaturientium studia, ne primo impetu retardati successus sequentium animos frangerent: satis velociter geri arbitratus, quicquid bene & caute: caram esse boni militis annonam: nec expedire, bella, quæ fama constant, à cladibus auspicium capere. Veterum etiam more, per gentes nationesque distinxisti operarum ordines ac pugnandi vices, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur clarissimi Europæ populi. Ipse periculorum omnium securus, mane,
vesperi,

vesperi, etiam intempesta nocte, modo ante ipsa signa, modo iis immixtus ibas, inter machinarum boatus, glandium igniumque jactus, in ipsis cuniculis fossisque subterraneis facienda imperans. Et quanquam non deessent, qui monerent, ne oblitus publicæ salutis unico eam fortunæ ictui exponeres; non expedire, urbem, maximi alias momenti, tanti capitis jactura redimi; tamen, ut eas voces benevolentiæ tuorum signa esse credebas, ita pari animi magnitudine æstimabas minus, affirmans non semel, absente te citius quod non facto est usus, quam quod facto est opus, fieri. Forte & generosæ menti inerrabat Alexandri Macedonis responsum: non ætatis se spatio Principes metiri, sed perennitatis: Deum, uti regna, ita & rectores impensius curare: nec tam longam ipsis, quam gloriosam vitam quærendam: nihil indignius, quam consumi eam, ubi quam maxime possit ostendi. Nec tuis castris contentus invigilare, ad aliorum stationes sæpius processisti, hic machinas amoveri jubens, hic admoveri, hic oppugnari hostem, hic defendi tuos, ut totius exercitus Imperator nullam castrorum partem curæ tuæ subduci passus fueris. Facta tua, non dicta solummodo, sequebatur miles, nec disciplinam tantum, sed etiam exemplum à te capiebat. Vt plane tanti esset exercitus, quanti Imperator. Hinc omnibus idem ardor, ire, quo jussisses, pugnare, periclitari, sanguine suo commendare posteritati gloriosę obsidionis recordationem. nec tam mors illis terrori erat, quam vita, & superesse à pugna dedecus videbatur. Illud maxime gloriosum, quamvis multorum cædibus, gradum aliqua promovisse, & cum hostem vallo deturbassent, raris ordi-

ordinibus reverti. Iam, cum in procinctu esset Comes Herenbergensis, paratosque exercitus sub ipsis vallis ostenderet, nusquam fortissimi sollicitique Ducis munia omittebas. Ipse cum ducibus agmina circumire, somnum non capere, undique circumcursare. copias etiam omnes in armis esse, frenatos equos stare, ac vigilias intentiore cura servari jubebas. Etiam prorupto vallo cum equitum turmis exibas, occursabas venienti, & ubi plurimus labor spesque aliqua, consilio, manu, voce pugnam sustentabas. Oberrante mox cis Vahalim hostili exercitu, & veteri Bataviæ insidiante, stupenda velocitate militares copias, ad nutum paratas, insequi jussisti, quo usus vel res vocaret, stare, progredi; ut veluti manu tua adversæ partis fata moderari videreris. Tum vero quam maxime excellens illa animi magnitudo emicuit, cum superato Isala Velaviam hostis teneret. Iacebant nobis animi, metusque tam quæ non essent facienda, quam quæ essent, suadebat. At tu adversa casuum, quæ bellis intervenire solent, moderatius æstimans, egregia constantia non destitisti à cœpto, sed acriore studio institisti urbi, provisisque, qua poteras, celeritate limitaneis locis, hostem in sterili arena sibi permisisti, donec capta tuis consiliis Vesalia, revocandi artem, qua adversus te utebatur, docuisti cognatum sanguinem. Ita ad incredibilem animi vim divina accessit benignitas, quarum illa, ut auderes, dedit, hæc, ut posses. Pari olim constantia populus Romanus, cum tertio ab urbe lapide grassaretur Annibal, ad avertendos Capua Consules, ab incepto non destitit, & de sua urbe sollicitus, Capuam tamen non omisit, sed parte exercitus sub Appio Consule relicta, par-

te Flaccum in urbem secuta, præsens absensque pugnabat. Non oportuna magis Belgarum terris alias affulsit victoria, quæ subita serenitate inductam patriæ caliginem discussit, Amersfortiam Cæsarianis præsidiis, Velaviam numerosis exercitibus liberavit: hostium vero res adeo in arctum coëgit, ut armamentario suo simul, & frumentaria sede exuti, nihil sibi reliquum esse crederent, præter dedecorem fugam, aut minime ambitiosam famem. Tandem, adductis in summam desperationem obsessis, laborioso operi lætam catastrophen imposiuit insignis tua erga deditos clementia, qua, non cum privatorum te calamitatibus, sed hostium viribus, contendere ostendisti. Scipio Africanus (nec enim cum alio comparari te fas est) in Hispaniam missus, neglectis minoribus ejus oppidis, Carthaginem novam, præcipuum tum regni robur, aggressus est, & in una urbe capta Pœnis sui defendendi fiduciam ademit, Romanis sociisque reddidit. Hujus exemplo, urbem Hispanicarum provinciarum munitissimam, situ hactenus operibusque inexpugnabilem, subito adortus es. Venisti, & minus quinto mense victor ingressus es, non Sinoniis artibus, sed indefessa armorum vi, frustra obnitente Regio Cæsareoque exercitibus, perruptis arcibus duabus, plurimisque, quas militaris industria exstruxerat, munitionibus. Et quod ad laudem quoque facit, pugnasti, non cum tironibus, bellique inexpertis, sed cum hoste bellicosissimo, cum veteranis delectis & militibus, quorum ut quisque scientia militari & audacia maxime valebat, ita majore animo contra stetit, etiam res urbis moderante Gubernatore sagaci, acri ingenio, contra pericula

pericula & insidias firmissimo, qui loca omnia, prompta, occulta, plana, impedita noverat, prudentiæque fama inter regios Præfectos eminebat. Atque hæc dum terra per te geruntur, non minus victricia signa per Oceanum late circumtulisti, duplexque elementum insedisti victor. In Occidentem iterum moverunt Societatis istius socii, usuri fortuna, quam superiore anno propitiam experti fuerant. Cumque turbatis commerciis Morini mare Britannicum ac Septentrionale, bello, quasi tempestate, præclusissent, sub *Petro Heynio*, quem ob recentia fortitudinis & felicitatis exempla tanto negotio præfeceras, maris denuo libertatem tibi tuisque vindicasti. Patere, Princeps, uti, dum de Heynio loquor, paululum morer ordinem laudum tuarum. Querimur, proh dolor: querimur, in tanto impetu cursuque rerum occidisse gloriosissimum ducem; illum qui gaudio nuper impleverat animos, jam mœrore omnia complevisse. Dolemus illam animi vim, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in suos fidem Reipublicæ ereptam. Occubuit Heros iste, per omnes navalis militiæ gradus ad summa evectus, major semper privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu etiam tunc, cum pareret, capax imperii. Occubuit nunquam non victor, postquam Orientem & Occidentem, famæ suæ terminos, adiisset; postquam classem Hispanorum in ipso Brasiliæ littore atroci prælio exarmasset: postquam regio thesauro onustas naves in Matancæ portu primus mortalium exuisset, evulgato imperii arcano, posse etiam Occidentem vinci, & annuos Novi orbis reditus inter-

cipi: postquam naves Morinorum bellicas fortiter aggressus expugnasset, & majorum facinorum spem certam suis fecisset, nec deesse quidquam ad immortalitatem videretur, nisi ut qui vixisset victor, victor moreretur. Secuta quoque est morientem victoria, & quæ vivo ante, etiam mortuo se superfudit fortuna. Regulum dicerem, nisi hoc felicior esset, quod post carceres suos eodem loco hostem egregie ultus fuerit, quo captivus fœdam servitutem servi verat. Dicerem Themistoclem, nisi non cum imbellibus Persis, sed bellicosissima gente pugnavisset. Compararem Pompejo, nisi piraticum bellum illi superstiti conficere concessissent fata, Heynio nostro negassent. Maxima profecto sunt, quæ gessisti, Princeps fortissime, & in hac mundi scena, inter tot Europæ Principes, laudatissimum te actorem conspexit præsens annus. Fatigavit Borussiam Suecus, frustra repetiit Polonus. Britannus domestica, Transalpina restituit Gallus; Bellum pace redemit Cimber. Finibus suis invigilasse Veneto satis fuit. Omnium tu (sit fas ita Batavum loqui) gloriosissime urbes illas Hispano subduxisti, in quibus Belgici cardo omnis versabatur. Et ne quid perfectæ victoriæ obstreperet, solo exercitus tui adventu, Velavia omni, propugnaculisque in Isalæ ripa exstructis, submovisti hostiles copias. Vicisti magnitudine rerum non hostes modo, sed & sociorum expectationem, quorum illi insolentius vanis cogitationibus cœlum peti, hi tale te consilium cepisse, quod non facile explicare posses, modestius censebant. At explicuisti, per Dei gratiam, & possibile esse primus docuisti, quod impossibilibus hactenus, celeberrimo proverbio, adscripserat præconcepta animis

mis nostratium desperatio. Et cum hæc sub initium Præfecturæ tua sint opera, similia porro exspectamus. Nec enim possunt aliæ, quam excelsæ cogitationes animo tuo subire, & dum in incremento est virtus tua, tanta Celsitudine ac gente dignos spiritus capis, ut eadem fortitudine postmodum experiaris, quicquid pro patriæ salute tentandum provide judicabis. Iam oculos in te conjicit Christianus orbis. aliorum aperta inclinatio est, aliorum occulti metus. Vtinam aut vincere hostem possis aut pacare, & præludia hæc fuerint stabiliendis simul imperii & pacis. Eam reduci velle, forte victori expedit, victo necesse est. Militat pro te Iehova, & turbatis nonnihil rebus, victoriam conduplicat, ut confessos hostes animo jam subjugaveris. fasces Auriaco submittere nemo indecorum putat, & quos superasti, beneficium putant, à Nassovio vinci. Sub frenis tuis libertatem quisque sibi, sub imperio felicitatem pollicetur. Macte Heros invicte, & cum patriæ finibus latius virtutum tuarum pomœria diffunde. Laudabiles militiæ tuæ successus continua, & , advocante te ad magna Deo, obsequere. Veni, ad tuos redi, & Procerum civiumque passim faustas acclamationes victor excipe, quorum alii vitam, alii libertatem, omnes securitatem tibi debemus. Sequor pone Encomiastes, & dum alii tantarum rerum solidam narrationem meditantur, non historiam, sed Poëma oblatum veni. Nec enim decet tam illustria trophæa suspendi sine vate. Vtinam vero dignam virtutibus tuis orationem reperire potuissem. Impari gressu ambulat Auctor & Scriptor, & Principum Heroicos ausus lambere facile est, facundia exhaurire difficillimũ. Quod

poëtarum proprium est feci. Per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum circumduxi lætas voces, ut potius furentis animi vaticinatio appareant, quam religiosæ narrationis sub testibus fides. Est tamen, ubi nimius narrator mihi videor, temporisque filum nimis anxie secutus. Sed parum refert, si minus illic poëtam egerim, ubi felicissime pugnavisti. Præstat sciri, Te melioribus legibus pugnasse, quam me cecinisse. Et major rerum à te prudenter fortiterque gerendarum habenda fuit ratio, quam meæ laudis. quam si ex hoc opere aliquam retulero, Illustrissimo tuo nomini omnem debebo, cujus virtutum vel sola recordatione vatibus pectus tumet, ut majores sibi videantur, quo circa augusta illa nomina & illustres animas impensius occupantur.

Faxit Deus Opt. Max. cujus invicta manu vicisti: Patriam, religionem, libertatem in tuto locasti: hostiles impetus contudisti: Vesaliam primum, mox Sylvam-ducis, urbes potentissimas, Fœderatorum imperio addidisti, ut nominis tui terrorem late circumferas, quæ domi ægra sunt, consilio fulcias, valida magis robores, metumque tui civibus, contemptum hostibus, præclare de patria merendo, demas.

D I X I.

ORA-

ORATIO
Tribunorum in castris

AD
PRINCIPEM AVRIACVM.

Vide Orationem Crateri ad Alexandrum Magnum, quæ extat apud Curtium lib. 9.



Credisne, Princeps fortissime, adventu magis hostium, ut jam in vallo consisterent, castris adsultarent, quam cura salutis tuæ, ut nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos? Quantalibet vis gentium undequaque conspiret in nos, impleat armis viribusq; Brabantiam omnem, Cæsareanas aquilas inducat, Tillios, Walsteyniosque crepet, tu nos vivus incolumisque præstabis invictos. Sed quis hoc Fœderati Belgii columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest? cum tam avidè manifestis periculis corpus tuum offeras, oblitus tot militum civiumque animas trahere te in casum. Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest? Eo pervenimus, auspicium atque imperium tuum secuti, unde, nisi te salvo, nulli lætum ad penates suos iter est. Quod si de Hispaniæ, totiusque Orientis & Occidentis regno cum Philippo dimicares, etsi nemo vellet: tamen, ne admirari quidem posset, tam promptæ esse te ad omne discrimen audaciæ. Nam ubi paria sunt, periculum ac prœmium, & secundis rebus amplior fructus est, & adversis majus solatium. Tuo vero capite urbem illam, licet maximi alias momenti, redimi, quis ferat,

 non

non tuorum modo militum, ſed ullius etiam gentis ſociæ, qui quid in republica noſtra validum ſit, quid ægrum, novit? Horrent animi cogitatione rerum, quas videmus indies, dum intra telorum hoſtilium jactus, foſſas cuniculoſque intrepidus ſubis. Eloqui timemus. inertiſſimus quiſque jam de corporis tui ſpolio triumphaſſet, niſi te hactenus miſericors in nos Deus ſervaſſet. Totidem proditores, totidem deſertores credemur aliis, quod te aut retinere in tentoriis, aut in foſſis perſequi, tueri, ac ſecurum præſtare non poſſumus. Vniverſos milites ignominia notas, quaſi officii ſui parum memores, ſine te exequi mandata nollent. Temetipſum conſiliis imperiiſque ſerva. Non militis partes, ſed Imperatoris habes. Scipionis illud cogita: Mater Imperatorem me, non militem genuit. Adeſſe rebus debes, ſed citra ſummæ rei diſcrimen: vires roburque inſpirare militi, at cum locorum delectu: prælia voce conſilioque moderari, ſed dubiis præliorum eximi. In milite unius ſors eſt, in Duce univerſorum periculum. Minores curas minoribus ducibus manda. Non ſtamus in acie, non ſtatus imperii aut ſalus provinciarum in ferri cuſpide poſita eſt. Vallis hoſtem aggeribuſque arcemus. Legimus, & jam juvat meminiſſe, cautos, cunctanteſque duces laudari, nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogat, commiſſuros ſe fortunæ. Et ſummus ille civilis prudentiæ magiſter, repræhendit Imperatorem contemnendis, quam cavendis hoſtibus, meliorem. Sine timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli vocent. Non hoſtium, non malevolorum hic audiendæ voces. Clamat reſpublica, clamat exercitus, clamant boni juxta

ac prudentes, omnium in te salutem verti. Magna cœpta consilium & mora perficiet. eludet unico momento, infelix sæpe, audacia, & nimis curiosa sollicitudo. Tuo casu animus hostibus accrescet, & fiduciam illis liberandæ urbis mortuus facies, quam vivus habere non sinis. In expectatione tanti operis universus orbis est. Aliorum admiratio, aliorum indignatio, aliorum alibi studium eminet. Videntur fata obsessam urbem damnasse, sed videntur tantum. Cave, ne decreta sua vertant in nos. Sunt in procinctu hostes: instant vallis castrisque in omnes occasiones intenti, ut laboranti urbi succurrant. Prospiciendum, ne quod à suis virtutibus se consecuturos desperant, tibi imputent. Ad gloriam contendentibus viam sternit prudentia & ratio, non impetus. Fama providentiæ in magnis ausis valida est, in obsidionibus validissima. Et parta & sperata decora ex tua pendent incolumitate. Quod si victorias numerare vis, annos numeres oportet. Rebus præclarè gestis superesse gloriosius, quam iis immori. Mortuos fama lambit, vivos afficit. Stant & pugnant in theatro orbis principes, sed & in eodem peccant. & cum virtutibus conspectius quoque est, quicquid in iis minus laudabile. Ex te, velut è capite membra, spiritus animosque capimus. Tu virtutis ignaviæque tuorum spectator es & vindex. Pudet singulos te occupato otiari & segnescere. In oculis tuis vulnerari & mori gloriosum quisque putat. Te coram nec dolorem sentiunt, nec mortem extimescunt. *Urget præsentia Turni.* Si monere nostrum non est, monemus tamen, ne, quam vellemus, citius imperare nobis desinas. Attendit ad Patroclum suum Achilles, Achatem, Æneas. & ne

fabulosa solum loquar, attendit ad Narsetis ac Belizarii salubria monita Iustinianus. Quæ affecta voles, nobis impera, non tibi. quocunque jusseris, ibimus. Infesta loca, fatales pugnas nobis deposcimus. quos si extinxerit Mavors, habes, quibus bellum restaures. Imperantium uti magna est paucitas, ita novitas nocet, & regimen nullum aut incertum securitatem publicam labefactat. Pericula cave, hostium mœnibus abscede, fossis exi, ubi descensus Averni facilis; sed gradum revocare difficile. Non prandendum tibi, tanquam apud inferos cœnaturo, nec cœnandum, ut mox efferaris. Militibus hoc dixit Leonidas, non belli duci. Et nihil profecto indignius, quam cum tuos afflixeris, hostibus gaudii causas propinasse.

ORATIO, DE VICTA In Freto Britannico Potentissimi HISPANORVM REGIS CLASSE,

Per MARTINVM TROMPIVM Maris Vice-Præfectum,

Anno CIↃ IↃ C XXXIX, *mense Octob. die* XXI.



DVabus mundi partibus habitamus, duabus pugnamus, terra ac mari. alteram securitas, alteram temeritas sedem fecit. Prior, quia fixa & stabilis, pluribus domicilium præbet. Posterior, quia mobilis fluctuansque, paucioribus. Illa iis patet, qui

qui mansuetius vivere amant. Hæc iis, qui ventis, cœlo & salo acrius animantur. Qui terras habitant, laxis spatiis pugnant, ubi timor viam fugæ invenit. quibus Oceanus domus est, arctis tabellis conclusi, aquas mortui sorbent, ne sicca morte intereant. In terris positi securius maria adspectant. qui aquis jactantur, tellurem post terga vident, & natale solum insigni audacia susque deque habent. ubi terra est, certius iter tenemus ad vitam. ubi aquæ sunt, dubio cursu secamus æquora, & levibus auris animam credimus, ducto gracili tramite inter vitæ & mortis vias. Non terra solum pugnantes Pompejum & Cæsarem, sed & exilis cymbula mundi Imperatores vexit. Et qui terra non nisi hostium formidamus potentiam, in aquis præter hostium furorem, naufragiis insuper mulctamur. In utraque imperia, divitias, libertatem, quarum rerum causa bella atque certamina sunt, petimus. Imus in principia nostra omnes. illic spirare amat quisque, unde originem traxit. Ex limo facti humido siccoque constamus, ne si toti aqua essemus, inconstantiæ; aut si toti terra, pertinaciæ haberemur filii. In hæc semina relabimur non inviti, & illic morari studium est, ubi potiorem sui particulam vel aquis vel terris se debere quilibet sentit. Hac sorte & indole non singuli solum, sed & populi gentesque discernimur. Inter fluctus nos & procellas habitamus. Amphibium animal Batavi sumus, Mattiaci sumus, Frisii sumus. Pluribus elementis gaudemus, quia singulorũ munera mercamur. Nos in lucem modo edidit tellus, mox impubes adhuc & vix ære lavatos, fovet procellosa Tethys. Quin, dum longo itinere in Auroram cum conjugibus imus, (eloquar hoc versu:)

—— mediis in fluctibus ardet
Terrarum secura Venus. stupet ipsa verendis
Vnda puerperiis, matrique admurmurat æquor,
Et cum puppe rotant duros cunabula natos.

Littora nostra, templa, fora, quibus ambulamus & sacra facimus, ubi mercamur, dormimus, vigilamus, ubi candidi vel atrati sumus, ubi epulamur, jocamur, aquæ & tempestates pulsant. Si tellus viam euntibus præcludit, eam affectamus pelago; & honestæ cupiditati frena laxamus, per invia pedibus spatia. Pro lateritiis ligneas domos condimus, & ne mergamur graves, totis sylvis innatamus. Pro area, tectis, parietibus, trabes sunt & quercus & lignifer Septentrio. Miracula præbemus orbi. Cum terræ deficiunt, ob uliginem & paludes, ligna advocamus in auxilium, ne vivi descendamus ad inferos. rursus, cum aquæ lapides, saxa, domos ferre detrectant, ex iisdem lignis domos mobiles ratesque fabricamus, & in vasto æquore castra metimur, bella gerimus, immania navium corpora concutimus, convellimus, dissolvimus, subvertimus. Hinc duplex belli genus natum mortalibus, terrestre ac maritimum. illud crudele, hoc crudelius. illud operæ & honoris, hoc audaciæ insuper plenum. illic cum simplici hoste, hic cum hoste, & Oceano Æoloque pugnandum. altero stantes, altero vacillantes manus conferimus. altero arenis, altero urna tegimur. altero, mortuorum exequiis intersumus homines, altero balenæ & phocæ.

Quibus Fœderatorum res gestas nosse animus est, comperient, utroque belli genere illustria virtutis suæ documenta dedisse potentem populum. sæpius cum formidine & scientia militari contendisse fortunam, & hæsisse, ubi terminum

num imperio poneret; postquam terrestribus pariter ac maritimis præliis victoriarum omne genus consummavisset. Duplicis elementi spoliis triumphamus, rostris, portisque. quorum illa victarum classium trophæa sunt, hæc urbium & quæ terra gessimus, bellorum. Est, ubi Duillios nostros, & Africanos, & Alcibiades & Attilios marmora habent. Est, ubi forti Heemskerkio æra suspendimus, cum augustis eminentis Hoofdii inscriptionibus. Est, ubi maximo Duci Petro Heynio, maris Mexicani scopulo, æternis monumentis splendide parentavimus. Tabulas videre est, Ad Amstelam suspensas, in quibus unam ratem pluribus victoriis sufficisse, picturæ docent & carmina. Ad Rotteram Lamberti Archithalassi manibus non sine veneratione assurgimus, & assiduum in prædatricis Duynkerkæ corpore unguem hunc agnoscimus. Loquor nequicquam vetera & transacta dudum. Memorabile, Aud. & atrox prælium, ante paucos dies, propitio Numine,Patrum,& Celsissimi Auriaci auspiciis, ductu intrepidi Herois, Martini Trompii, commisimus. atrox cædibus, memorabile rerum undequaque magnitudine & fama. Etenim, in hoc Potentissimi Hispaniarum Regis robur & maritimam potentiam fregimus: stupendum tot navigiorum apparatum, tot annorum laborem impensasque attrivimus: nauticæ gentis numerosos exercitus copiasque accidimus: conscriptum ad nova bella militem vinculis constrinximus: nervos militaris disciplinæ, stipendia, Celsissimo Infanti ereptum ivimus: Indiarum proventus in messe elisimus: Belgicæ navigationis vires in Morinis incidimus: Oceani imperium juri suo, hoc est, na-

turæ, vindicavimus; exteris Principibus pressæ Reip. nondum extremos conatus ostendimus, & publicæ patientiæ illudere parantibus, justæ defensionis instrumenta monstravimus. Denique omnem expugnandi concordis Belgii & erigendæ supremæ per Europam, (si qua adhuc Philipporum animis insidet) spem labefactavimus.

De his, publico hoc Patrum populique gaudio, silere nescit, qui patriæ bonis malisque, secundis adversisque surgit caditque. qui facundiæ & ingenii discrimen incurrere mavult, quam suæ in Remp. fidei ac benevolentiæ; & linguam, si effari non potest, conari vult maxima. Non efflagitabo è vobis, Auditores, attentionem, quam res imperat; nec benevolentiam, quam mihi de AVRIACO, de Trompio, de navalibus sociis, de maris vindicibus, pro libertate, pro aris & focis dicenti, omnes & singuli debetis. Vnum agam sedulo, ut recrudescente hac hora inter me & Hispanum prælio, tanti certaminis terribilem faciem intueamini securi. Itaque cogam intra Scholæ hujus parietes adversarias classes. Hîc hîc fingam esse Fretum Britannicum. hic fluctuare veliferas arces & natantia ponto castra. Hic intrepida oratione & miles ero & navita, & Ocquendus & Trompius. Hic vincar Hispanus, vincam Batavus, spectator ero Britannus. Vos credam stare in littore cum Britannis & extra teli jactum, è terra Europæorum Principum, hinc PHILIPPI, hinc PATRVM & FREDERICI laborem suaviter adspectare.

Hispaniarum Rex lenta fore bella ratus, quæ terra in Belgio gerebantur, & jacturam unius urbis alterius victoria in vicem resarciri, cum

omne

omne Fœderatorum robur in mercatu, hunc in maris opportunitate positum accepisset;eo consilia vertit, ut diminutis in terrestre bellum impensis, de maris potius imperio nobiscum, quam terrarum contenderet. Iuvabant propositum exempla populorum veterum & recentium,quibus Oceani potestas Continentis facile impetravit. credebat sagacissimus Princeps, posse classibus longe dissitas regiones adiri & expugnari, & neglectis finitimis transferri alio sceptrorum majestatem. legerat, Argonautarum expeditione raptum procul à Græcia aureum vellus, & potentissimos reges auro opibusque exutos. Didicerat majorum utilibus exemplis, navium beneficio novos orbes detegi: religionem, opes, leges, mores, humanitatem ipsam ad distantes totis sideribus populos transvehi. Audiverat Belgas circumlui pelago, vel allui; nec habere domi necessaria, quæ redimant, nisi aliunde magnis pretiis arcessant, classium usu non sibi solum divitias parare, sed veteri domino graves esse. Ambrosius Spinola, Sanseverini Dux, quo serium magis & fidelem gloriæ suæ ac imperii custodem non habuerunt Philippi, assiduis ac pertinacibus hortamentis hæc ipsa Regi suo persuasit. Ideoque, cum rerum hic sub Alberto & Isabella Archiducibus potiretur, in Morinorum portubus naves plures solito exstrui jussit. de nautica nostratium pube plurimos præmiis & pecuniarum largitione, eo pellexit, & non longo tempore ditibus Belgarum spoliis & ubere rapina fortunas maris erexit. usque adeo, ut qui olim paucis myoparonibus proxima maris nostri infestabant, jam classibus æquor, hinc Britannicum, inde Germanicum, velut tempestate, præcludant:

dant:

dant : qui ſupplicii metu piraticam exercebant, jam pari belli jure capti evadant: qui non niſi inermes nos adoriri ſolebant, jam armatis armati inſultent, littoribus noſtris incubent, & in ipſis portubus ac maris æſtuariis ſecuritatem publicam rideant & flagellent.

Hoc fine, non ita pridem in Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Callaicorum & Cantabrorum ſedibus, claſſem validiſſimam coëgit, maris fortunam in Belgas novo conamine experturus. Nec deſperabat victoriam, qui toties ſalutem claſſibus deſperaverat. Naves immenſæ molis, inter quas Prætoriæ, viginti ſeptem de regno armaverat. alias regias de Morinorum auxiliis tredecim paraverat. His robur accedebat à navibus Hollandorum ſeptem, & viginti aliis, quę è Balthico ſinu vel Albi in Hiſpaniam mercatus cauſa profectæ, regia authoritate attinebantur. Prætoriam Caſtellanorum Antonius Ocquendus inſidebat, tormentis terribilem quatuor ſupra quinquaginta, vehium octingentarum. Luſitanorum Prætoriam, totius claſſis maximam, Lopezius Hozius tenebat, baliſtis majoribus inſtructam ſexaginta duabus, vehium mille & ducentarum. Tereſæ illi nomen. Prætoria, Andrea de Caſtro gubernatore, machinis bellicis quadraginta duabus minax, vehium erat ſexcentarum. Quæ Franciſcum Feyum Gallæciæ præfectum prætoria vehebat, tormentis bellicis triginta duobus nil niſi cædes & funera loquebatur, vehium itidem quingentarum. Stupendæ quoque adſpectu fuere. Criſta Burgenſis, Sereniſſima Domina de Leoro, Aquila Imperialis, Fama, Virgo Aſperæ collis & illa Alexandri & Petri grandis titulis ſuperbiens, & quæ Michaëlis imagine formidabilis

bilis

bilis & Servatoris appellatione venerabilis fuit. alia tormentis armata quadraginta, alia triginta, alia triginta quatuor, vehium quadringentarum, ſexcentarum, quingentarum & quinquaginta, plus minus. Omnes mole, viribus, machinis, forma, militum & navalium ſociorum numero horribiles ac tremendæ. Ligna quibuſdam pro coſtis intexta quinum erant in craſſitudine pedum, contra quamvis globorum vim atque injuriam impervia. Talis in Trojani ducis claſſe Priſtis fuit, gubernante Mneſtheo, qualis Prætoria Callaicorum. Talis Chimæra, duce Gyga, qualis Tereſa, Prætoria Luſitanorum. Talis Prætoria Andreæ de Caſtro, qualis Scylla, duce Cleantho. Talis Pegaſeja Argo, duce Iaſone, qualis Prætoria duce Ocquendo. Harum aliæ millenos, aliæ octingentos, aliæ ſeptingentos, aliæ ſexcentos, qua milites, qua navales vectitabant. Omnes militum millia decem, claſſiariorum millia quatuordecim habebant, mixtum genus ex Hiſpanis, Luſitanis, Cantabris, Gallo-Britannis, ex Septentrione totaque Europa conquiſitum. Plurimos non ſua voluntas aut militiæ amor, ſed regius rigor placitumque ad infelicis hoc belli tyrocinium coëgerat. Nomina navibus ſingulis impoſita fuere à Sanctis tutelaribus, Iacobis, Antoniis, Hieronymis, Auguſtinis, Gregoriis, Ambroſiis, Paulis, Baptiſtis, Michaëlibus, Franciſcis, Euangeliſtis, &c, ne non ſervarentur, ab ipſo Servatore. ut Dîs totique Sanctorum choro bellum indicere crederentur, quotquot irent contra. Aderat juventutis Hiſpanicæ flos, Duces, Comites, Dynaſtæ, Equites Ord. S. Iacobi, quiſque fidem Regi inſigni facinore probaturus. Multi domo nobiles ſua ſponte ac pri-

vatis

vatis opibus comitabantur, satis se honoris à Rege suo impetravisse rati, quod tam illustri expeditioni interessent. At illud in ambiguo, quis consiliis instructissimam hanc classem in Belgium ablegavisset Rex. Curiosa quippe sunt mortalium ingenia, & imperantium consulta, si non approbare, scrutari tamen & sciscitari studiosius, pro more habent. Erant, qui militem in supplementa exercitus regii mitti ajebant, ut veteranos tyronibus permutaret & castellis arcibusque domesticam gentem ad tutelam imponeret: nauticæ gentis penuria laborare Flandriam. his quos mittebat Rex, instrui classes posse & in bellum armari. Quorundam animos suspicio habebat, ne Amisiam aut Codanum sinum, vexandis aut revocandis è Germania Suecis invaderent, & alterutro potiti navalibus præliis continenter Belgas & mercimonia distringerent. Illud ex captivis accepimus, missos se, ut Gallorum classi, quæ Gallæciæ & Cantabriæ oram infestabat, fatalem diem nunciarent. Nec deerant, prout in sinistras ominationes pronæ sunt quorundam mentes, qui de vicinis regibus pessima ominarentur. Illud verum: non missam in nostra commoda classem, quæ inimicam Belgarum nomini gentem advehebat. Etiam illud: classem navium vastitate & magnitudine stupendam, toti Europæ ac præsertim Septentrioni metuendam, pro totidem castellis, arcibus & mœnibus fuisse. Præerat illi summa authoritate Antonius Ocquendus, maris Oceani propræfectus, validus gratia Regis, & omni honorum genere cumulatissimus. celebris prælio navali, ad Brasiliæ oram & Sanctorum omnium Sinum non ita pridem commisso. ubi capta Galeone, periit nostro-

ostrorum negligentia, Belgarum prætoria, una cum classis fortissimo duce, Patre. Ille ante experimentum belli nostratis, fiducia virium, velut totius Oceani Verres dominusque, minus opportuna anni tempestate, è Coronæ portu, qui Gallæciæ maximus est, per mare Hispanicum, fretumque Britannicum, classem regiam audax gloriosusque deducebat. cujus introitus in angustias quam terribilis, tam turpis fœdusque discessus fuit. Oberrabat per easdem angustias, nonnisi duodecim navium bellicarum & unius Liburnicæ contubernio præfectus noster Martinus Trompius, vir acer & strenuus, per omnes militiæ navalis gradus ad summa evectus, patre natus, qui sub Heemskerkio ad Calpen & Herculeas columnas memorabilis istius prælii pars magna fuit. Ipse, cum majore glande iceretur navalis belli fulmen Heynius, ducis munia obiens, & lateri morientis adstans, summi Herois spiritum animamque bellator hausit, ut qui sua vixerat, sua & illius fortius pugnaret. ita decernentibus fatis, ut cadente Imperatore, hunc rebus mari gerundis alterum præformarent. Fertur dixisse Heynius: multos sibi Duces esse, quorum virtutes insignis aliquis nævus deturparet. in solo Trompio nihil se desiderare eorum, quæ Ducis essent. Oberrabat hic, ut dixi, adventantibus Hispanis, per maris Britannici angustias, ut augustæ & validæ classis, de qua certa fama inaudiverant Patres, & Auriacus, adventum operiretur, viribus longe minor, sed solo hostium contemptu major, quos terrestribus, quam maritimis præliis aptiores esse didicerat. Vt in conspectum se è longinquo dedit Hispanus, anhelantem navium inopiam, quinque navium,

vium, quibus Wittius vicepræfectus præerat, accessione paululum recreavit, aliisque duabus, quæ in eodem Freto Ducis nostri jussu de Hispanorum adventu sciscitabantur. His cum hoste congredi cœpit, intempesta nocte & majori pugnæ in ipsam usque Auroram præludere. una navium è nostris, ante coitionem, ob male custoditum pulverem, conflagrante. Mane aliis duodecim auctus, quæ Duynkerkano portui sub imperio Bancheri, incubuerant, pugnam suos totis viribus animisque capessere jubet & hostes adoriri. qui dum gloriæ magis studio, quam victoriæ spe Batavi ductoris audaciam ulcisci quærunt, principium cladis fuere. Hortatus jam ante suos fuerat Fœderatorum Dux, meminerint, cum quibus certavissent gloriose jam sub Veris initia: cadendum esse, si præliarentur segnius: hoc agendum, ut fortius dimicasse, quam in conspectum hostium venisse credantur: non metuendum, ut ab adversariis circumvenirentur, cum, ob agilitatem suæ, cingi à lenta & tardigrada classe non possent: Æoli favorem captandum suis: occasionem rerum gerendarum offerri cœlitus: nusquam Hispanos certius vinci posse, quam in his maris faucibus, ubi facilis in brevia, & Syrtes & arenarum pulvillos prolapsus: securis instandum ac virium suarum præjudicio invictis: virtute & innocentia causæ pugnandum: cætera infirma esse. Nihil erat difficile persuadere paratis mori. Quare sub diluculo & claro die, Luna ac Sole testibus, in horam usque decimam pugnatum acriter. nec innecti inserique naves navibus voluit providus Gubernator, ne à navium mole & bellatorum numero obruerentur sui. verum ventis propitiantibus classem hostium

hostium circumnavigans, modo mediam intersecans, tormentorum bellicorum indefessis ictibus eam fatigabat, & navium maximarum compages egregia impunitate luxabat. Inde receptui canens, novis iterum animis fractæ ac laceratæ classi institit, capta navi minore & Galeatarum una, quæ abducta jam in triumphum, & à sociis avulsa, dum intempestiva spoliorum cupiditate, navis curam negligunt victores, à suis iterum recepta, materies gloriæ nostræ hostiumque infamiæ esse desiit. Ocquendus navium nostrarum paucitate animosior, recta in Prætoriam nostram ibat, hoc vehementer cupiens, ut divelleret junctam arctissime Fœderatorum classem. Verum tormentorum undique ictibus exceptus perforatusque, totus lacer ac rimosus, obliquato cursu, missos nos fecit, & ad fugam se accinxit. Exactus dies Veneris crudeli certamine. Subsequens Sabbathi ob nebulosum aërem feriatus classibus & incruentus fuit. Donec inter Abramidarum & Christianorum sabbatha media nocte recruduit prælium, & de refugio hostis cogitare serio cœpit. Paucis ratibus oppugnatæ plures, parvis maximæ, ut commissi cum montibus colles, cum turribus tuguriola, cum mytilorum testis vastæ essent pandæque immanium corporum alvi. Vbi navium nostrarum desinebant galeæ, Hispanarum porticus & fori spectabantur. tormentorum stationes ordinesque supra plana Belgicarum puppium attollebantur, ut irritis sæpe ictibus peteremur, sola humilitate tuti. Puppes adversæ, nostras despectabant ex alto, & proræ infra Lusitanorum proras longe subsidebant. Hoc potiores nos, quod cum hostium rates immobiles fere essent ob molem,

lem, nostræ in quamcumque partem vertere se & vento dare poterant. Nec victus hostis, sed lassatus, post ingentem suorum stragem, navium fissuras & hiatus, fracta tabulata, prorarum, puppium, laterumque miserandam faciem, in Britanniæ stationem, ubi Ptolomæi Dunium est, se recepit. Hic regiarum arcium præsidio se tutum fore ratus, certæ se classemque omnem morti & exitio objecit. Stabat in anchoris Hispaniæ omnis robur, Regis labor, Septentrionis terror, Occidentis ante præsidium, longa Galeatarum navium series. Stabat imbellis, inermis, exanimis, ociosa, ab impotentiore hoste, quem difflare levi spiritu posse videbatur, custodita. Stabat & ludibrium hinc Britannis, inde Gallis, ex adverso rem indignam spectantibus præbebat. Stabat, & invictissimi Regis sui majestati supina & excors illudebat. Quin Fœderatorum Præfecto copiam faciebat, convocandi undique auxilia & reficiendi quassas exhaustasque à belli instrumentis naves. Enimvero perpetuis continuisque jaculationibus & grandium machinarum furibundis explosionibus, à pulvere tormentario destitutus, impetratis grandi beneficio à Comite Charasto, Caleti gubernatore, ad novam pugnam requisitis, lateri Hispanici agminis se socium individuum, at non amicum, præbuit.

Rem novam narro, Auditores, & omnibus sæculis inauditam, cui fidem negabit posteritas, nisi credat, solum Trompium hæc posse. In classis, navium sexaginta & septem, quales quantasque non vidit ulla ætas, conspectum se dedit navibus bis sex. Eandem navibus aggressus fuit octodecim, mox triginta. Exercitum viginti

viginti quatuor millium, tot & plures vehebat regia classis, vix ter mille bellatoribus invasit. in incitas & Oceani angusta protrusit, protrusam circumvallavit, & veluti indagine clausam cervam cinxit, ut elabi non posset. Iacta Thermopylas tuas & Leonidam Græcia. Etiam hic Thermopylæ & Leonidæ sunt. Iacta Ciliciæ fauces Macedo, quibus Medorum olim vim stitisti. In his faucibus Aragonum & Castellæ regem stitit Macedo noster. Iactet Horatium suum Roma, quod Gallorum impetus fracto post tergum ponte solus à mœnibus arcuerit. Etiam hic paucarum navium numero sustinuimus Hispanorum procellam, ut Cocliti Belgæ, ceu fascino detentam Hispaniam omnem, uno in loco capere facillimum fuerit. Hæc inter, dum tabulas & frusta divulsæ & concussæ classis resarcit Ocquendus, & sub Britannorum arcibus latitat, Trompius injectis in tam nobilem prædam Fœderati Leonis unguibus, per literas Patrum opem sollicitare, & quæ perdendæ porro classi necessaria videbantur, serio exposcere. Patres magnum rati hostilem classem in arcto detineri, fatali arenæ affixam, omnibus quaquaversum portubus, & stationibus naves ocyus colligere, ut non hominum manibus fabricatæ, sed velut è cœlo delapsæ viderentur. Mattiacorum, Enchusanorum, Hornensium, Medenblicensium, Roterodamensium navalia novis operis bellique studiis fervebant. Amstelodamensium civitas, inter socias facile maris domina & tot classium jugis promacunda, trium Collegiorum æraria, vires, curasque mira celeritate excivit; Admiralitatis, ut vocant; Societatis, quæ ad Orientem, & alterius, quæ ad Occidentem militat & mercatur.

ut

ut non uno hoste, non unius mundi viribus, sed toto Oriente & Occidente & Septentrione opprimeretur Asiæ Africæque dominator. Fundi ex omni parte naves videas, non ædificari: nasci sponte, non elaborari. Dicas arbores, pinus, quercus nova transmutatione navium formas induere. Cernas nauticam pubem non conscribi, sed ultro adesse & in obvias naves præcipitem se dare. Ita statuebat quisque, non opus esse imperantium authoritate, quam commune Hispanorum odium patriæque flagrans amor suppleret: ducem se reperturum, ubi Trompius esset; pugnandi leges, ubi Trompius esset; præmia belli, ubi Trompius esset. Tanta in Duce nostro authoritas fuit, ut illius præsentia victoriam sibi quisque pollice-retur. nemo dissimulabat, illic caput, illic sedem arcemque gloriosi certaminis fore, ubi imperaret Trompius.

Celsissimus Avriacvs, curas terra marique circumferens, habito militum in castris delectu, fortissimos quosque sclopetariorum, numero bis mille, per naves Fœderatorum distribui jussit. Patrum decreto de invadenda classe suffragatus, jus præclaro facinori & potestatem dedit. post habitas deliberationes, moram factis abesse voluit, eaque omnia quam celerrime præparari, quæ novo prælio sufficerent. Interea elapsæ quatuordecim hostium naves minores per maris vadosa, Britannici Archithalassi gratiæ salutem suam & incolumitatem debent. Iam naves bellicæ centum & ultra, pro nobis, sub Albionis littoribus, stabant. quibus robustior factus Gubernator noster, intentis in spem eventus Gallis, Britannis, Gothis, Venetis, Cimbris, Brabantis, Flandris totius-

tiusque Europæ Principibus, ad certamen se parat. Et postquam cavisset, ne mandato & obtento Britannici Regis in stationem istam juri, temere contraveni ent sui, prior ab hoste impetitus, & uno ex suis desiderato, sine feciali classicum cani imperat; dum spectator pugnæ Britannus cum navium parte extra partes manet. Invocatum Numen, ut grandibus cœptis adesset: aras, delubra, focos, libertatem assereret: causam tueretur, quam toties fuso hostium sanguine clemens vindicavisset: de honore & salute populi sui, de imperii & maris securitate agi: cum invicto Rege commissam Rempublicam, nec vinci illum, nec vincere hanc, sine Numinis præsidio, posse: certandum cum navibus, quæ non nisi flammis incendiisque subigi queant: non desperare, qui in ipso spem locassent: animos adderet bellacibus dexteris, & in tutelam publicam privatamque non segniter pronis. Hæc similiaque ad Deum effatus, sic socios alloquutus fertur: *Per vos ego, ô socii & fratres, gloriamque omnium nostrûm communem rogo, ne magnum & memorabile facinus audentem deseratis. non præcipio, ut sine me vos periculis objiciatis. primus in acie cum vobis, ante vos, pro vobis stabo. ne sinite è manibus vestris ac meis elabi palmam, qua priscorum Ducum militumque fortitudinem æquabimus. Sperata victoria, vel honestæ mortis hunc locum, hoc mare designo. Præclara ausi estis singuli, sponte vestra. Experiar, quantum audeatis sub me communi & novo Duce. Navium auxilia expectavi hactenus, non ut frangerem audaciam vestram, sed ut in majorem gloriam atque oportunitatem differrem. Ne terreat vos navium altitudo, & immanitas. Nihil tam alte ab*

industria & hominum fastu constitutum, quo virtus non possit eniti. audendo, quæ cæteri desperavere, habemus in potestate. Cessere antehac Batavis istiusmodi moles, & humilibus transtris manus dedêre tumida & superba corpora. Evadite quæso in navium cacumina, vexilla è puppibus, aplustria è sublimi auferte. hæc cum ceperitis, prœmia polliceor luculenta. illi qui primus auferet, summa; qui secundus, secunda, eademque ad singulos servabitur portio. Falsi estis, si ignavia voluptatem petitis & prœmia virtutis expectatis. Certum habeo, vos, non tam mea liberalitate & imperio pugnaturos, quam voluntate vestra. majora sunt periculis commoda. nec enim ad nominis solum immortalem gloriam vos duco, sed & ad prædam. Digni estis, qui montes istos, qui propugnacula hæc, qui turres concutiatis, & dissolvatis. Digni estis, qui rates istas, quas mare nostrum odit, portus & æstuaria nostra ferre non consueverunt, in patriam referatis, raro spectaculo potentiæ Hispaniensis & felicitatis vestræ. Digni, qui nihil metus causa inexpertum relinquatis. Quod balistis perficere nequimus, facibus, flammis, incendiariis navibus, omni denique belli apparatu, confectum dabimus. Urite, secate, mergite, symbola vobis sint. Ite mecum, qui vosmetipsos, qui Rempubl. qui conjuges, parentes, liberos, qui fortunas vestras salvas cupitis. Hæc aliaque plurima incitandis militibus apta, postquam gravi oratione eloquutus esset, classem omnem contuberniis quinque distinctam in Hispanum immisit. Nec hic detrectasse visus est certamen, non ex fiducia, sed quia oppressus & obsessus erat, ausus videbatur. Sed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. Equidem, tantopere in navibus Hispanicis trepidatum, ut

mam-

naturandæ fugæ, cui oportuna erat nebula & lensissima caligo, rudentes & funes, quibus anhoræ tenebantur, præciderent. Cumque cirumfusa undique inimicorum rostra viderent, bjectis telis & deserta pergula vitam supplices etiverunt. Præfectus Trompius primus in roximam sibi Prætoriam, cui à Salvatore nonen, sævis ictibus detonuit. verum hac fugam apessente, majoris belli spectaculum præbuit Francisci Fey Galeciæ Præfecti Prætoria, cui quamvis, ad primum conflictum, dejecta mali umma essent & labefactata grandis uteri compages, jamque decussis thoraciis & dolonibus pro aquarum lubitu jactaretur, non nisi labente die collabescens ipsa, victori cessit. Cum nulla ferocius, quam cum Prætoria Lusitanica pugnavimus, in quam irruere jussus fortissimus Muschius. Classis imperator, postquam naves incendiarias duas vento æstuque secundo, irrito successu, in illam direxisset, alias tres supermmisit, quæ felicibus & cupidis amplexibus Lusitanam virginem Teresam complexæ, non cæcis, sed manifestis ignibus illam accendere. Hujus lateri inhærens Muschius, tantis in illam amoribus exarsit, ut retinaculis, funibusque mplicitus pari igne conflagraverit. Sed servati cura supremi Ducis ipse & nostrorum plærique. Admotæ etiam igniferæ rates aliis, & prætoriarum una in littus acta, Neptuno inferias solvit. Si in designandis forte hostium navibus hallucinor, cogitate, me eadem, qua pugnantes, nebula involvi, ut dignoscere hostem nequeam. Quæ Andream de Castro vehebat, glorìs usque à Trompio perforata & rimis fatiscens, fluctibus tandem mersa, Regi suo tabulas, naufragii testes, legavit. Mirum, quantis

ausibus, quanta animi magnitudine Lopezius inter suorum calamitates & præsentis excidii tristissimam scenam, una navis parte mersa, & aquis obruta, altera flagrante, ipse brachio truncatus, pugnam continuaverit & instar ignivomi Draconis vel exardescentis Vesuvii, sulphura, fumos, cineres, pilas, ignes in nos, jamjam mergenti proximus supremis odiis despuerit. Fuit hic idem Lopezius, qui in sinu Mexicano, à quatuor nostratium navibus bellicis cinctus undique & crudeliter impugnatus, sed vinci nescius, gloriose evasit. Ocquendus, dum ad modum opitulantis adnavigat, metuens, ne à propiore contactu conciperet flammas & funesto igniferarum navium circumdaretur amplexu, omni ope, comitantibus aliis nonnullis, enavigavit. & in Morinis appulit, ubi quassa laceràtaque, quæ ipsum vexerat Prætoria, inglorio fato, arenarum ventorumque injuria, non nostra virtute, periit. Victæ hoc ipso die plures aliæ & in arenas illisæ, Oceano, Æolo, Vulcano in Hispanum conjurantibus. Summo mane subductæ ex oculis dissipatæ classis reliquiæ, quo sors ducebat, incertis itineribus ferebantur, una navi excepta, quæ ad primum congressum deditionem fecit. Nec insequens nox otiosa nostris, sed quærendo hosti studiose impensa. Tam vehemens pugna & tumultuantium machinarum furor, & ignium grassans per tabulas ferocia triduum fere duravere. Per Britannorum littora carpenta Ducum Principumque volitabant, spectaculi causa. Viri, matronæ, senes, pueri, nuptæ innuptæque puellæ, in montium fastigiis, atrocissimi certaminis adspectu, non sine horrore, fruebantur. rati de humano genere agi & totius universi vires virosque uno loco collidi. Serenissimus

issimus rex Carolus, fœderis sui, quod sacrosanctum habet, memor, classis suæ Præfecto quietem imperavit, & laudatissimo exemplo Hispaniæ simul Patribusque eundem se durante conflictu, præbuit. misertus ad extremum quarundam navium Hispanicarum, quas è tanto naufragio in suos usus servavit.

Horrendum dictu, Auditores quam cruenta, formidabilis & sæva hæc non fictorum hostium congressio fuerit. Pugnavere non laxis spatiis, inter arenas & Brevia, & navi quisq; sua, velut fatali circo conclusus, eandem & gloriæ & mortis urnam habuit. pavidi vectores dum turbant nautas, vel intempestive juvant, consilia prudentium corrumpunt. Stantes corruunt & vulneris necisque suæ autorem nesciunt. Non tam globi glandesque, quam decussæ subligaculis & tabulatis partes ac festucæ, pugnantes interimunt. Quos antennæ portant ac plutei navales, ictu sclopetorum dejectos aquæ sorbent. Quos corbis naviumque galea habet, ex imo icti, lapsu, non gradibus descendunt. Aliquis, dum, in adversam ratem intentus, ferire vult, eadem, qua lethi nunciam glandem emittit porta, fati sui causam, mutuam glandem admittit. alicui lectus & cubile pro feretro est, & qui locus nocturnæ quietis fuit, æternæ noctis factus est. Vela explicare vel contrahere volentes, ablatæ manus in opere destituunt. Gubernaculo admotus Palinurus de puppe dejicitur & aquis innatans sibi ipsi & navis est & gubernaculum. Iacent sparsa per transennas mortuorum corpora, membris mutila; &, quod unum ad ultionem superest, diris suum quisq; hostem incessit. Non uno elemento & mortis genere pereunt miseri. Hic in aërem sublatus, semivivus & spirans adhuc,

huc, aquis ſuffocatur totus. Hic pice, ſulphure, ignibus uſtulatus, quaſi in Ætnæis crateribus, tarde expirat. Alios fumi ſtrangulant & coctæ bullienteſque æſtu graveolentes ſentinæ. Diſruptis à pyrio pulvere navigiis, calceati & caligati bellatores cœlos peterent, niſi ſua mox gravitas exſtinctos in centrum retruderet. Quos ſervare non poſſunt naves ſuæ, ex ipſis puppium acroteriis in aquas ſe præcipites dant, ubi vel capti victoris præda ſunt, vel, neſciente modum victoria, in ipſis aquis trucidantur. Tormentorum tantus auditus fragor, ut Iovem ipſum de perdenda Natura cogitare putes. Non audivere hæc priſci ſæculi mortales, cum ignota harum machinarum vis fuit & crudelitas. Nec poſterioribus ſæculis, loquor præfidenter, ullum commiſſum navale prælium, tot machinis totieſque exploſis furens æſtuanſque. Tonitru, ruptis vel colliſis inter ſe nubibus, terret cauſarum ignaros. Sed quia minus durabile, & lethiferum, minus quoque formidabile eſt. Noſtri tumultus Soli Orienti & Occidenti totos dies tres graves fuere. Flammas Iovis & tonitrus non imitamur ſolum, ſed immanitate ſuperamus. Æthera omnem, Santwicum inter & Doveriacum, forum Vulcani, officinam Cyclopum eſſe dixiſſes. Nunquam ſic vel Lemnos ipſa vel Lipara, nunquam Trinacria tantis ignibus exarſit. favillis, caligine intermixta, cineribuſque ſpiſſus aër, cœlum ipſumque hoſtem oculis eripuit. Andabatarum in morem per intervalla pugnatum, & inter belli furores, pro hoſte, læſus ſocius. Non aliam aulæ Infernalis imaginem eſſe juraſſes, cum damnatorum ſuppliciis vacat: ſævire inter ſe Furias: Tiſiphonem accenſis facibus tumultuari: bacchari veſanam Megæram: inſanire

inſanire feralem Alectum : Stygem, Phlegetonta, Cocytum fumantibus aquis reſtagnare : latrare inter hæc trifaucem Cerberum : Plutonem ruptis terræ compagibus iterum Proſerpinæ raptum moliri : diſſilire in fruſta Summanum : Heclam ab inferis arceſſere, quicquid cocti ſulphuris illic repperit : Titanum montes à Iove & Deorum exercitu ex alto deturbari : naturam omnem, rupto rerum fœdere, in novum Chaos incumbere. Nec ante tanto conflictui finis otiumque fuit, quam diſperſæ vel merſæ vel captæ hoſtium naves materiam belli ſubduxiſſent; nec reperiri ulla ratis poſſet, quæ ſpoliis ac trophæis adderetur. Obiere hoc prœlio partes ſuas permiſta virtutibus vitia. Navalis peritia cœlo, ventis, mari docte utebatur. Audacia cum fortioribus congreſſa fuit. Temeritas iiſdem cum hoſte flammis perire glorioſum putavit. Celeritas nihil ſpatii conſiliis hoſtium relinquendum rata, invaſit ſegnes & tardius ſe moventes rates. Furor mergi naves maluit, & vibratis facibus hoſtium agmina ardentibus ruinis operiri, quam capta non ſine publico diſpendio, ſervare. Aſtutia flammis perdidit, qui ſe invictos virtute gloriabantur. Pietas, fides, conſtantia, labor, pro patria pugnavere fortiter. Intercurſabat quorundam clementia, inimicum ſervando, charitas in periclitantes ſocios, iis ſuccurrendo. quibus virtutibus obſtrepebat non ſemel Avaritia, in diripiendis intempeſtive hoſtium navibus & ſupellectile ſupra modum intenta. Præfectus noſter, ipſi Ocquendo, cum moras necteret ob fractas malos, & metueret, ne noſtri moleſtiam faceſſerent, tranſvehendis è portu Britannico lignis, Liburnicæ ſuæ officium Hiſpano

imperatori ultro commodavit. non quod in dubios belli exitus lenocinia quæreret, sed animi magnitudine, qua didicisset adversus hostium vires, non adversus calamitates contendere. Ita subito lacerata classis potentissima, totum Britannicum littus cadaveribus, transtris, antennis, carinis, rostris, pergulis, velis, rudentibusque opplevit. Illisa in littus Gallicum navium una præda Gallis fuit. aliquam Tamesis servavit, reliquis turpi fuga elapsis.

At Dux Fœderatorum, rebus feliciter Dei beneficio gestis, captivas naves, bellicam prædam, magnam adhæc captæ juventutis Hispanicæ vim, ducesque ipsos, in Texelæ, Mosæ & Zelandiæ portus proximasque civitates triumphabundus misit. Et cum terrorem nominis sui nec minus venerationem latè circumtulisset, domum reversus salvus & sospes, gesta Patribus Auriacoque retulit. Hi meritissimo Duci gratias egere, quod, quantumvis exigua primum navium vi instructus, de Republica non desperavisset. Redeunti omnis effusa multitudo obviam processit. & universos quidem milites ac Neptuni filios, præcipuè tamen Trompium admirantur. Hunc quasi è cœlo missum Oceani & lapsæ rei restauratorem & ut Victoriam ipsam, venerantur. Laudant, quæ pro salute publica, intrepide, paucis primum navibus, magna circumspectione egisset. ibi stetisse victoriam, ubi se cum Prætoria vertisset: factam sub illo prædicabant, fortunæ, quæ in aquas dominatur, inclinationem: maritimis ducibus & plebi nauticæ collapsos per hunc animos erigi: prurire omnes belli cupiditate, quos fastidita dudum maris otia expectoravissent. Non jam ad Calloam adversa pugna in ore est, sed navalis

lis

lis victoria; non amissæ mercantium naves, sed jam acquisitæ; non Geldræ, non Hulstæ, non Scaldis, sed Caleti, & Gessoriaci portus, & Sandwici & Doeveræ & Tamesis ac proximorum, ubi vicimus, locorum meminerunt. At Duynkerkæ, Antverpiæ, Bruxellis funesta omnia & luctus plena. pavidi per plateas discurrere, alius alium sciscitari, autorem tam tristis nuncii requirere. adeo ad omnes singulosque tantæ calamitatis sensus dimanavit. In Hispania, Lusitania, in Cantabris, Callaicis & Asturum terris, alii cognata nomina fratrum, alii liberorum, parentum alii plorant, & cum privatis damnis miscent jacturam publicam. Multi cordatiores hæc secum mussitabant: mittendos Belgas, aut induciis ac pace placandos. ni fiat, fore propediem, ut de Tago suo & afferendo Bæti cogitare incipiat Rex; victorem hostem non stare, ubi vicit, sed ulterius progressurum ad ea, quæ cupiditati ipsius & victoriis patent.

Nunc, ut illustrior sit Triumphus noster, Auditores, totius Antiquitatis triumphos navales excutere animus est, & cum hoc nostro conferre. In Colchica expeditione ab omnibus retro seculis prima, clari erant Iason, Hercules, Telamon, Castor, Pollux, Iovis filii. in hac Ocquendus, Andreas de Castro, Lopezius Hozius, Franciscus Feyus agmen ducunt. Illi Colchida, nos ipsos aurei velleris raptores & vectores annuos cepimus. Lysander Lacedæmonius, cum in Atheniensium portu cum tota classe obsideretur, obrutus hostium navibus, milites suos clam in littus egredi jussit, & alio transferri. fecit idem Ocquendus, &, quo se exoneravit, militem in littus expositum. novis Bri-

tannorum ratibus in Morinos transvehi jussit. Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, excusso ante navem fulmine, Nunc, inquit, ineunda est pugna, cum Deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostræ ostendit. Trompius adversus Hispanos dimicaturus, cum propitia flamina classi suæ inopinato adspirarent, nunc pugnandum, inquit, socii, postquam facile Numen ventis faventibus ad certamen nos vocat. Cum Tyrum ligneo opere oppugnaret Alexander, Tyrii navem bitumine, pice & sulphure illitam, remis in Macedonum molem concitaverunt, quæ cum ignem concepisset, latius fundere incendium cœpit & grande opus medium rupit. Nec alia expugnandi Prætorias excogitari vis potuit, quam quæ, simili navigiorum genere, illas exureret & dissolveret. Attilius Regulus, quassata Amilcaris classe, naves sexaginta tres in potestatem redegit. De totidem & pluribus triumphat Archithalassus Avriacvs. C. Acilius, miles Cæsaris, navali ad Massiliam prælio, injecta in hostium puppim dextera & obtruncata, eam læva apprehendit, nec ante desiit, quam captam profundo mergeret. Non minori fortitudine dux Muschius, miles Trompii, prætoria Lusitanorum tota flagrante, una arsit, nec avelli voluit, quam hosticam navem cum sua mersissent aquæ. Alcibiades Mindarum classis Spartanæ præfectum in littora propulit & naves triginta cœpit. Batavum Alcibiades hostium classem in Britanniæ vada trusit, & de quadraginta rostris coronam meruit. Mago præfectus classis Punicæ navibus exutus turpiter fugit. Antonius Ocquendus afflicta classe, (loquar de misero clementius) si non fugit,

git, hoc egisse putatur, ut testes tantæ cladis naves octo suorum servaret contumeliis. Credere Cardinalem Infantem voluit, versam superioris anni fortunam. blanditam tunc fuisse novo Principi instabilem Deam, ut læderet gravius. Pompejus Magnus pyraticum bellum mensibus confecit tribus. Trompius bellum hoc Hispaniense tribus fere hebdomadibus. Appius Claudius Consul in Freti Siculi faucibus, Scyllam inter & Charybdim, Hieronis Syracusani classem subvertit. Fecit idem in maris Britannici faucibus Trompius. Voconius Romanorum Dux à Lucullo missus ad persequendas Mithridatis reliquias, eas assecutus fuit. Etiam noster fugitivis ratibus institit & earum aliquot potitus fuit. Marcus Cl. Marcellus, dum Siciliam navibus oppugnat, contra à Siculis, machinis speculisque à Sole ardentibus oppugnatur. Hispanus, navium invicta mole potior, incendiariis puppibus, ingeniosa machinatione admotis, Vulcano devorandus traditur. Duilio Cornelioque Consulibus, sola velocitas comparatæ classis auspicium fuit. nec certior victoriæ nostræ fiducia. Neoptolemus Mithridatis præfectus Lucullum ad Deuctrum, Niciam Gylippus Lacedæmonius ad Syracusas vicit. At hoc felicior Præfectus noster, quod & vicerit & prælio superfuerit. Non alia major in mari pugna, quam Luctatio & Catulo Consulibus Carthaginensium classis commeatu, exercitu, propugnaculis, navium vastitate, armis, gravis erat, quod ipsum exitio fuit. at Romana classis, qualis fuit & nostra, prompta, levis, expedita ad modum pugnæ equestris, clavis, veluti habenis equus, regebatur. & modo in has, modo in illas mobilia corpora inferebat.

bat. Bello itidem navali inter Cæsarem & Cleopatram, hujus naves, ut nunc Hispanorum, suis ordinibus, turribus atque tabulatis allevatæ, non sine gemitu maris & labore ferebantur. Cæsaris, ut & Fœderatorum, habiles in omnia, quæ usus poscebat, ad impetus recursus flexusque capiendos. Duillius Imperator, mersa ad Liparas Pœnorum classe, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem prælucere sibi funalia, præcinere tibias jussit, quasi quotidie triumpharet. Pro tanta victoria qui honores maneant Imperatorem Belgam, nescio. me non habebunt adversantem, qui in tantæ rei memoriam, tot rostris coronanda victoris insignia censebunt, quot Hispano valida manu bellator extorsit. Suscepta Xerxis in Græciam memoranda expeditio, in veterum annalibus utramque paginam facit. Verum licet major sub Persa navium coierit numerus, major militum multitudo, similia tamen multa observabit, qui advertet propius, Xerxem in bellum misit vetus Græciæ odium, quod Ioniis contra Darium patrem auxilia tulissent. Hispanum in bellum hoc trusit vetus Belgarum odium & operandi licentius cupido. Xerxes bellum à patre infeliciter cœptum, per quinquennium instruxit. Philippus Quartus bellum navale, ab avo Philippo Secundo ante annos quinquaginta hoc ipso Freto cœptum, restauraravit infelicius. Xerxes summo mane locum conscendit editiorem, ut pugnam spectaret, adhibitis scriptoribus, qui rerum gerendarum magnitudinem chartis mandarent. Stetit & hic pro rege in puppis parte editiore scriptor Hispanus, in eventum intentus, qui Regi secundus, nobis sinister accideret. Tunc

Per-

Persarum rex, pro gentis suæ more, Solem invocavit. nos Deum maris, cœli & terræ unum. Themistocli Græcorum Duci in hoc dissimilis fuit Trompius, quod ille cruenta & barbara cæde tres è sorore Xerxis Sandace nepotes, quos captivos habebat, Baccho immolaverit. nos Creatori Deo pias supplicationes nuncupavimus. Tunc classis Græcæ duces sub Themistocle fuere, Aminias, Sosicles, Lycomedes, Aristides. Nunc sub Trompio, Hautebeenius, Everhardus, Wittius, Dionysius, Catsius, Colsterus, aliique, bellaces illi manus commodavere. Quod in Xerxis classe Ariamenes fuit, in nostra Trompius fuit, in Hispaniensi Ocquendus, viri omnes militiæ navalis laudibus clari & illustres. Adversus Xerxem pugnatum fiducia oraculi Delphici, muris ligneis defendendam Græciam. Adversus Philippum pugnatum fiducia decreti Potentissimorum Ordinum, muris ligneis repellendum Austriacum. Illa tempestate de maris Ægæi, Ionii, mediterranei, Hellespontiaci, libertate & dominio agebatur. Hac de maris Vniversi libertate. Tum decisa inter Medum & Grajum grandis controversia, uter maris esset dominus, non chartis, non jure scripto, non diffidentis Curiæ suffragiis, sed ferro, flammis, incendiis. Nunc quoque decisa lis quibusdam videtur, inter Amplissimi doctissimique Seldeni, deptomptas ex antiquitate perperam intellecta tabulas, & Fœderatorum prisca jura. quæ illi tunc, cum metus est, ne quid Resp. detrimenti patiatur, non nisi inculpatæ tutelæ præsidio, assertum eunt. consultius rati, tanti momenti rem ex divinæ providentiæ nutu suspendi, quam ex probabili, & ancipiti, quan-

tumvis erudita, Iuris consultorum agitatione. Periit tum flos juventutis Persicæ, nunc Hispanicæ. Themistocli malam gratiam rependit patria sua, ut & Miltiadi ac Phocioni. At non sinit Deus, hac ingratitudinis nota pollui servatam hodie Rempublicam. Cimon Themistocli successor uno die ter Persam fudit. Noster, si navium distincta contubernia spectes, totidem victorias numerat. In Hispaniarum Rege vicimus Xerxem. in Auriaco Themistoclem, in Trompio Ariamenem æquavimus. in captis cæsisque Lusitanis, & Cantabris Calloensem jacturam pensavimus. Vt posterioris seculi illustre exemplum attexam veteribus, decertata est vehemens & cruenta pugna ad Naupactum, Christianos inter & Mahumetanos. cum hæc nostra Christianos, prô dolor, atrocibus inter se odiis commiserit. Favebat isto prælio meliori Christianorum causæ Deus, duce Austriaco. favit & nunc meliori Christianorum parti, duce & Architalasso Auriaco. Primum secundis, mox adversis ventis pugnavere Christianorum hostes. Primum quoque secundis, mox adversis ventis pugnavere nobiscum Hispanienses. Turcarum triremes ob sublimitatem vanis sæpe ictibus impetivere Austriaci classem. Belgarum navibus ob eandem causam minus nocuere turritæ & excelsæ Hispanorum rates. Tunc Octobri mense, cui acerrimum Scorpii sidus præest, concurrere Asiæ & Europæ magni dominatores. Nunc eodem mense periit ictus à Belga Tartessi Dominus. Tunc crucis signo succubuit Lunatica gens. Nunc Leoni Belgarum imperatrix Aquila.

Exurgite Argonautæ, & documenta vestræ fortitudinis, post tot sæcula, in Belgis agnoscite.

ſcite. Audite Phœnices, Tyrii, Sidonii, Cilices, qui maria primi navigaſtis, nec veſtræ ſolum ætatis credite, ponti imperium. Vos Thraces, Myſi, Corinthii, Cretes, vos Athenienſium ephori advertite, & Hollandiam quoque tabulis æquora decurrere; in iis, pro ipſis pugnare & de regum calamitatibus triumphare, jam diſcite. Vos Carthaginenſium patres, Romæ flagella, Siculorum tempeſtas, Hiſpaniarum domitores, quam Hiſpaniis, quam Siculorum regi, nos quoque velimus male, ex hoc facinore perſpicite. Pyſandri, Lyſandri, Ageſilai, Nearchi, Timoleontes, Niciæ, Bruti, Reguli, Duillii, vetera nomina ſunt eorum, qui claſſibus victores præfuere. In Batavis Boyſoti, Iuſtini, Douzæ, Duvenvordii, Obdami, Heemskerkii, Lamberti, Spilbergii, Matelivii, Eremitæ, Neckii, Renſtii, Reali, Cœnii, Carpentarii, Speckii, Brouwerii, Naſſovii, Dorpii, Trompii, noſtra nomina ſunt, qui fortunas noſtras & Fœderatarum provinciarum opes, decus, famam, domi foriſque egregiis auſibus auxere & erexere.

Nondum omnia dixi. Tanta hæc victoria eſt A. O. ut de excindendis hoſtium mœnibus non ſit neceſſe jam quærere, cum in mari deleta ſit Hiſpania. Non fuit major ſub imperio Fœderatorum dies, quam hic, quo hinc Belgarum, inde Hiſpaniæ dux collatis cominus caſtris direxere aciem. ea profecto felicitate, ut quodam velut cum fluctibus & ventis commercio, debellandus Rex traditus nobis videatur. Et quam leve præ tanta victoria prælii hujus damnum. Deſiderata è claſſe noſtra navis una, militum & navalis populi vix centum. cum hoſtium cæſa merſa captaque accipiamus

millia

millia multa., naves qua mersas, qua exustas, qua captas, quadraginta. cæteris vel fuga vel Anglorum beneficio elapsis. Non alia tam incruenta victoria unquam usi sumus. Idque prospectum singulari consilio Ducis, qui hostium navibus suas connecti vetuit, ne à militum, quos habebant prætoriæ, numero, attererentur sui. ideoque accessibus recessibusque crebris circum vel præter navigans, classem hostium jaculando ipse attrivit. Quid prius hic mirabimur? velocitatem? quod tertio die parta sit. an felicitatem? quod levi nostrorum damno.an fiduciam? quod cum potentiore certavimus. an famam? quod cum nullo essemus numero, numerosam classem pertraximus in classes. an Dei favorem? quod flantibus usque in hostes ventis, subducere se Hispanus nequiverit, nobis naves in auxilia mittere facillimum fuerit. Credant Brabantini nugatores & hebdomadalibus chartis victoriam penes Regem stetisse scriptitent. Si Arithmeticæ gnari sunt, supputent rationes accepti & amissi. numero navium, quas misit Rex, subducant perditas, & reliquo lucro sibi plaudant. Nisi ex Meneni sunt gente, sciant, victores triumphare, non victos. Si quod scripsere, sentiunt, ex Principis sui luctu, ex Ocquendi apud Morinos mora & vilipendio, ex ducum & militum, qui evasere vultibus, ex captivorum censu, ex Britannorum testimoniis, colligant victoriam. Ejusdem dementiæ reus fuit Bernardinus Mendoza, Hispani apud Galliarum regem legatus. Disjecta namque & dissipata classe Hispanica anno millesimo, quingentesimo, octoagesimo octavo, missis sine mora Madritum veredariis, victoriam suorum Regi nunciavit,

ciavit, & excusum de ea libellum Parisiis circumferri fecit. Annus jam excurrit quinquagesimus, quo de illa classe nobiscum triumphavit Britanniarum regina, ut hunc ipsum, qui jam proxime sequitur, Iubilæum nobis indulserit divina clementia. Non loquar paradoxa, si præsentem triumphum illi præferam, quem tunc de potentiore & numerosiore classe retulimus. Quid enim? illam vna vicimus, hanc soli. Tunc portui Duynkerkano invigilasse, partium nostrarum fuit. Hic totum mare pro belli arena fuit. Tunc Britannia primo petebatur à Philippo. nunc primo nos. Tunc augustissima Elizabetha communi nobiscum bello innexa, eandem ob causam, pugnabat. nunc Fœderato Britanniæ rege modesti & grati fruimur. Tunc tempestate magis disjecta classis, quam pugnandi virtute. nunc virtute nostra, Dei Optimi Maximi auspiciis, vicimus. Tunc præmia pugnæ Britannis cessere, jam concordi Belgio. Tunc è navibus centum & triginta quinque, una bellica, triginta onerariæ evasere. nunc viginti & septem. Tunc classi præfectus Medinæ Sidoniæ dux, militiæ rudis, sed genere splendidus & opum validus. nobis res fuit cum Præfecto, cujus in mari Atlantico sæpius probata fides & studium. Tunc cum patre Michaële Ocquendo, non infima classis istius parte, jam cum filio Ocquendo summo classis duce, pugnavimus. Tunc novis auxiliis, quæ in portu Morinorum asservabat Parmensis, refocillari fessa classis nequiit. hic militum & navalium virorum centena aliquot in Britanniam Duynkerka transvecta, novum robur quassatæ classi dedere. Tum profugis Hispanis nec Britannia nec Hibernia patuit. Nunc afflictos sola-

ta est Britannia. Tunc Henrico Borbonio, ad regnum, obnitente Hispano, contendenti, clades ista belli levamen fuit. Nunc, ob societatem majoris belli, LUDOVICO filio Regi non ingrata præsens hostium calamitas evenit. Incidit prior victoria in natales imperii nostri. hæc in ea tempora, in quibus adultæ reipublicæ felicitatem vicinorum Principum arrodit æmulatio.

Quare Vobis PATRIÆ PATRES, illustre hoc & luculentum novæ gloriæ & famæ argumentum gratulor. Quod sapienter & juste imperavistis, potenter impetrastis. Si unquam, nunc cavendum fuit, ne maris potiretur Tagi rector. Imminebat jugulis omnium nostrûm Hispaniensis sica, & nisi avertissetis ictum providi, in viscera jam descendisset Bilbilicus ensis. Pergite muris ligneis tueri cives, cum lapideis non est locus. Non in civitate, non in mœnibus consistit civitas, sed in civibus ipsis. Cum navigatis, navigat reip. non contemnenda pars. Ædificia vultis? etiam naves ædificia sunt. urbes condere vultis? condite classes, ubi familiæ quoque in societatem coalescunt. Semper prævaluere Principes, qui classibus potiores fuere. Per tot annos rebus per Oceanum præclare gestis suspiciendum nomen vestrum fecistis. Ostendistis & nunc, nihil interesse virtutis, an equis an navibus, an mari an terra dimicaretis. Ambiguos habuit cives vestros, non Vos, an ista rerum facie, illo loco, ubi Dunæ Britannicæ sunt, & quem veneranda Britannorum majestas sibi ut proprium vendicat; justum esset, hostem invadere. Verum liceat liberum verbum in libertatis regno effari: Necessitas Patres ante rationem est, maxi-

me

me in bello; quo raro permittitur pugnandi tempora ad clepsydram exigere & loca conflictus decempeda anxie definire. Conclusæ hærebant Hispanicæ naves in Albionis statione, sub regis summi, ut videbatur, patrocinio, ut quantum in nobis esset animi, ob metum regiæ majestatis, experirentur. Haud dubium, si neglexissetis Hispanum, arma nobis trans mare inferentem, contempti & Britanno & ipsi Hispano & finitimis fuissemus. Nunc postquam, læsi primum, invasistis, & invictos Vos hostium pernicie probavistis, quis dubitabit patere victoribus maria? Fallitur, qui terminos gloriæ vestræ & publicæ utilitatis filo metiri cupit. Eundum, quo nos fluctus & mare ducere non detrectant. Cum in vado hæremus; alterius simus. Disputent de aquarum terminis Themidis sacerdotes. Principibus pro jure est omne illud, sine quo salvus non est civis. Fuit tempus, & meministis adhuc, quo sine grandi querela, æstuaria vestra violari patienter tulistis. Permittunt jura, ut feram, ut facinorosum in alieno territorio persequamur. Et quis Hydram hanc in angustias Britannicas & alienas quasi aquas protrusam persequentis esse infitias ibit? Si per agrum vel vicinam fossam transire volens compertus latro, ædes incendio, jugulum jurato ictu petat, clamat natura, in via opprimendum latronem, nec expectanda fori judicia, dum periculum est in mora. Hispanum sub littoribus placidissimi Regis morantem & exitio nostro devotum invadere, cui religio fuerit? Nec dissentient Trebatii, postquam *victrix causa Diis placuit*. De Geometris & terræ mensoribus multi multa legimus. De Thalassometris, de maris mensoribus, nihil.

hil. Nescit Solem proprium natura, nec aëra, nec mare. Venimus in publicos navigantium secessus & atria, quæ Deus, turbato tempestatibus mari, non uni populo in refugium, sed omnibus concessit. Venimus & cunctis auramque undamque patentem hostili sanguine tinximus. Non patitur sibi præscribi æquor, qui illud, cum vult, in potestate habet, & discussis obicibus ferro viam aperire potest. Improbum, ea parte Oceani nos privari, qua spiritum trahit Respublica, qua respirat & vivit mercator, tinniunt æraria, opes mercesque cum Aurora, Austro, & Occasu permutantur. Majus dicam. Certavistis pro Britannorum jure, & ab hoste, Regis severissimas voces spernente, pœnas poposcistis. Etiam illud nefas Hispano, stationem hanc cum classibus occupare. nec occupavimus nos, nisi postquam ipse occupasset prior. Istam audaciam ulti estis pro rege, cum ob classis Hispanæ potentiam, non posset tunc ipse. Quare libertatem, Patres, quam nemo bonus, nisi cum anima, amittit, defendite & pressis manibus tenete. Asseruistis illam armis, quam armis pepererunt majores nostri. Oceanum jure communi ad nos quoque pertinere testatum fecistis. mare clausum ab Hispanis, non scriptores, sed bellatores, non papyro, sed ignibus, non calamis sed æratis siphonibus reserastis. Hoc facto immensum decus authoritasque accessit imperio vestro, decessit Hispanico. Hoc facto exteris Principibus & cum Austriaco luctantibus, rediit virtus vigorque pristinus. Hoc facto timent, qui vos terrent.

Tu vero, Celsissime Princeps, FREDERICE, reliquis lauris hanc primam, hanc summam attexe. quæ tot Victoriarum laudem magnitu-

gnitu-

gnitudine sua transcendit. Dum urbes vincis, de terrarum non magnis partibus triumphas. Hic triumphus asserti maris est. Invicta expugnavisti oppida & castella & arces, sed singula singulis bellis. Nunc, quot mersisti Architalassus Regias naves, quot abduxisti captas, tot oppida & arces, una expeditione, paucorum dierum spatio, subvertisti, & diripuisti. Dixit te Celsum Gallia, non fecit. Fecit te Superûm favor & præsens victoria. Regum augusta appellatione inclarescis, & merito tuo. Navalis hic triumphus, tuus est, quia te imperante, te res moderante, tuo milite parta victoria est. Vicit, quisquis pugnavit. Pugnavit maxime, qui pugnam jussit & instruxit. Hæret adhuc Fortuna, ubi gloriæ tuæ terminum ponat. Oceano & terra Felicitati tuæ viam pergit sternere, & promovet se ulterius. Auriacum nomen non tubæ solum, sed & classica differunt. Themistoclem Salamis, Xantippum Carthaginis portus, Gylippum Spartanum Ducem Siculæ angustiæ evexere. Te Dunæ Britannicæ, te portus Iccius, te Cantium, te Tamesis, & quotquot ad certamen hoc concurrere littorum, promontoriorum, fluminum, stationum nomina, celebrem fecere.

Iam vos Hispaniensium Duces, si Batavum animosius loquentem ferre potestis, discite, nihil tam firmum validumque esse, cui periculum non sit à minus valido & potenti: aquilas minorum avium pabulum subinde fieri: pressum hostem consilium in desperationem vertere, & tunc extrema moliri, cum mediocribus defendi salus nequit. Venistis ad nos è Coronæ portu, quasi in Brasiliæ & Galiciæ sinubus non esset locus, ubi Gallis vel Batavo victimas

debca-

debeatis. Natura prius est, ut cum vestra defenderitis, aliena eatis ereptum. Hæret in littore vestro Gallus, & longe à patria petitis innutritam pelago gentem. Vestris indigenis decedat timor, priusquam aliis inferatis. Cladium vestrarum, quas mari passi estis numero sapite. Idem hoc fretum Britannicum fidem faciet, quo hausta classis toto orbe celebratissima. Num Bossusio creditis? quem in Flevo pugnantem captis navibus vinximus? num Frederico Spinolæ? cujus potentissimas triremes, interempto duce, Zelandus abstulit? num Iohanni Nassovio? cujus totam classem ad Tholam una cum ducibus & militum ingenti manu non ita pridem cepimus & in portus nostros abduximus? Non semper temeritas est felix. & jocatur in parvis benigna sors, ut cum operæ pretium erit, magna mercede fallat. Superioris anni successibus insolentiores, militem nostrum indigne habuistis, & turmatim per civitates, per fora, per compita plebis vestræ ludibriis exposuistis. Meminerit Celsissimus Cardinalis, Franciscum primum Galliarum regem, cum à proavo Carolo Imperatore in Hispania captus detineretur, grandi charactere carceris sui parietibus inscripsisse, HODIE MIHI, CRAS TIBI. Versa rerum facies est, & ut Capua olim Hannibalis Cannæ fuerunt, ita angustiæ Britannicæ Cardinalis Calloa.

At Tu Generosissime & Fortissime Heros, Martine Trompi, vige & vive æternum rerum gestarum fama. Quo die memorabile hoc edidisti prælium, fidem fecisti omni Europæ, nondum cum Scipionibus, Regulis, Cimonibus, Duilliis exstinctam esse fortitudinem. Audax, fateor, visum fuit consilium tuum. sed in re-

bus

bus arduis & tenuibus, fortissima quæque consilia tutissima sunt. Nam si in occasionis momento, cujus prætervolat oportunitas, cunctatus fuisses, nequicquam mox amissam quæsivisses. Certat civium quisque, quibus te honoribus, quibus applausibus reducem excipiat. Ipsos illos Deos, Neptunum, Æolum, Tethyn, Vulcanum, quorum favore vicisti, gratulantes tibi offerunt. In te civitates singulæ, in te ora convertunt cives. Omnium vox est: *dignus cui militet æther, Et conjurati veniant ad classica venti.* Vicisti animositate, peritia rei navalis, & Patrum authoritate, quæ in discrimine fuit, an post hanc diem tanta foret. Macte, Trompi, felicior populi totius, Ecclesiarum & Scholarum acclamatione, quam qua modo exultabas victoria. Vive, id facinus ausus, quod finitimi stupent, mirantur Belgæ, horret Hispanus, & sera secula posteritasque omnis enarrabit.

Tibi summe, maximeque Deus, maris Imperator invicte, supplices gratique advolvimur. Tuum est, quicquid grande stupendumque fecimus. Tu, ut auderet imperator noster, dedisti, tu ut posset. Risisti è cœlo navigantem cum fastu Hispaniam & potentissimum Regem fluctibus potentior mersisti, rates dissipasti, exussisti, diripuisti. Tu ventis imperasti, ut flarent pro nobis. Favonios ex occultis tuis thesauris produxisti, deducendis in hostem ratibus. Euro in mandatis dedisti, ut sisteret superbas machinas, ne circumdaremur pauci. Duces prudentia, militem fiducia, & mortis contemptu armavisti. Hæc vidisse nos, hæc audivisse, hæc te Iehovam fecisse filiis nostris & nepotibus narrabimus. Canam cum Mose tuo: *Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus mihi in salutem.*

glori-

glorificabo Deum meum, Deum patrum nostrorum & exaltabo eum. Dominus quasi vir pignator, omnipotens nomen ejus. Rates Philippi, *& exercitus ejus projecit in mare, electi principes ejus mersi sunt. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis. Dextera tua Domine celebrata est fortitudine, dextera tua percussit inimicum. In multitudine gloriæ tuæ vicisti adversarios meos. Misisti iram tuam, quæ illos devoravit, ut stipulam. In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, flavit spiritus tuus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in vastis aquis. Quis similis tui inter fortes Domine, quis similis tui, qui magnificus es in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.* Da, æterne Deus, ut victoriam hanc habeamus reverenter, & victores hostium nostri victores simus. nec pacis consilia aversemur, cum tuta offertur. Loquar summa: Fœderati Belgii rectores, pios, potentes, felices, Celsissimum Auransiorum Principem, Patriæ patrem vindicemque indefessum, classis nostræ Præfectum, hodie victorem, crescentis per te Amstelæ felicitatem, Ecclesias, Scholas, cives, mercatores, & devotam Patriæ Iuventutem protege, defende. Ita nomini tuo æternum sit laus, honor, gloria.

DIXI.

RECITATA

Fuit in Illustri Amstelodamensium Gymnasio, 1639.

ORA-

ORATIO,

In adventum Sereniſſimæ Reginæ,

HENRICÆ MARIÆ,

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ,

um Auguſtiſſimam Filiam MARIAM, *Celſiſſimi Auranſiorum Principis* FREDERICI HENRICI *filio*, GVILIELMO, *Matrimonio junctam, Fæderatarum Provinciarum terris Vrbibuſque inferret.*

VPer Auguſtiſſimam MEDICEAM, trium Regum matrem, excepit negotiatrix Civitas. Iam Mediceæ Auguſtiſſimam Filiam, Regis Maximi conjugem & Mediceæ Neptem venerabunda ex-. Succedunt Soles Solibus & per vices inter rum Dominas, mundi Imperatrices, inter pæi Orbis ſidera & Reginarum Princiue fulgidos vultus ambulamus. Vt jam iiter poëtarum licentiam; qui IOVIS TAPLENA dixerunt. Quorum ope præe in hunc diem invicti ſtetimus, eorum tate, velluti Deorum, circumfundimur. nus intra pomœria noſtræ Libertatis nodices; & eorum Regum uxoribus, iis ibus aſſurgimus, qui Imperii hujus tibint & fulcra. Gratiam iis rependimus, potenti amicitia nixi crevimus. reddiriæ aliquod authoramentum, quorum auxiliis pugnavimus. Eorum ora coemur, quorum ſerenitate afflictis olim

Q reddita

reddita lux est. Tangimus dextras grati, quæ hostem Potentissimum à cervicibus nostris una depulere. Adoramus proni, quorum fœderibus, fide, fortitudine adjuti, in hanc imperii sublimitatem evecti, domi inexpugnabiles, foris formidabiles sumus. Fecere, quod suarum est partium, vicinæ civitates. Quæque propensissimæ suæ in Regiam Majestatem voluntatis documenta edidit. Arsere ignes, visi civium ubique & populorum concursus, auditæ acclamationes & applausus, displosæ Mavortis terribiles machinæ latius diffudere adventantis Reginæ famam, paratæ epulæ, factæ à Patriæ Patribus & Celsissimis Principibus gratulationes, faventium passim vox una fuit & oratio. Vrbs nostra, uti commerciis quaquaversum celebris est, classibus omnique apparatu bellico validissima, ædium pulcherrimarum stupenda serie fulgida, templis fabricisque pluribus spectabilis, portuum oportunitate & amplitudine admirabilis; ita officii quoque sui esse credit, ea omnia in adventum Serenissimæ Reginæ explicare, quæ vel admirationi esse possunt, ob rerum magnitudinem & splendorem, vel delectationi ob elegantiam & novitatem. Equidem, ita semper statui, Superis amorem, obsequium, reverentiam deberi. Astra suspicimus, quia calore suo nos fovent & lumine illustrant. AVGVSTISSIMÆ REGINÆ adventum ad nos gratulamur, cujus regalis familiæ armis auxiliisque etiamnum pugnamus & triumphamus Batavi. Reflectitur in eam amor Reip. nostræ, quia amavit illam prior, dum gentem invisit sublimis mater, quam post gloriosissimæ & æternæ memoriæ ELIZABETHAM, in clientelam quoque suam recepit. Reveremur
eam,

eam, velut ſalutare ſidus, quia terris noſtris annuendo, ea perficere venit, quæ felicitatis omnium ſunt. Scimus, quibus quantiſque nominibus illi debeat Fœderatorum populus. Si Britannias ſpectes, imperant hæ fœderis jure illa, quæ ultro ac lubentes facimus. Sin Gallias, exigunt & illæ, quæ non niſi ingrati negligamus. Obverſatur animo, quam modo nominavi, Magnæ Britanniæ & Hiberniæ imperatrix feliciſſima, HENRICI OCTAVI Filia, Aviæ Britanniarum Regis cognata, quæ vagientem hanc Remp. ac tyrannide pene oppreſſam, opibus ſuis, & milite prima aſſeruit. Obverſatur animo Sereniſſimus IACOBVS, Scotorum ejus nominis Rex ſextus, Auguſtæ memoriæ, Reginæ ſocer, qui placatus Hiſpano, & bellis noſtris neutrum ſe præbens, regna ſua portuſque noſtratium mercimoniis aperuit. Accedit tantis cauſis CAROLI I, conjugis, & Britanniæ, Scotiæ, Hiberniæ Regis, erga nos conſtans benignitas: ut qui patriæ virtutis & regnorum hæres, paribus, quibus genitor ſuus, ſtudiis, Fœderatarum Provinciarum ſtatum tuetur ac propugnat. Quanta HENRICI MAGNI, quo Patre gloriatur, erga Remp. hanc merita ſint, non inviti agnoſcimus. Galliæ ſuæ ſuffectus Hercules, dum humeris concuſſam & labefactatam inteſtinis motibus imperii molem ſuſtinet, iiſdem, quibus Galliam omnem, etiam nos cervicibus libravit, & quæ flagrantibus bellis in immenſum excreverant nomina, magnifica liberalitate expunxit. LVDOVICVS XIII, Frater, Regum Chriſtianiſſimus, eo fœdere, quo Fœderatos Patres Populumque noſtrum obnoxios habet, pro communis nobiſcum belli gloria, & utriuſque Imperii libertate, etiam-

num decertat, & Hispanorum potentiam retundendo, luculentas nobis expugnandarum urbium arciumque occasiones præbuit. At his omnibus recentius sunt regales Nuptiæ, quibus Celsissimi AVRANSIORVM Principis Filium dignata est. Amnectit sibi Principem, cui annexi sumus nos. Generum nuncupat, quem nos futurum Patriæ patrem. Nubit Filia Duci, sed nostro. nubit conjugi, sed omnium custodi. Tanti conjugii vinculis alligat Britanniam Belgio, & salutem tot gentium, quibus imperat, permiscet nostræ. Qua fide se amplexantur Principes duo, amplexantur se populi. Qui regnantium, idem & regnorum civiumque est amor. Idem thalamus terris hisce robur & gloriam, inimicis terrorem adfert & metum. Iisdem nuptiis gratiam facit Belgis, hostibus invidiæ materiam præbet. Quem socerum sibi adsciscit regalis Filia, adsciscit bellatorem. quem socerum adsciscit AVRIACVS, adsciscit regnatorem. altera triumphatoris gloria, alter triplicis Imperii rectore gloriabitur. altera majestate maxima, alter Martia patris potestate & tot victoriarum fama: altera fulgens sceptrorum, alter armorum luce: altera Regum augusto sanguine, alter Cæsarum affinitate & cognatione illustris. Altera Oceanum amicis aperit, alter eundem inimicis objicit. Quam Sponsam fecit mater, fecit Gubernatricem. Quem Sponsum fecit nova mater, fecit generum Imperatricis. Vniit cœlum duos & cum duobus septem belli sorores. Vniit illas Religio & Libertas. Has Regis Filiæ adunat omnium sperata securitas. Amicitias Regum nobiscum firmat, ne Regis infestissimi inimicitiæ nos perdant. Ne pereamus

vicini,

vicini, prosapiam suam diffundit inter nos, quæ Hollandiæ sospitatrix fuit ante nos. Adspicit Regina terras, quas asseruit in Patre. Adspicit terras, quas asserit in conjuge. Adspicit terras, quas asseruit & asserit in Fratre. Magnis appellationibus salvi sumus. hinc Christianissimis, inde Fidei defensoribus. Et qui pro Fide pugnamus, à Fidei tutelaribus Principibus defendimur. Ipsa Christi & Fidei vocabula in auspiciis sunt. In his signis cum Constantino vincimus & Hispanienses Maxentios fatigamus. Quibus aquis huc vecta est, primum mercantibus, mox sociis & fœderatis, jam conjugio junctis gentibus communes sunt. Quos rectores distinguit natio, confundit thalami appellatio. Qui Britannus nascetur ex Britanna, Batavus erit ob patrem; & qui Batavus nascetur ex Batavo, Britannus erit, ob matrem. Coalescent animi omnium, cum coalescent corpora duorum. Quod littus appulit, Hollandicum est jure, Britannicum suo in nos amore. Quod reliquit, Britannicum est jure, Hollandicum nova lecti societate. Quas urbes ingreditur, Patriæ sunt fide, & juramento, Reginæ affectu & obsequio. In Britanniis regnatrix est. Hic altera, post matrem, gloriosissima hospes. Illic lucet populo suo, hic amicis & sociis indulgentiam facit luminis sui. Illic domesticum Numen est, hic peregrinum, si modo peregrinum dicendum sit, quod in familiam transit Gallicæ secum originis. ut nata Britannis suis Filia, nobis divinitus concessa videri possit. Maximæ Matris, VICIT ITER DURUM PIETAS. Ne solatii expers sola veniret MARIA, comitatur eam trans vasta maria. eo truditur charitate, unde avocatur discrimine. Dividit cum marito Rege maximarum re-

 rum

rum curas. & dum ille de Imperii sui tranquillitate sollicitus est, hæc de regia posteritate nobiscum cogitat. Ille regno quietem cum regni Proceribus quærit. Illa familiæ Augustæ nepotes & munimenta, quibus insistat. Nec enim satis putat regnare se, sed superesse vult ex se, qui populis vel suis vel exteris imperent post se. Etenim Principem nasci, excellens quiddam est & singulare, sed Principes genuisse, excellentius. DIS GENITA ET GENITVRA DEOS. Et nunc Potentissima Princeps in ea sede & arena stat, quæ diutini belli, tot præliorum, tot Ducum, tot victoriarum area est & circus. Inter armorum nostrorum strepitus, inter Mavortios furores, inter lituos & classica, inter tubas & tympana, inter faces globosque, galearum hastarumque concursus, transfert Regale & imbelle depositum. Vbi Marti litamus hominum victimis, cataphracto Principi Nuptiarum adfert argumentum. Vbi tumultuatur Bellona, concurrunt armati exercitus, hostis hosti in spolium cedit, BONA DVCIT AVT DOMVM, QVAM NVLLO REPETET GRÆCIA MILITE. Vbi trophæa terra marique parta ex Aularum laquearibus & templorum fastigiis dependent, flammea parat tenellæ conjugi. Scilicet publicæ salutis causas distinguit & privati amoris. Nec deesse vult gloriæ Auriacorum, consulendo sibi; aut splendori Reip. nostræ, ut sola sobolis fruatur suavitate. Eam dum soli Auriaco elocat in uxorem, omnibus nobis elocat in commodum. & quod illi à sceptris & regia domo adfert decus, etiam singulos nos illustriores reddit. Ad eas jam gentes profecta est, quas simplicitas, & candor, & in exteros humanitas, in Principes reverentia commendant. Iis populis

populis circumdatur, quos orbis victrix Roma fratres sociosque Imperii sui vocavit. Iis civibus, quos exemtos oneribus & tributis illa ipsa gentium terrarumque Dea Roma in usum præliorum sepofuit, & velut tela & arma bellis reservavit. Nunc quantum excellit potestatis fastigio, tantum fas est nos deprimi regiæ Majestatis veneratione. Solem in sublimi positum ex humili tellure contemplamur. Hanc in totius Europæ luce positam demissi honoramus. Venit olim Romam Agrippina, Germanici uxor, sed cunctis ad tristitiam compositis. Venit jam Britannorum Regina ad Batavos, sed cunctis ad lætitiam compositis. Venit illa feralem urnam mariti adportans. Venit Regina, genialem Sponsam Auriaco adducens. Portabatur Germanicus tribunorum centurionumque humeris, atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum solennia cremabant. Portantur nunc triumphalibus curribus regia mater cum Filia, præcedunt signa habitu ornatuque comptissima, & quacunque gradiuntur purpurata nomina, plausibus obvii & conclamationibus cives benevolentiam testantur. Accensa omnium in eam studia, hanc decus Patriæ, Henrici Magni sanguinem, verum regiæ dignitatis specimen appellant. Talis Placidia Honorii & Arcadii Imperatorum soror ex Hispania in Italiam venit; Constantio nuptura, & publicis gratulationibus excepta, velut humeris Romam reducta fuit. Talis Serena magni Stiliconis uxor, relicto Tago, Tiberim conscendit, uti hæc relicto Tamesi Mosam. Nec minore applausu, superiore sæculo, ingressa Belgium fuit.

MARIA, Caroli Quinti Cæsaris soror, qui proavunculus Medicææ fuit, cum fratris nomine Belgii regimen capesseret. Neque novum hoc ac inauditum ante, Britanniarum Reges & Nassovios vel belli vel thalami fœdere jungi. Sæcula penè quatuor sunt, ex quo Adolphus Nassovius Imperator cum Edovardo Britanniæ Rege in belli societatem venit. Sæcula tria sunt, ex quo Reinoldus Nassovius Geldriæ Dux, Leonoram Edovardi Secundi Britanniæ Regis filiam, & Edovardi Tertii sororem, conjugem accepit. Nec diu post Maria Ecmondana Nassovia Iacobo Secundo Scotorum Regi nupsit, ut amicitiam domus Nassovicæ & Regum Britanniæ Scotiæque sæculorum diuturnitas ratam firmamque habeat. Et, cum Imperiorum omnis celebritas vel ab armis sit, vel rectorum dignitate, vel à commerciis, fœderibus, nuptiisque; nos, qui armis hactenus inclaruimus, qui Cæsares Regesque Dominos salutavimus, qui colonias cum mercimoniis in utriusque Solis domos diduximus, qui fœderibus tot Reges nobis junximus, Nuptiis quoque inter Augustas hinc Regum, inde Comitum Nassoviorum familias contractis, securitatem domi, famam apud exteros & olim & nunc auximus. Laudati sæpius non solum Romanorum Imperatores, sed & Imperatrices fuere. De Reginæ laudibus quicquid magnum dixero, infra magnitudinem erit Imperantis; quicquid mediocre, minus fuerit augustæ stirpis gloria. Regina est imperio, sed subditorum suorum mater verius, quam domina. In marito conjugis amorem Regisque reverentiam distinguit. Regiorum liberorum curam neque indulgentia minuit, neque charitatem frangit majestatis formi-

formidine. Ea est magnanimitate, ut æquissimo animo sustineat, quicquid iniquius infertur, & fati impetus lenitate superet. Sibi imperasse, quam aliis, gloriosius putat, raro exemplo conspirantis in una Sapientiæ & Fortunæ, Modestiæ ac Potentiæ. His virtutibus debemus, quod Filiam natu maximam, Principi Belgæ junxerit, se vero Senatui Populoque Amstelodamensi hoc die Augusta ostenderit. Quam dum suspicimus, regiarum virtutum officinam, reginarum Principem, Europæ ocellum, status nostri sidus beneficum veneramur. Trium regnorum commerciis dudum gavisi sumus. in præsentiarum ipsa trium regnorum Præside. Vna in omnium ore Regina est, potestate imperatrix, conjugiis agnationibusque potentissima. Quid enim? Franciam fraterno titulo alloquitur. Hispaniam Sabaudiamque affini, ut jam hinc Alpes, inde Pyrenæos cognatione insederet. Nec à Septentrione aliena, Cimbrorum Regem avunculum appellat. Paternum genus ex Borboniis, maternum ex Austriacis & Mediceis trahit, ut & hodie in florentissima Italiæ parte magnos Hetruriæ Duces propinquitate tangat. HENRICAM vocamus, quia HENRICI MAGNI filia est. MARIAM, magnæ matris de nomine. Prior appellatio magnanimitatem Patris. posterior pietatem promittit. illa in terris magnis Principibus communis, hæc cœlesti cognomine illustris. Possem ire per omnia nomina, quæ conjugi Fides sua, Fratri Christiana sanctitas, affini religionis studium dedit. Possem Catholici, Christianissimi, Iusti, Pii, Fidei defensoris epithetis insistere, quæ vel Romanæ sedis autoritas vel Procerum Populique benevolentia con-

cessit: sed alia ex ista materies, & suo debita secreto. Nunc, quod hujus diei est proprium, gratias Regiæ Majestati agimus, quod Deorum exemplo, cœlesti ostentatione, augustis præsentiæ suæ radiis Vrbem hanc nostram illustraverit: Optimates Reipublicæ hujus vultus sui serenitate irradiaverit; civium omnium animos insolito gaudio erexerit, & æternis honoribus, tot mercantium ordines prosecuta sit. Veniet, post tot sæcula dies, quo dicet memor posteritas, hac incessit Britannorum Regina, hic turres nostras, hic templa, fora portusque adspexit Regis uxor, hic classes circumnavigavit tot Regum soror, hic mensis accubuit HENRICI MAGNI filia, hoc cubile conscendit Majestas Britannica, hac currus egit & equos AVRIACVS & STVARTA conjuges. Nos, qui præsentia hæc intuemur, in voces gratulantium erumpimus, & totam Tibi urbem REGINA, & tibi Celsissime FREDERICE HENRICE, & quotquot huc venistis magni Principes pandimus. ejusque decora omnia & honestamenta devovemus. Amplissimus Senatus pronis animis venientes excipit, & civitatem omnem hoc tempore non tam suam esse vult, quam vestram. Vobis præeunt Equitum è populi flore selectorum turmæ. Vobis hastas concutiunt civium armatorum centuriæ omnes. Vestro nomini vacationem ab opere tota sibi imperavit civitas. Vobis explosæ undique balistæ terribili voce gratulantur. Vobis spectacula, theatra, ludos facimus. Vobis & geminarum Nuptiarum felicibus auspiciis vota nuncupant sacrorum antistites. Vobis loquitur illustris hæc Schola. & dum loquacem populum facit publica festivitas, rumpit silen-

silentium professor. Tumultuantibus ubique & cursitantibus Atheniensibus nostris, ecce suas quoque partes obit, ne otiosus videatur spectator, philosophus. Nec aberit ab his sacris Poëta. Ubi de nuptiis agitur, de Reginarum Principumque adventu, alio sermone mihi loquendum censeo. ut mirabili metamorphosi,

Iam jam residant cruribus asperæ
Pelles & album muter in alitem
Supernè, nascanturque leves
Per digitos humerosque plumæ.

Enimverò

Altera jam nostris mater Berecynthia terris
Cernitur, & Regum præbent spectacula nuptæ.
Nil facimus vulgare. Deas natasque Deorum
Excipimus, Batavisque favent clarissima mundi
Lumina. sceptrifero cursus splendescimus ostro,
Purpuraque imperiis se bellatricibus offert,
Et Tamesina Duci Majestas obtigit hospes.
Prô Superi, quanti vultus, quæ sidera Belgas
Irradiant! quantis ad nos descendit Olympus
Ignibus, æthereaque petunt declivia flammæ.
Anne humiles repetunt cœlestia numina terras?
Perque hominum gaudent iterum consortia summi
Ire Ioves; nostraque patent Iunonibus aulæ?
Illa Iovis Druidum soror est, conjuxque Britanni,
Et Tartessiaco thalamis annexa Philippo.
Illa suis Cimbrûm jungit diademata sceptris
Neptis & Allobrogum tangit germana cubile
Europæ prælustrè jubar, quocunque tuetur,
Regna videt cognata suis, dilectaque regum
Nomina, vicinumque suo de sanguine passim

Spectat ebur. Magni fortunatissima Regis
Filia, Borboniæ germen sublime tiaræ,
Hoc stas, Diva, loco, Tethys unde omnibus undis
Naturæ dispertit opes & munera Divûm
Colligit & totum mittit spaciosa per orbem.
Hic emitur, quidquid rerum est. si sufficit emptor,
Hic mundus venalis erit. nos accipit Arctos,
Nos Thule, nos extrema, qua transtra vagantur,
Orcades, egelidæque vident in finibus Vrsæ
Hebrides & pandis ardens fornacibus Hecla.
Hic merces, Regina, tuas, hic dona tuorum
Distrahimus. jam sulphureis quam Scotia mittit,
Materiam truculenta globis. jam fulgida stanni
Pondera & è vestris, Princeps, excisa metalla
Montibus, aut rutilo radiantes murice lanas,
Et tua quas donat segetes glacialis Ierne.
Sedibus his Indos petimus, Solisque penates
Auroræque domum Auriacis incessimus armis.
Et terras portusque tuis, FREDERICE, *notamus*
Nominibus, gaudentque tuo mansuescere gentes
Numine, Nassoviæque volant per odora phalanges
Rura Moluccarum. jungunt tua fœdera Gangen
Battavia & diti Vahalim connectis Hydaspi.
Magna parens HENRICA, *cupis devicta videre*
Littora Pantagonum, subreptaque mœnia Phœbo
Exutasque rates formidatasque Matancæ,
Sub Belga ductore, manus? hic texta tapetis,
Hic tabulis depicta leges. vis bella tueri
Gesta mari, quæ se Herculeis Dux Belgicus ausis,
Intulit Hesperiis claro Mavorte columnis,
Hic facti monumenta patent, victoris honores,
Et cineres tumulusque Ducis. si, Maxima, gestis
Cernere nascentem mediis è fluctibus urbem,
Suffultasque domos trabibus conversaque Fauni
Culmi.

Culmina, nos hoc omne sumus. portaris in undis,
Et tua Parrhasia librant vestigia silva,
Et calcas secura lacus. numerare triumphos
Si lubet & domitum Solis sub curribus Afrum,
Attonitamque Peru, & Scythici discrimina ponti
Tentatumque gelu, jampridem victa Malacca
Mœnia, perculsum aurifero sub sidere Nigrim,
Æthiopumque domos & tot subducta Philippis
Oppida, quæ forti possit tam grandia dextra,
Adspice Neptuni sobolem, classesque ratesque,
Ingentis terrorem Asiæ regumque ruinas.
Regnatrix, quam te latis comitatus euntem est
Vocibus Albionis populus, cum littore toto
Staret & unanimes votis favere Britanni.
Regnatrix, quam Te venientem lenior unda
Vexit & immensa thalamos & fœdera ponto
Personuit concha Triton & fausta tiaris
Dixit, ut Æmonii properans ad limina Pelei
Sponsa Thetis, nullo turbari murmure fluctus
Sensit & à madidis accepit vatibus omen.
Venisti tandem. Tuque exspectata Batavis
Nympha venis, nostrisque infers regalia terris
Lumina, & innocuis arrides lenis ocellis
AVRIACO, *teneroque moram deposcis amori.*
Mox erit illa dies, cum te pollente juventa
Invadet matura Venus. tunc sanguine Regum
Nascetur nobis Belgi defensor Achilles.
Qui face bellaces ferroque sequetur Iberos,
Et patria audaces abscondet casside vultus
Belliger, exacuetque truces mucronibus hastas
Martius, & qua se condunt sub Vespere gaza,
Ibit & Occidui latebras rimabitur auri.
Qualis in ore decor MARIÆ! *quam blanda venustas!*
Quanta puellarem excellens reverentia sexum
Majestate tegit! quam fulgens purpura flammas

Spirat & insontes radiis exuscitat ignes!
Sic ibat socias inter Dictynna sorores
Parvula, sic juvenem comitata est Porcia Brutum
Laodamia virum. sic primis excita tedis,
Itala nascenti conjux collusit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas,
AVRIACI *crescentis amor, felicibus illum*
Auspiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavusque facit. quo fœdera tecum
Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
GVILIELMVS, *spes nostra, facis. quæ lumina nuptis,*
Præradiant Patriæ. facibus, queis Sponsa coruscas
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Quæ vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Scotus amat. plus jungimur illi.
Et propius nos Anglus amat. plus jungimur illi.
Plus Hibernus amat, nam plus unimur & illi.
O Patriæ communis amor, quæ basia figis,
Septemplex quoque terra capit, quæ blandula torques
Lumina, cognatis circum te gentibus offers.
Quæ loqueris, cedunt cunctis solatia terris.
Quæ facies, fessis promittunt otia terris.
Crescite Nassovii, rectores crescite Chauci.
AVRIACOQVE *duces alios donate parenti.*
Crescite Nassoviæ, & victor cum castra maritus
Solvet & occurres bellaci nupta Camillo,
Insere basiolum galeæ, cristamque minacem

Mulce

Mulce læta manu. & Martis post horrida salvum
Prælia, dilata Veneris meminisse, jubeto.

Sed redeo à furore poëtico ad sanam mentem, & postquam vota publica collegi, tantis rebus, ut fas est, admiscebo Deum. Æterne Deus sospita Reginam, Regis conjugem, Regis filiam, Regum sororem, Regis affinem, Regis neptem. Sospita Reginæ Filiam Auriaci conjugem. Sospita AVRIACOS Patrem Filiumque, imperii hujus Gubernatores, Patres, vindicesque. Sospita universam Nassoviorum domum, servandis nobis velut Fato destinatam. Benedic augustis Nuptiis, Benedic nuptis, PIIS, AVGVSTIS, FELICIBVS, tantisque Reip. hujus & AVRIACORVM successibus, adde perpetuitatem.

FINIS.

CONSOLATIO

Ad Nobilissimum virum

CORNELIVM vander MYLE,

Equitem, &c.

Super obitu Filii

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS.



OBILISSIME MYLE,

Iam pridem filiæ tuæ nuptias celebrasti, quod non nisi sero, & post peractas nuptias rescivi. Nunc filii Tibi charissimi exequias celebras. Ita læta tristibus temperat sapientissimus rerum humanarum moderator, nec adeo sinceram vult esse voluptatem

nostram,

Spirat & insontes radiis exuscitat ignes !
Sic ibat socias inter Dictynna sorores
Parvula, sic juvenem comitata est Porcia Brutum,
Laodamia virum. sic primis excita tedis,
Itala nascenti conjux collusit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas,
AVRIACI *crescentis amor, felicibus illum*
Auspiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavusque facit. quo fœdera tecum
Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
GVILIELMVS, *spes nostra, facit. qua lumina nuptis,*
Præradiant Patriæ. facibus, queis Sponsa coruscas
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Quæ vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Scotus amat. plus jungimur illi.
Et propius nos [illegible] *plus* [illegible]
Plus Hibernu[illegible] *us u*[illegible]
O Patri[illegible]
Septemple[illegible]
Lumina[illegible]
Qua l[illegible]
Qu[illegible]

Mulce lata manu. & Martis post horrida salvum
Prælia, dilata Veneris meminisse, jubeto.

Sed redeo à furore poëtico ad sanam mentem, & postquam vota publica collegi, tantis rebus, ut fas est, admiscebo Deum. Æterne Deus sospita Reginam, Regis conjugem, Regis filiam, Regum sororem, Regis affinem, Regis neptem. Sospita Reginæ Filiam Auriaci conjugem. Sospita AVRIACOS Patrem Filiumque, imperii hujus Gubernatores, Patres, vindicesque. Sospita universam Nassoviorum domum, servandis nobis velut Fato destinatam. Benedic augustis Nuptiis, Benedic nuptis, PIIS, AVGVSTIS, FELICIBVS, tantisque Reip. hujus & AVRIACORVM successibus, adde perpetuitatem.

FINIS.

CONSOLATIO

Ad Nobilissimum virum

CORNELIVM vander MYLE,

Equitem, &c.

Super obitu Filii

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS.

[illegible]SSIME MYLE,

[illegible] idem filiæ tuæ nuptias [illegible] quod non nisi sero, [illegible]ractas nuptias rescivi. [illegible] Tibi charissimi exe[illegible]a tristibus temperat [illegible]umanarum modera[illegible] vult esse voluptatem nostram,

Spirat & insontes radiis exuscitat ignes!
Sic ibat socias inter Dictynna sorores
Parvula, sic juvenem comitata est Porcia Brutum,
Laodamia virum. sic primis excita tedis,
Itala nascenti conjux collusit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas;
AVRIACI *crescentis amor, felicibus illum*
Auspiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavusque facit. quo fœdera tecum
Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
GVILIELMVS, *spes nostra, facis. qua lumina nuptis,*
Praradiant Patriæ. facibus, queis Sponsa coruscas,
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Qua vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Sc[illegible]amat. plus ju[illegible]
Et propius nos [illegible] plus [illegible]
Plus Hibernu[illegible] u[illegible]
O Patria [illegible]
Septemplex [illegible]
Lumina [illegible]
Qua l[illegible]
Qua [illegible]
[illegible] *i.*
[illegible] *enti.*
[illegible] *marit*
[illegible] *o,*
[illegible] *acem*

Mulce læta manu. & Martis post horrida salvum
Prælia, dilata Veneris meminisse, jubeto.

Sed redeo à furore poëtico ad sanam mentem, & postquam vota publica collegi, tantis rebus, ut fas est, admiscebo Deum. Æterne Deus sospita Reginam, Regis conjugem, Regis filiam, Regum sororem, Regis affinem, Regis neptem. Sospita Reginæ Filiam Auriaci conjugem. Sospita AVRIACOS Patrem Filiumque, imperii hujus Gubernatores, Patres, vindicesque. Sospita universam Nassoviorum domum, servandis nobis velut Fato destinatam. Benedic augustis Nuptiis, Benedic nuptis, PIIS, AVGVSTIS, FELICIBVS, tantisque Reip. hujus & AVRIACORVM successibus, adde perpetuitatem.

FINIS.

CONSOLATIO

Ad Nobilissimum virum

CORNELIVM vander MYLE,

Equitem, &c.

Super obitu Filii

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS.

...SSIME MYLE,

...dem filiæ tuæ nuptias
... quod non nisi sero,
...ctas nuptias rescivi.
...ibi charissimi exe-
... tristibus temperat
...anarum modera-
...lt esse voluptatem
nostram,

Spirat & insontes radiis exuscitat ignes!
Sic ibat socias inter Dictynna sorores
Parvula, sic juvenem comitata est Porcia Brutum,
Laodamia virum. sic primis excita tedis,
Itala nascenti conjux collusit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas,
AVRIACI *crescentis amor, felicibus illum*
Auspiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavusque facit. quo fœdera tecum
Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
GVILIELMVS, *spes nostra, facis. qua lumina nuptis,*
Praradiant Patria. facibus, queis Sponsa coruscas,
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Qua vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Sc[illegible] amat. plus ju[illegible] illi.
Et propius nos [illegible] plus [illegible]
Plus Hibern[illegible] s v[illegible]
O Patri[illegible]
Septemple[illegible]
Lumin[illegible]
Qua [illegible]
Qu[illegible]
[illegible] ci.
[illegible]
[illegible] m[illegible]
[illegible] illo,
[illegible]

*Mulce læta manu, & Martis post horrida salvum
Prælia, dilatæ Veneris meminisse, jubeto.*

Sed redeo à furore poëtico ad sanam mentem, & postquam vota publica collegi, tantis rebus, ut fas est, admiscebo Deum. Æterne Deus sospita Reginam, Regis conjugem, Regis filiam, Regum sororem, Regis affinem, Regis neptem. Sospita Reginæ Filiam Auriaci conjugem. Sospita AVRIACOS Patrem Filiumque, imperii hujus Gubernatores, Patres, vindicesque. Sospita universam Nassoviorum domum, servandis nobis velut Fato destinatam. Benedic augustis Nuptiis, Benedic nuptis, PIIS, AVGVSTIS, FELICIBVS, tantisque Reip. hujus & AVRIACORVM successibus, adde perpetuitatem.

FINIS.

CONSOLATIO

Ad Nobilissimum virum

CORNELIVM vander MYLE,

Equitem, &c.

Super obitu Filii

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS.

...SSIME MYLE,

...dem filiæ tuæ nuptias ... quod non nisi sero, ... actas nuptias rescivi. ...Tibi charissimi exe... tristibus temperat ...manarum modera...ult esse voluptatem nostram,

Spectat ebur. Magni fortunatissima Regis
Filia, Borboniæ germen sublime tiaræ,
Hoc stas, Diva, loco, Tethys unde omnibus undis
Naturæ dispertit opes & munera Divûm
Colligit & totum mittit spaciosa per orbem.
Hic emitur, quidquid rerum est. si sufficit emptor,
Hic mundus venalis erit. nos accipit Arctos
Nos Thule, nos extrema, qua transtra vagantur,
Orcades, egelidæque vident in finibus Ursæ
Hebrides & pandis ardens fornacibus Hecla.
Hic merces, Regina, tuas, hic dona tuorum
Distrahimus. jam sulphureis quam Scotia mittit,
Materiam truculenta globis. jam fulgida stanni
Pondera & è vestris, Princeps, excisa metalla
Montibus, aut rutilo radiantes murice lanas,
Et tua quas donat segetes glacialis Ierne.
Sedibus his Indos petimus, Solisque penates
Auroræque domum Auriacis incessimus armis.
Et terras portusque tuis, FREDERICE, *notamus*
Nominibus, gaudentque tuo mansuescere gentes
Numine, Nassoviaque volant per odora phalanges
Rura Moluccarum. jungunt tua fœdera Gangen
Battaviæ & diti Vahalim connectis Hydaspi.
Magna parens HENRICA, *cupis devicta videre*
Littora Pantagonum, subreptaque mœnia Phœbo
Exutasque rates formidatasque Matancæ,
Sub Belga ductore, manus? hic texta tapetis,
Hîc tabulis depicta leges. vis bella tueri
Gesta mari, qua se Herculeis Dux Belgicus ausis,
Intulit Hesperiis claro Mavorte columnis,
Hic facti monumenta patent, victoris honores,
Et cineres tumulusque Ducis. si, Maxima, gestis
Cernere nascentem mediis è fluctibus urbem,
Suffultasque domos trabibus conversaque Fauni
Culmi.

Culmina, nos hoc omne sumus. portaris in undis,
Et tua Parrhasia librant vestigia silva,
Et calcas secura lacus. numerare triumphos
Si lubet & domitum Solis sub curribus Afrum,
Attonitamque Peru, & Scythici discrimina ponti
Tentatumque gelu, jampridem victa Malacca
Mœnia, perculsum aurifero sub sidere Nigrim,
Æthiopumque domos & tot subducta Philippis
Oppida, qua forti possit tam grandia dextra,
Adspice Neptuni sobolem, classesque ratesque,
Ingentis terrorem Asia regumque ruinas.
Regnatrix, quam te latis comitatus euntem est
Vocibus Albionis populus, cum littore toto
Staret & unanimes votis favere Britanni.
Regnatrix, quam Te venientem lenior unda
Vexit & immensa thalamos & fœdera ponto
Personuit concha Triton & fausta tiaris
Dixit, ut Æmonii properans ad limina Pelei
Sponsa Thetis, nullo turbari murmure fluctus
Sensit & à madidis accepit vatibus omen.
Venisti tandem. Tuque exspectata Batavis
Nympha venis, nostrisque infers regalia terris
Lumina, & innocuis arrides lenis ocellis
AVRIACO, *teneroque moram deposcis amori.*
Mox erit illa dies, cum te pollente juventa
Invadet matura Venus. tunc sanguine Regum
Nascetur nobis Belgi defensor Achilles.
Qui face bellaces ferroque sequetur Iberos,
Et patria audaces abscondet casside vultus
Belliger, exacuetque truces mucronibus hastas
Martius, & qua se condunt sub Vespere gaza,
Ibit & Occidui latebras rimabitur auri.
Qualis in ore decor MARIÆ*! quam blanda venustas!*
Quanta puellarem excellens reverentia sexum
Majestate tegit! quam fulgens purpura flammas

Spirat & insontes radiis exuscitat ignes!
Sic ibat socias inter Dictynna sorores
Parvula, sic juvenem comitata est Porcia Brutum,
Laodamia virum. sic primis excita tedis,
Itala nascenti conjux collusit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas,
A V R I A C I *crescentis amor, felicibus illum*
Auspiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavusque facit. quo fœdera tecum
Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
G V I L I E L M V S, *spes nostra, facis. quæ lumina nuptis,*
Præradiant Patriæ. facibus, queis Sponsa coruscas,
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Quæ vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Scotus amat. plus jungimur illi.
Et propius nos Anglus amat. plus jungimur illi.
Plus Hibernus amat, nam plus unimur & illi.
O Patriæ communis amor, quæ basia figis,
Septemplex quoque terra capit, quæ blandula torques
Lumina, cognatis circum te gentibus offers.
Quæ loqueris, cedunt cunctis solatia terris.
Quæ facies, fessis promittunt otia terris.
Crescite Nassovii, rectores crescite Chauci.
A V R I A C O Q V E *duces alios donate parenti.*
Crescite Nassoviæ, & victor cum castra maritus
Solvet & occurres bellaci nupta Camillo,
Insere basiolum galeæ, cristamque minacem

Mulce

Mulce læta manu. & Martis post horrida salvum
Prælia, dilata Veneris meminisse, jubeto.

Sed redeo à furore poëtico ad sanam mentem, & postquam vota publica collegi, tantis rebus, ut fas est, admiscebo Deum. Æterne Deus sospita Reginam, Regis conjugem, Regis filiam, Regum sororem, Regis affinem, Regis neptem. Sospita Reginæ Filiam Auriaci conjugem. Sospita AVRIACOS Patrem Filiumque, imperii hujus Gubernatores, Patres, vindicesque. Sospita universam Nassoviorum domum, servandis nobis velut Fato destinatam. Benedic augustis Nuptiis, Benedic nuptis, PIIS, AVGVSTIS, FELICIBVS, tantisque Reip. hujus & AVRIACORVM successibus, adde perpetuitatem.

FINIS.

CONSOLATIO

Ad Nobilissimum virum

CORNELIVM vander MYLE,

Equitem, &c.

Super obitu Filii

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS.



OBILISSIME MYLE,

Iam pridem filiæ tuæ nuptias celebrasti, quod non nisi sero, & post peractas nuptias rescivi. Nunc filii Tibi charissimi exequias celebras. Ita læta tristibus temperat sapientissimus rerum humanarum moderator, nec adeo sinceram vult esse voluptatem nostram,

noſtram, quin ſollicitum aliquid illi interveni-re patiatur. Ego Tibi ex animo condoleo, ut qui juvenem illum ob eruditionem, mode-ſtiam & morum gravitatem unice amaverim; etiam ob indolem, quam à parentibus opti-mam acceperat. Habuit illum jamdudum Gal-lia, ſed non reddidit. Vidit, ſed patriæ ſuæ, proh dolor, invidit. Libet enim jam pluſcu-lum Lipſianiζειν. Neſcit nimium dolere, quiſ-quis pius, quiſquis Chriſtianus eſt. nec poteſt non dolere, quiſquis pater eſt. Hoc affectus eſt, illud religionis. Levius fit patientia, quic-quid ab homine corrigi nefas. Primum mor-talitatis ſolatium eſt, moriendi neceſſitas. At-que ut amandi ſunt liberi, quia naturale; ſic, quia naturale quoque eſt eoſdem mori, in hoc, ut in cæteris rebus, cedendum naturæ. At, pu-tas non vivere filium? Certe, non aliam vi-tam ſapientis eſſe credidit magnus ille Socra-tes, quam eam, quæ animæ eſt à corpore ſepa-ratæ. Putas mortuum eſſe? non arbitrantur Philoſophi illos mori, qui vixerunt bene. Per-gunt expeditius & ſerenius vivere, qui ſine cor-poris impedimentis vivunt. Quibus vita per ſcelera & omne flagitiorum genus acta eſt, in vivis mortui ſunt, utcunque illuſtri loco poſi-ti. Luges natum genitor. at, cum audies ab Anaxagora, te mortalem genuiſſe, lugebis mi-nus. Diſſerebat inter familiares ſuos Philoſo-phus ille, de rerum natura, earumque ortu ac obitu. cumque de filii morte nunciaretur, poſt-quam paululum tacitus ſubſtitiſſet; converſus ad illos, Sciebam (inquit) me mortalem ge-nuiſſe. Parentis partes ſuſtines, & inter patriæ patres aſſeſſoris. Hujus eſt infracto eſſe animo; illius, moderate affici iis malis, quæ mala eſſe negat

negat gravis & mascula Stoa. Qui ob filii mortem lugent, ob hoc lugere videntur, quod non lugeant illos filii. Si durum est, amisisse bonum; illud juvet, hactenus non habuisse malum. Minus enim malum est, quod ex parte malum est, quam quod omni ex parte. Et ea vitæ humanæ conditio est, ut ægrius feramus malorum præsentiam, quam absentiam boni. Hic siquidem solo damno, illic sensu miseri sumus. Si filii adspectu te frui nolunt Superi, volupe erit, virtutum ejus meminisse. Fuit tuum istud depositum, at magis Dei. Deposuit apud te educandum, & in patrias artes erudiendum, repetit in spem patriæ educatum adolescentem is, qui prior dederat. Nec credendus est inique repetere, qui sua, non nostra repetit. nec credendum est, præmaturè repeti, qui ad mortem maturus fuit, ex quo natus fuit. Quo quis citius in portum applicat, eo celerius vota exsolvere debet. Navigantibus similes sumus, qui dum longius, oborta tempestate, navigare prohibentur, in proximos sinus deflectunt. Flores plurimos videmus, quos in ipsa ἀκμῇ & vigore colli tempestivum est. Sed malles domi obiisse, inter amplexus tuos & matris, inter fratrum & sororum voces ac postrema officia, inter amicorum circumstantium fomenta & auxiliatrices manus. At, si Mathematicis fides, sive Bruxellis, sive Romæ, sive Hagæ obierit, domi obiit. Si terra punctum est, si puncti nulla sunt intervalla, sane domi moritur, quisquis ullibi. Verum ut gravius quid & exactius loquar, nemo moritur domi, qui scit se hic in terris cœlo, h. e. patria extorrem esse. Omnis nostrum mors, exulum est, non indigenarum, hospitum, non civium. Nec ignoras, doctis-
sime

ſime Myli, qua oratione apud Ciceronem Cato & Lælius filiorum deſideria ſolentur, quid animi fuerit Pericli, Xenophonti, Paulo Æmilio in iſtiuſmodi caſibus. Noluit ſe miſeram vocari Livia, amiſſo Druſo noluit major Cornelia, amiſſis filiis. Felices potius ſe dixere, quod tales genuiſſent. Fateor, graviſſime tulit M. Antoninus Imperator, Philoſophus dictus, ſortem ſuam, quod Commodum filium haberet. Et nota ſunt Auguſti carcinomata, qui optaſſe fertur, cœlebs vixiſſe, & ſine natis. Talem ſi amiſiſſes, doluiſſes merito non rediiſſe ad meliorem mentem. Iam, cur pium lugeas? qui inter beatos vivit, & extra vitæ hujus Symphlegadas & ærumnas in tuto eſt. Naturæ beneficium eſt, malam ſobolem abſtuliſſe. ejuſdem quoque beneficium eſt, bonam accepiſſe. Gaude, quod habueris reverentem Dei, parentum, præceptorum. Scio qualem formaverim, qualem præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ abundantem dimiſerim. Nolles forte tabe periiſſe. At tabidi ſumus, quotquot vivimus. In quibus calor humidum, quo conſtamus & nutrimur, depaſcit, ad tabem omnes eunt; & deſinunt vivere, ſimulac incœperunt vivere. Illud diſcriminis eſt; in quibuſdam vitalis flammula extinguitur citius, in quibuſdam tardius. Alii ad mortem imus, alii feſtinamus, alii repimus. Nemo non vivendo & moritur, & tabeſcit, & marceſcit. Adhæc ſenes fere uno modo moriuntur, adoleſcentes infinitis. Et parum intereſt, quo genere mortis pereat, qui fato & divina voluntate perit. Non curat, qua porta exeat, qui urbe exire cogitur. Qui tabe pereunt, cauſas mortis ſuæ ſoli Deo & naturæ imputant. Qui naufragio, qui gladio, qui incendio intereunt,

eunt, cum fortuna & cœcæ sortis iniquitate imprudentius litigant. Qui filios habent, jam sollicitos dies, jam noctes agunt, jam spes suas futuræ conjugi, jam venturis honoribus donant. Ab his curis securos nos reddit sola mors. Fles morientem. at non flebas nascentem, cum idem vitæ & mortis sit principium. Non est quod tuam, aut quod illius sortem deplores. Ille iter vitæ inter Virtutem & Voluptatem ambiguum sub pedibus calcat. Tu charo oneri & pignori quod timeas, non habes. Fortunæ minas evasit, & lenocinantis mundi illecebras ac pestilens contagium. Qui offenso pede lapidem loco discutit, & thesaurum invenit, modicum dolorem lucro solatur. Qui moritur, mortis sensum cœlestium bonorum luculenta possessione discutit. Nulla mors misera est, quam felicitas ista animæ excipit. Præoccupavit filius tuus mortem, cujus longior mora æternæ beatitudinis dilatio est. E vinculis, è carcere (loquar iterum Socratice) in libertatem abiit, ex angoribus & doloribus ad gaudia. Quid iniquius? quam amici causam lugere, ubi is se in libertatem ex ergastulo vindicaverit. Emensus est stadium, in quo currimus & sudamus etiamnum. Metam prehendit, palmam tenet, coronam victor habet. Parta victoria, nemo Duces, nemo milites miseratur, sed publicis potius gratulationibus excipit. Vltimos in scena actus majore hilaritate exequuntur Poëtæ. Felix ergo & læta & gloriosa est vitæ catastrophe, quæ placida, quæ pia hominis Christiani morte finitur. Si pergimus dolere, & plangere, invidentibus propiores habebimur, quam faventibus. Nec enim tam bonis frui desiit, quam majoribus gaudere cepit. Superest Filius alter, manu

manu & consilio promptus patriam juvare. In hoc vultus tuus & animus conquiescat, quoties ab illo, quem cœlum tenet, oculos avertes. Animum hactenus, Vir summe, firmavisti constantibus exemplis, nec mentem solidam concussit tibi majorum malorum vis. Non succumbes filii jactura, qui Reip. nostræ, qui Auriacis consilia tua commodavisti, fidem probavisti. Et jam quoque te patriæ cura totum habet. Illi integrum te ac incolumem serva, quæ consilii tui animique eget. Cæsarem respice, qui audita filiæ morte in Britannia, tertio die Imperatorem agere perrexit. M. Aurelium intuere, qui postquam quinque diebus filium luxisset, ad publica munera rediit. Fertur Q. Martius Rex amisso unico filio spei maximæ, statim à rogo curiam repetiisse. Tulere filiorum mortem fortiter Horatius, Pulvillus, Bibulus, Sext. Pompejus, L. Sulla, aliique. Sed quid ad clarissimorum virorum exempla te voco? cum etiam obscuri homines suorum obitus non modo fortiter ferant, sed etiam præmatura morte ipsis consultum putent. Minus ajunt eos peccare, & parcius affligi, qui decedunt ocyus. Sed desinam, præstantissime Myli, anxie conquirere rationes plures, quibus dolorem tuum castigem. Habes hæc omnia in promptu. Tantum repetere volui, & serie quadam enarrare, quæ animo tuo altius recondidit prudentia, religio, doctrina. Vt autem videas, me hæc ipsa, quæ soluta oratione differui, ad numeros quoque loqui posse, en Elegos aliquot, quibus eadem dico, sed lege vincta. Vale Vir Nobilissime, & hunc meum erga Te, filium, tuosque affectum exosculare. Amstelrod. E Museo nostro, sext. Non. Maji, 1633.

ELE-

ELEGIA CONSOLATORIA.

Maxime vir, patriis clarũ decus addite terris,
Tot Batavos inter conspiciende Patres;
Cuius Apollineos illustrat Fama penates,
Scriptaque non uno nomina vate tument:
Pone modum lachrymis. nimium plorare recusat;
Cui pietas lachrymas sufficit ipsa suas.
Fles natum genitor. non vult Sapientia flere,
Cum, quæ nos patimur funera, fata probant.
Quem luges, mundi spatiis sublimior, annos
Calcat, & æterna lege beatus agit.
Non moritur, quisquis vixit bene. vivere solus
Desinit, ignavi cui periêre dies.
Qui genuit, dolet exstinctum. sed dedolet ille,
Mortalem qui scit se genuisse sibi.
Hoc ipsum lachrymat, quod non lachrymatur ab ipso.
Funera qui nati credit acerba sui.
Si gravis est jactura boni; solabitur illud:
Gratius esse patri, non habuisse malum.
Si sobolis virtute cares; hæc præbuit olim
Gaudia, quin licuit suavius ante frui.
Si periit, nec jam terris ostenditur ultra;
Virtutum memorem jam juvat esse patrem.
Qui miserum sese esse putat, miser incipit esse.
Et dolor ex ipsa pabula morte capit.
Quem si nulla premit ratio; premit ille dolentem,
Et propius tacito vulnere corda ferit.
In stabulis rapta matrem mugire juvenca
Cernimus. ad pastum lætior inde redit.
Luget avis, quoties nido surrepta propago est.
Attamen huic ipsi lux satis una malo est.
Quid querimur miseri? nequeunt ablata reponi.
Despicit humanas ferrea Parca preces.
Et citius deerunt lachrymæ, quam causa. dolendi
Materies nunquam justa deesse potest.

Plus

Plus homines inopina dolent. quodcunque futurum
Novimus, hoc ipsum plangere velle nefas.
Imus, Magne Virûm, quo dives Tullus & Ancus.
Imus, & hac orbis vadit in orbe via.
Nati lege sumus; qua desinat esse, quod esse
Cœpit, & exitio gaudeat omne suo.
Cui semel accubuit mensæ, se subtrahit hospes;
Et tolli gaudet, quas amat ipse, dapes.
Agricolæ sectis tandem lætantur aristis,
Et sua mox avida munera falce metunt.
Nec periit tuus ille, Pater, Myliusque puerque.
Quem tibi terra negat sordida, Numen habet.
Hunc dederat prius, hunc repetit. concessa parenti
Poscit inoffenso pignora jure Deus.
Debitor es. sobolem cum reddis, nomina solvis.
Quique tuus fuerat, plus erat ille Dei.
Non repetit propere, sua qui non nostra, reposcit.
Non repetit propere, qui moritura rapit.
Sat vixit, cui vita proba est. cui pessima fluxit,
Ah, nimium mundo vixerit ille diu.
Vivimus errones cuncti. quid longius illum
A patriis luges occubuisse focis. *(gnum,*
Crassum Parthus habet, peregrinaque littora Ma-
Et peregre ad Trojam tot cecidere duces.
Si puncto stat terra brevi, jam patria ubique est.
Nec moriens potuit non obiisse domi.
Vixit, & ingenium claras diffudit in artes,
Et scivit, poterant quæ latuisse senes.
Per cunctos animosa gradus doctrina cucurrit,
Et stupuit gressus ocyus ipsa suos.
Securum nunc astra tenent. formidinis expers,
Peccandi didicit dedidicisse modum.
Sub pedibus Circenque premit, fœdamq; Calypsum,
Totque catenato crimina juncta choro,
Adspicit hinc dantem patriæ responsa parentem.
Adspicit hinc faciles fratris ad arma manus.

Hic atavos mediis rutilantes adspicit astris,
Et fulgentis Avi suspicit ora nepos.
Et si quod Vatum pretium est, soletur & illud:
ARNOLDVM *Batavo non sine Vate mori.*

CONSOLATIO
Ad Ampl^mum doctissi^mq; virum

D. IOACHIMVM WICKEFORTIVM,

cum parentis sui

CASPARIS WICKEFORTII,

viri spectatissimi probissimique obitum lugeret.



Factum consulto, Amplissime WICKEFORTI, quod dies aliquot sine meo alloquio transire passus fuerim. Dum enim justa optimo parenti solvis, dum exequias celebras, mortuum effers, dum recens dolor stupet, & solamina vix admittit, distuli ea styli officio designare, quæ in animum tuum simul ac meum (unus namque is ambobus est) effundere decreveram. Amisisti Parentem in terris, quem beatior aliquando salutabis inter superos. Deseruit ille mundum hunc ante te, quem intraverat ante te, ut jam nec de morte, nec de ordine conqueri possis. Satur hujus scenæ ad ea loca ivit, ubi eadem semper erit nec mutabilis cœlestis scenæ facies. ubi opes caducas & fluxas æternitate, vitam fragilem immortalitate, famam denique civis boni divinis honoribus commutavit. Decessit hinc vitæ tuæ olim dux, morum magister, & pietatis inter suos domesticus doctor. ideoque levior tibi de-

bet

bet esse ejus mors, ex cujus vita fructus percepisti uberrimos. Feliciter excessit, te superstite, & fratribus sororibusque tibi junctissimis, in quibus renascitur indies, & eas vidit gliscere virtutes, quibus vivus maxime excelluit. Non jam ægritudo tua franget ægrum, non affliget tua calamitas imbecillem, non dolebit ob dolores tuos, nec mors tua funerabit senem tui amantissimum. Bene secum actum putavit, quod liberos genuerit sibi, Christo, Virtuti. sibi in auxilium & oblectamentum, Christo in peculium, Virtuti in exemplum. Vixit, quantum per humanam imbecillitatem licuit, pie, caste, sobrie. Nec obiit alius, quam vixerat. Quæ monita pater quondam dederat filiis, ea moriens avus dedit nepotibus: usque adeo, ut cum loquentem destitueret fracta naturæ vis, voces tamen extuderit integra relligio. quæ tunc in sene & pro sene verba fecit, nec de rebus terrenis loqui passa fuit cœlo Deoque proximiorem. quam hæc fuit suavis, quam pretiosa apud Deum, quam plena solatii mors, in qua moriens cum Creatore sermones habuit, & de Redemptore suo loqui maluit, quam de mundi hujus, quæ plurimos occupare solent, quisquiliis. Salutari catastrophe absolvit vitæ hujus Actus. Laudabili Epilogo desiit esse facundus, & postquam de salutis suæ momentis peroraſset, desiit in pium. Dixi. Vix spatii quicquam intercessit inter loquentem & morientem. quia enim ad Deum suum & patrem ibat, cogitationibus se divinis implevit. Ita mori, mi WICKEFORTI, est in Domino mori. ita mori, est novam ac meliorem vitam ordiri. Sic discedendo accessit ad eum, cujus sanguine est redemptus, spiritu sanctificatus, verbo regenitus. Non illum avaritia,

ritia, non ambitio, non ſæculi præſentis faſtus aut ſordida voluptas tranſvorſum rapuit, licet ad has mundi phaleras generis humani cœca cupiditas obſtupeſcat. Simplicitate, candore, religionis ſincero ſtudio, occupationibuſque honeſtis ſe totum involvit. Reliqua mortalis ævi ſtudia, impedimenta eſſe credidit mentis in cœlos profecturæ, & remoras in pietate proficientium. Gratulare potius ſic mortuo, ac beatitudinem è longinquo illi apprecare, cujus præludia etiam hîc in ærumnarum valle poſitus, in ſe ſenſit. Sunt ea, tranquillitas gaudiumque animi pax cum Deo, guſtus deſideriumque futurorum bonorum. Vidimus aliquando ſedentem, ſcribentem, vidimus ambulantem. Sed dubium, an vivum an mortuum: an hominem, an umbram hominis. Adeo jam tum cum vita & morte pepigiſſe videbatur, ut in uno corpore, eoque exſucco pene & exangui, ſimul habitaret aliquid utriuſque. Nunc mortalitate omni exutus, totus vivit ea parte, qua ſapuit, qua credidit, qua honeſtiſſime vixit. Cur tot laboribus defuncto invideas quietem? cur poſt emenſos humanarum calamitatum fluctus ægre feras in portu eum navigare? & poſt confectam hominis Chriſtiani militiam rude donari ac bravium reportare? Cur mercari amplius volet, cui lucrum eſt Chriſtus. Quid mercari pretioſius, quid dignius poſſit, cui merces eſt Deus. Cur ſe byſſo amplius & ſerico implicet, quem jam *byſſo* (ut eſt in Apocalypſi) *inveſtivit Agnus albo & mundo.* Cur ulli mercator debere cupiat, cui majus debitum remiſſum in cœlis. Cur eſſe creditor, qui nulla bona ultra in ſpe habet. Nec opus illi adire vendentium & ementium frequentatam toties Panegyrim, qui jam in bea-

tarum animarum cœtum receptus est, ubi nec venditur, nec emitur, nec debetur, sed ex gratia habetur, quicquid habetur. Ea quoque ætate ereptus est tibi, qua vita nostra morbus esse incipit. Eo senectutis gradu, infra quem plurimi deficimus. Eo morbi genere, qui placidissimus est & doloris expers. Græci μάρανσιν vocant. Latini marcorem. Eo mortis genere, ut nec acerbam illam nec crudam dixeris. Ea denique animi alacritate, qua migrare hinc solent viri, Christiani, ac cives boni. Nec decepit Te natura, nam septuagenarium vidisti. Et si diutius vivere concessisset, miseriarum illa ac malorum potius fuisset prorogatio, quam bonorum. Ille, quia futura fidei oculis prospexit, & æterna animo complexus fuit, vim abstulerat præsentibus malis. Hoc cogitandum, quamdiu habueris, non quamdiu habere potueris. In præteritum tempus potius animum mitte, quam in futurum, & ejus te recordatione recrea, cujus usus fructus tibi fuit charissimus. Ingrati est, beneficii à Deo accepti finem, injuriam interpretari. Habuisse parentes bonos in bonis maximis est. At carere iis nunquam velle, inhumanum est. Non dat illos Deus ad satietatem. dat ad usus & officia necessaria, quibus cum defuncti fuerint, suo illos jure repetit. Nec volo, te non sentire dolorem præsentis funeris; sed non volo, te non ferre. Optimo pietatis & rationis temperamento dolere parentis obitum potes, & eundem dolorem vincere. Vt vincas, non ad sacra solum, sed & liberalia studia & sapientum præcepta te confer, quibus animum imbuisti jam inde à teneris, quæque ad usum jam referre prudens didicisti. Illa quoties fati necessitatem, morientium exempla, mortalis ævi ærumnas, futuri felicitatem,

citatem, vitæq; bene actæ conſcientiam ob oculos ponent, ſupervacuam pectori tuo vexationem eximent. nec poterunt in tam denſo rationum examine obloqui multum degeneres querimoniæ. Hæc cum perpendes, Vir prudentiſſime, acquieſces non invitus ſummi Numinis decreto, quo voluit te lugere patrem, ne ille lugeret Te. Quod ſupereſt, dilectiſſimi patris memoriam venerare, famamque inculpatam in pretio habe. Ita qui vivus liberorum ſuorum commodis ſtuduit, mortuus adhuc prodeſſe poterit. Vale integerrime, & pias amici tui voces pro ſolatii parte habe. reliqua à pietate, eruditione & prudentia tua facile impetrabis. E Muſeo noſtro, Amſtelodami, 27 Decembr. 1634.

GRATVLATIO NVPTIALIS,

Ad Nobiliſſim. Præſtantiſſim. virum
D. ADRIANVM vander MYLE,
Dominum in Bleskens-grave, militum pedeſtrium ſub Illuſt. Anriaco ducem; & Willemſtadii Gubernatorem,
cum domum duceret
Nobiliſſimam caſtiſſimamque virginem
D. AGATHAM van RAEPHORST,
SPONSAM.



NOBILISSIME MYLI,

Audio uxorem habere Te, hoc eſt, in Sapientiæ caſtra tranſiiſſe. Semper enim ab iis diſſenſi, qui amantes inſanire contendunt, & Cupidini oculatiſſimo oculos faſcia

ſcia velant, quique puerum eſſe fingunt, ipſo Hercule, robuſtiorem Amorem. Tanto nos magis ſapere arbitror, quanto ad honeſtas nuptias adſpiramus ardentius; tanto eſſe ingenioſiores, quanto hanc rem conficimus felicius. Etenim ſine conjuge nonne vagi ſumus & errones? nullius, præterquam univerſalis naturæ, peculium, fortunæ & incertæ ſortis pila ludibriumque? Vxorem nacti, poſſidemur propius; amamur, curamur, fovemur tenerius. Illam gaudii omnis, illam dolorum ſociam habemus. Condolet, medetur, ſubvenit laborantibus; & cum maxime vult blandiri, ſobolem nos ſuam appellat, etiam tunc, cum aut ſobolem ipſi in ſpe habemus, aut in cunis rotamus magni patres. Epictetus Philoſophiam omnem duplici præcepto abſolvit, Suſtine & Abſtine. At hæc à nullo hominum ordine rigidius obſervari, quam à conjugibus, mecum propediem diſces. Græcorum poëtarum princeps, è quo tanquam fonte perenni

Poſteritas latices Sophiæ deduxit in hortos,

cum Iovem deſcribere vult patrem vocat Deorum & hominum. At talis ſine conjuge eſſe non potuit. Sagaciſſima natura cum vite maritat ulmum, cum ſtipite ſabam vel convolvolum, ne lenta hæc arbuſta deſtituta ſuo tibicine langueant. Nec minus ſapienter ab eadem appoſitus uxori vir, & viro uxor, ne alter ſine alterius fulcro flacceſcat & collabatur. Viderunt hoc olim providi poëtæ, ideoque ne ipſum cœlum corrueret, Lunam Veneremque interpoſuerunt orbibus, hoc veriti, ne ſine fœminæ adſpectu volvi nollet moroſior Saturnus, imperioſior Iupiter, bellicoſus Mars, vafer Mercurius & fervidiſſimus Sol. Theognidis & Pho-

cylidis quot numeras versus, tot prudentiæ moralis audias præcepta. Et inter hæc nonne de ducenda conjuge canunt? Theocritus, quanquam multa apposite pastores canentes inducat, nullibi est suavior, quam ubi scribit: *κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα*, &c. *Abeo protatum ad Amaryllidem*, &c. Et quis ille est, qui apud Maronem dicitur conjugis in gremium lætæ descendisse? Idem est, qui rubente dextera in arces & urbes fulmina jaculatur. Crates Thebanus, homo toto corpore deformis, gravissimus alioqui rerum divinarum & humanarum professor, Hipparchiam nobilem fœminam uxorem duxit, ut hac quoque parte Sapiens videretur, quod contemptissimo corpori uxorias voluptates impetrasset. De Socrate hoc jam dicam: illum Sapientiam non è cœlo in domos familiasque, ut Cicero perhibet, sed è querulæ Xantippes cubili in Scholas introduxisse, & Philosophiæ practicæ objectum, non virtutes, sed illam ipsam suam Xantippen credidisse. Poëtæ quoque Græci & Latini nullibi doctius & acutius loquuntur, quam cum ad conjugum officia alludunt. Quod si Sapientiæ pars est, non nimium sapere, nihil est, quod virilis ingenii gravitatem & duritiem magis condiat, quam muliebre ingenium, cui dulcedinis tantum & gratiæ affudit Deus, ut ob hanc solam causam, Mœonio Vati Venus dicatur *φιλομειδὴς*, Syracusio *μάτηρ γελάξασα*, Andino *Olli subridens.* Qui vero amores quam maxime oderunt, cum acerbissimis illos vocibus insectantur, oppositum apponunt opposito, ne rem optimam calumniando sibi constare videantur. Morbum vocant amorem, sed salubrem: dolorem, sed delectabilem: venenum, at sapidum: mortem,

 verum

verum voluntariam: vulnus, sed gratum: supplicium, attamen jucundum. Cum amaritudinem illi exprobrant, γλυκύπικρον vocant: cum labores, spontaneos esse ajunt, & minus graves; cum curas & ærumnas, has ipsas suavissimas dicunt. Novi, qui uxorem fastidiunt, ne in malam incidant. At hi malam metuunt, quia de suis ipsi virtutibus desperant. Nullam ego tam malam arbitror, quam corrigere non possit vir bonus & sapiens. Malas esse dixit Menander Comicus, sed sine populi suffragio. Cautius apud Euripidem Medea loquitur:

Α'λλ' ἐσμὲν οἷον ἐσμὲν, οὐκ ἐρῶ κακὸν,
γυναῖκες.
Simus quidem, quales sumus, nos fœmina,
Malas sed esse non ego ausim dicere.

Si qua mala est, vitio mariti mala est, quia aut is intempestive severus est, aut intemperanter remissus. Ignes dicunt fugiendos esse. Sed non illos, quibus male arsuros ignes restinguas. Voluptates indignas clamitant viro Sapiente. Concedo, cum in porticu aut Stoa philosophandum est. Novit hoc Seneca & docuit non semel. nec minus in thalamo quæsivit, ubi Paulina esset. Vrgent, cœlibes sacris vacare liberius, pugnare animosius, navigare fidentius. Quasi profana esset res osculari conjugem sacra fide obstrictam: aut minus animose pugnasset Hector, memor Andromaches & Astyanactis: aut timuisset ex Aulide navigare Protesilaus, relicta domi Laodamia. Sed uxor, inquiunt, & liberi alendi sunt, quibus carere possis, ut partis fruaris uberius. Vah sordidas voces. Cur non potius gloriosum putant & regium imperare uxori & liberis? Qui paterfamilias est, rex est conjugis, liberorum & famulorum. Cælebs nulli

nulli imperat, prærterquam canibus aut felibus, si quos forte domi alit. Homerus Vlyssem regem vocat Itachæ. Sed si regno isti eximantur Tres imbelles numero, *sine viribus uxor, Laertesque senex, Telemachusque puer*, & pauculi subulci, valde accideris regni istius subditos. Sunt, qui in maritalem ordinem adscribi cuperent, sed metuunt, ne aut filium gignant, qualis fuit Commodus, aut filiam, qualis fuit Iulia & Messalina. At debebant hi homines adeo metuentes futuri, jejuni ire cubitum, & prandio cœnaque abstinere, ne quem concoquent chylum, pituita fiat molestior, aut atra bilis. Cur non potius sperant futurum, ut ex Vespasiano nascatur Titus, ex Druso Germanicus, ex Annæo Seneca nepos facundissimus Lucanus, ex Platone nepos Speusippus, avitæ philosophiæ hæres, aut ex Ennio nepos Pacuvius?

Fuit mihi nuper plurimus sermo super hac re cum quodam Misogamo, qui cum magnam in Scholis didicisset esse Dilemmatum vim, ita disputabat: operosa res est conjux, laboriosa colonia, fons curarum. Fœcunda cum est, oneri est: cum sterilis, dedecori. Si pulchra, κοινὴ; si deformis, ποινή. si dives, superbit illa; si paupercula, ille. Logicorum, inquiebam ego, exempla audio & argutias dialecticorum, quibus adolescentulos in Scholis fatigare solent, & torquere bonas mentes. De messis probitate non est certus agricola, nec minus tamen serit. Et tu uxorem ducere non vis, quia times non fœcundam? tu laboriosam coloniam voces uxorculam? nec horres Rempublicam capessere & multorum capitum belluæ imperare? Tune oneri esse putas liberos, quos mater Gracchorum omnibus thesauris habuit chariores? Quod si

ſapis, nullam deformem puta, quam caſtitas modeſtiaque ornant. Formoſam nactus, noli nimis ſollicite cuſtodire, ne te zelotypum animadvertat, & tua culpa peccare audeat. Si opulentior ſuperbiet, tu tolera & mone; vel cave eam offendas, ne opum fiducia tibi maledicat: aut ſuperbiam feminæ contemptu diffla, aut prudens diſſimula. Si pauperculam contemnes tu, cur contemnere ſuſtines animi dotibus te locupletiorem? Illa, quæ te contemnentem placide fert, quantivis eſt pretii. Te, qui ob inopiam minus æſtimas honeſtam conjugem, ne teruncio emerim. Tralatitium illud eſt & lippis notum, quod à libertatis periculo ſumitur adverſus conjugii præſtantiam argumentum. In libertatis ſe regno vivere jactitant, quamdiu ſunt ἄγαμοι; ſervituti affines, cum conjugio illigantur. Neſciunt inſani, licentiam eſſe, non libertatem, nulli amores debere: degeneres eſſe mundi incolas, quos poſteritatis cura non tangit: fruſtra ſe viros eſſe, & tales factos: & ut allegorice loquar: errores eſſe maximos planetarum, ab una ecliptica aberrantium: Solis viam eſſe tutiorem certioremque, quia una eſt & ſimplex: Lunæ viam difficilem, & litigioſam, quia cis ultraque eclipticam digreditur. Non gravatè ſubſcribes huic meæ ſententiæ Nobiliſſime MYLI, qui conjugii cauſam exemplo tuo aſſeris. Gratulor inſtituto tuo, gratulor conjugem tibi obtigiſſe, qualem optaſti piis votis, qualem optavere parentes graviſſimi optimique. Merebantur talem domus tua, virtus, doctrina, prudentia. Præcepta connubialia apud te non conquiram. quia non ſum præceptor amandi. Illa, cum vacabit, legere potes apud Plutarchum in nuptiis Polliani & Eurydices.

dices. Hoc ſolum addam: non eſſe, quod tibi metuas à mala conjuge. Neſcio enim, qua Dei Opt. Max. clementia incideris in τὸ ἀγαθὸν. Agatham ducis, quæ ſe tibi probabit non uno bonorum genere, ſed triplici. non explicabo me. Meminiſti horum, ex quo Moralem aliquando tibi Philoſophiam domi meæ prælegi. Fruere, feliciſſime, Agatha tua, ſive Bona Dea, cui nolo te offerre flores, fruges, ſerta, Romanorum more, ſed unum hoc, quod præceptori Socrati obtuliſſe fertur Æſchynes, hoc eſt, Teipſum. Vale vir Nobiliſſime & præſtantiſſime, & me tui tuorumque amantiſſimum redama. Amſtel. 28 Iunii 1634.

SERMO NVPTIALIS,

Sive Vniverſæ Philoſophiæ Ariſtotelicæ, ad ſtatum Conjugalem feſtiva applicatio.

SI citharœdos, ſi tibicines & choraulas ad feſtum hoc tuum admiſiſſe minime nefas eſſe putas, Gravi dilectiſſime, ut cantus ſuavitate delicias auribus faciant, etiam mihi inter geniales hoſce ſtrepitus latæ ac feſtivæ vocis uſuram concedere non gravaberis. In turba non loquar, ubi longis menſis diſcumbitur, nec attentis eſſe vacat commeſſantibus. Tecum ad ſecretiora me conferam, ubi Veneris genio pervigilium debetur, nec ferias te agere patitur tempus. Dum novam rem inceptas & arduam, non fraudabo

te Sapientiæ monitis, verum optimis ac salutaribus præceptis pergam animum tuum componere. Præivi olim verba Iuveni, & ad doctrinæ templa contendenti iter monstravi. Iam vero sequar, & suasoria oratione compellabo novum Amoris candidatum. Dum filio regnum parat Cyrus, ea loquitur, quæ potestatem regiam spectant. Hectori ad bella ituro permixta basiis monita in cassidem ingessit Andromache. Peregre profecturis maritis ultima verba loquuntur sollicitæ conjuges. Tibi nuptias meditanti, & maritale imperium capessenti, hic in promulside speratæ voluptatis militabit sermo. Fecit idem in nuptiis Polliani & Eurydices Plutarchus, in nuptiis ad Paulinum Ausonius. Nec temere veteres in eodem sacello Venerem & Mercurium collocavere, quod voluptas genialis præcipue sermonem postulet, Suadamque & Gratias. Quo tempore (uti jam dicere incepi) in Illustri Batavorum Academia præclaris artibus operam navabas, per varias Philosophiæ partes circumduxi omnis disciplinæ capacem animum. Per Dialecticorum salebras & abrupta ad ipsam Sapientiam ibas, & verum à falso distinguere doctus, torquebas catum Enthymema, formabas immobilem apodixin, discutiebas speciosum Sophisma. Hinc ad Naturæ sacra admissus, supera, infera, causas & ex iis nata, tot rerum formas speciesque, simplicia & composita, animata & inanimata contemplabaris. Mox à natura digressus ad morum doctrinam deflectebas, & quid turpe, quid utile, mecum meditabaris. Breviter, hoc agebas, quod in perfecto viro requirit Chæroneus philosophus, ut esses θεωρητικὸς τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸς τῶν δεόντων. Ecce, libet jam hæc ipsa, quæ tum docui, apud

Spon-

Sponſum, apud conjugem, inter faces, tædaſque repetere, & totius Philoſophiæ ſummam tibi ob oculos ponere; & eo quidem tempore, quo ἀπεργοδιώνυσον judicabit Sponſa gravem ſapientiæ orationem. Nempe, hoc agere inſtitui, quod familiare eſt Medicorum filiis, qui ne nauſeam moveant, catapotia ſolent ſaccharo condire, aut melle edulcare. Et uti poëtarum mos eſt, ſub fabularum involucro res ſerias tradere, ita & mihi propoſitum alium vultum tetrico argumento inducere, & ex tenebris ac fumo philoſophantium lucem thalamis tuis inferre. Legiſti, cum puer eſſes, apud Naſonem, mutata in novas formas corpora. Legiſti, inquam, & ſtupuiſti, hic arboreſcentem Daphnen, mugientem Iſidem, illic lachrymantem in marmore Nioben, alibi canentem Philomelam, latrantem Hecubam, & quæ ſunt plura ejus generis. Iam grandior mirare, ſed non ſine riſu, converſam in conjugales artes Logicam, Phyſicam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Mathematicam, totamque Philoſophiam in Γαμικήν. Tibi, nuptiiſque tuis iſtam metamorphoſin ſacramus, dum maritali ordini initiatus nominis vitæque metamorphoſin ordiris. Scio, te Poëmation exſpectare. ſed pudet ſemper eodem ludo includi, & qui exhauſtam nuper paludibus ſuis Sylvam-Ducis fuſius cecini, una exarui totus. Quid, quod aucta recentibus victoriis patriæ Libertate, ſervitium omne orationis compedeſque odiſſe incipiam, & ſerenæ liberrimæque mentis impetus non impeditos amare. Quod ſi convivio interſint, qui riſerunt nunquam, qui cum magnis virtutibus adferunt grande ſupercilium, qui theatra ingredi ſolent, ut mox exeant, Catones, Marii, Ti-

mones, Heracliti, Momi, Demeæ, eos omnes ab horum lectione abſtinere jubeo : aut ut ridere diſcant, ſpectare attentius Nympharum γυμνοπόδια, Sileni κόρδακα, & Polyphemi petulantiſſimum τρεζανολὸ. (*Saltationis ridiculæ genera ſunt, apud Lucian. Ariſtophan. & Pollucem.*) Tibi vero ſi tam prolixum ſermonem inpræſentiarum perlegere non vacabit, dum inſueta cogitas, vacabit ſane poſtea, ubi prima tempeſtas deſævierit, &, ut Hippocratico verbo utar, periculum nullum erit ab orgaſmo.

Ac primum quidem, ut à Dialecticorum ferculis Nuptias Peripateticas ordiar, Porphyrii vide Iſagogen, quam præfigere Organo ſolent ii, qui metuunt ne ἀκέφαλον ſequantur Ariſtotelem. Tractat ille Vniverſalia, eaſque naturas, quæ aptæ ſunt pluribus ineſſe. Tu, mi Gravi, velut è Scotiſtarum Schola progreſſus, totus in amabilem Hæcceitatem juras, & ab Vniverſalitate, velut inani Morphei vultu, alienior, ſingulari Sponſa gaudes, quæ non pluribus, at ſoli tibi conjugii fœdere adeſſe amat. Et cum prædicabilia de multis dici poſſint, tu unius BICHERÆ vir, illa unius GRAVII uxor appellari gloriatur. Multa ille de Individuo philoſophatur. ſed Individuum quoque eſſe conjugum par, aut neſcivit ipſe, aut præterivit ſtudio. Illud ſolum nota, individuum, quod vagum vocant, ab Vniverſalium numero ſecludi; nec minus honeſto conjugum numero eximi, quotquot vagas libidines ſectantur, & plures amando conjugii ordinem infamant. Inter Vniverſalia familiam ducit Genus, non Heraclidarum aut Arſacidarum, ſed illud, quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur. At hæc naturarum in ſpecies multiplicatio conjugio magna

gna

gna ex parte debetur, cujus beneficio, ut est apud Lucretium, *genus omne animantum*

Concipitur, visitque exortum lumina Solis.

De specie citatur ex Euripide,

Εἶδος μὲν ἄξιον τυραννίδος,

Speciosa regem forma corporis decet.

Ego mutata vocula de virgine dixero,

Εἶδος μὲν ἄξιον παρθενίας,

Speciosa nuptam forma corporis decet:

nec ego solum, sed & Satyricus;

Si verum excutias, facies uxor amatur.

Licet nihil vetet, utrumque amari. & Propertius,

Omnia formosam propter Briseida passus.

Verum illud magis ad rem: Speciem de pluribus singularibus dici, quo tacite moneris, operam uti des liberis, non solum, ut trium liberorum jus adipisci possis, verum etiam, ne, si ἄτεκνος vivas & ἄπαις, degener mundi accola habearis. Quod si marem primum, mox feminam tibi indulserit favens Lucina, optatam conjugum votis differentiæ notionem aliquam contemplaberis. Nec deerit Proprium, si in patrias virtutes filii, in maternas filiæ adolescant. Iam vero illa Accidentis indoles, qua citra subjecti corruptionem, modo illi adesse, modo abesse amat, ideam exhibet earum omnium rerum, quæ salva conjugalis copulæ fide vel prosperæ vel adversæ nuptiis accidere solent.

Οὐ πάντες οὔτε δυστυχοῦσι ἐν γάμοις,

Οὔτ' εὐτυχοῦσι,

Non conjugali semper Infelicitas,

Felicitasque semper est comes thoro,

Adsunt, recedunt, mobiles loco Deæ.

Excipit Porphyrium Aristoteles, qui Categoriarum doctrinam in προθεωρίαν, θεωρίαν & ὑπο-

ὑποθεωρίαν dividit, plane uti conjugii apparatus Sponſalibus præludit, matrimonio perficitur, & ſua habet ἐπίμετρα. Fugiunt Homonymiam Sponſalia, non minus, quam laudabilis quævis dictio. Amant Synonymiam, cum corpore mixti nomina quoque ſua confundant, alterque alterius titulos cum dote ſibi vendicet. Nec Paronymiam faſtidiunt, cum uti à juſtitia dicitur juſtus, à fortitudine fortis; à ſponſalibus ſponſus, (ignoſcite Grammatici) à conjugio conjunx dicatur. Et licet Simul natura ſint conjuges, illud tamen non minus certum, alterum & ordine & dignitate eſſe priorem. Affirmat Tragicus:

Γυνὴ δ' νικῶσ' ἄνδρα κακὸν ἐστὶ μέγα.
Vxor marito dignior res peſſima eſt.

Inter Habendi vero modos illum maxime improprium eſſe perhibet, quo uxorem habere dicimur, cum, interprete Ammonio, uxor non minus habeat, quam habeatur, præcipue apud Ægyptios, teſte Herodoto, & hodie apud Belgas, quibus familiare eſt γυναικοκρατεία. Illud fateor, cum ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium perhibet, longe eum à præſenti re abire. Plurima enim in amore contraria inſunt vitia, injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, bellum, pax rurſum, &, ut ex Plauto ſuppleam, inſomnia, ærumna, error, terror & fuga, ineptia, ſtultitiaque adeo, & temeritas, incogitantia, excors immodeſtia, cupiditas, deſidia, inopia & diſpendium. At alterum illud, quod Subſtantiam neget recipere magis & minus, ego contra de Amore veriſſimum eſſe affirmo, qui à virtute, blanditiis, fortunæ riſibus, prole, incrementa capit, remiſſior valde futurus, ſi illis ipſis deſtituatur. Ita ſentit magnus ille amorum præco

&

& arbiter, qui sublatis otiis perire ait Cupidinis arcus. &, ut majus aliquid afferam, generosa Carthaginis conditrix, ab obitu Sichæi frigidior, viso Ænea:

Huic uni rursum potuit succumbere culpæ.

In Quantitate illud reperio, magnum ab ea ac parvum Amorem dici, verum non ab ea quantitate, quam molis, sed virtutis vocant: eundem longum quoque dici, ac brevem, ratione Temporis; cœlestem & terrenum, ratione Locorum, in quibus vel Dii, vel homines amant. Et Numerum quod attinet, didici jampridem celebrem illum denarium Pythagoricum, inter alia, ex Mare & Fœmina constare: didici amplius, numerari vulgo dotem, non virtutes, aut si in censum veniant, non nisi post nummos. Vltima (sæculi vitia taxo) de moribus quæstio est; prima, quot servos pascat, quot agri jugera possideat, quam multa pulchraque paropside cœnet. Qualitatis vastissimo ambitu mirum quam multa contineantur, sine quibus virum uxor, hæc virum fastidiat. Annon sapientiæ, probitatis, modestiæ Habitibus illos ornari satius, quam armillis, gemmis, torquibusque? annon generandi Potentia totum hoc opus absolvitur? usq; adeo, ut, sine illa, matrimonia dissolvi patiantur Iureconsultorum rubricæ? Annon Cupido conjugalis necessitudinis autor oculis captus fingitur? Annon fervidos esse amantes oportet, & suaves, & blandos, & molles & candidos? non morosos, zelotypos, procaces, aridos, deformes? *Rufamne illam virginem, Casiam, sparso ore, adunco naso? non possum pater*, dicebat adolescens apud Terentium. Annon inter qualitates contrariæ sunt? & *lites habet ac jurgia lectus, in quo nupta jacet?* Annon idem est velle

velle ac nolle amantibus? ut & iis proprium sit, quod de qualitatibus dicit Aristoteles, res ab ea similes & dissimiles dici. Relatorum quoque definitio non alia est, quam ipsius matrimonii. Non ovum ovo magis simile, aut ficus ficui. Quid enim? Relata sunt, quorum alterum sine altero esse non potest. Matrimonium vero legitima est ac individua viri & fœminæ conjunctio. Illustrabo rem exemplis. Sublato Bruto conjuge, supervivere noluit conjunx Portia: mortuo Capaneo, in rogum mariti se præcipitavit Euadne: in amplexibus non Protesilai, sed solius umbræ, (en dependentiam) expiravit Laodamia, & sublato ex oculis Mausolo mœrore contabuit Artemisia. Relata πρὸς ἀντιστρέφοντα sunt, hoc est, inter se reciprocantur. Etiam conjunx & conjunx. Relata alia æquiparantiæ sunt, (ô verborum flosculos & globulos mellitos) alia disquiparantiæ. Etiam conjugio modo pares, modo indole, dote, genere impares jungi videmus. Non omnia Relata mutua sunt, nec qui amor, semper mutuum amant. Sunt relata κατὰ τὸ λέγεσθαι *secundum dici.* Etiam amantes. Sunt quæ Rationis vocantur, utpote à mente conficta. Sic & qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, & si vel subrideat dictis virguncula, vel paulo obliquius ocellum torqueat, statim se amari credunt. Et ut reliqua minorum gentium Prædicamenta cum Philosopho percurram, cum osculantur, jocantur, ganniunt, ludunt, philotesiis certant, canunt, saltant, Agere aliquid putandi sunt. Cum tristantur, irascuntur, metuunt, aut, ut mollius aliquid dicam, cum basiis bona fide exactis vacant, Pati. Cum de Ubi sermo incidit, thalamum rastro, cubile foro præferant, &

Illic,

Illic, quam Hic, esse præoptent. Si quando roges, nullum dicent intempestivum amantium furoribus tempus, licet nescio quis Catullus, aut alius inclamet: *Cras amet, qui nunquam amavit.* In Situ (piget referre) sua dicent esse vocabula. In Habitu nihil se invenire, quod huc spectet, præter eas forte denominationes, quæ à flammeis, zona virginea, annulo pronubo, similibusque nuptarum insignibus desumuntur. Extat porro apud Aristotelem libellus περὶ Ἑρμηνείας, quem cum scriberet, calamum non in atramentum; sed mentem tinxisse fertur. Hic multa differentem audimus Philosophum de copula Verbali, ejusque virtute ac facultatibus, prorsus & similitudinem copulæ jugalis. licet hoc discrimine, quod illa à mente fit; hæc minime: illa ea quoque, quæ ejusdem sunt sexus generisque copulet, ut cum dico: Thaidem esse, Alexandri filiam sponsam, nurum; hæc vero non nisi ea, qua diversi sunt sexus, ἄῤῥενα puta καὶ θῆλυ, Thaidem cum Alexandro, Catullum cum Lesbia. Illud ibidem apposite Stagirites ait: Res ubique esse easdem, eosdem rerum conceptus, sed voces diversas, quasi dicat, fœminam ubique fœminam esse; nec eorum, qui ejus imaginem mente formant, alios sub leænæ, alios sub tigridis, alios sub lascivæ capellæ conceptu eam apprehendere; (quanquam nihil vetet, eas, si malæ sint, tales esse) verum omnes sub fœminæ. At voces omnium eædem non sunt. Aliæ blandiuntur, aliæ ganniunt, aliæ vociferantur. *Quot linguæ, totidem ora sonant.* Ex tot Orationum formis ad Rhetores & Poëtas oblegantur Epiphonemata, Imprecationum formulæ, & Imperiosæ orationes, à quibus quoque abstineat oportet,

qui

qui pacatam volet conjugem. Sed quam aptæ conjugibus Subalternæ enuntiationes, & placide conſpirans hinc mariti, hinc uxoris oratio. Quam conveniens domeſticæ ſocietati illud τὸ ὑπάλληλον, licet & Ἀσύστατον illi attribuat Ovidius, cum canit: *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur, Majeſtas & Amor.* Divellit ſubjectum à prædicato, & prædicatum à ſubjecto τὸ Non. Mutuos & ſuaviſſimos amantium amplexus dirimunt triſtes querimoniæ, at quam maxime moroſæ conjugis pertinax ἀπόφασις. Quod ſi Syllogiſmum, nobiliſſimum Logicæ artis actum, expendere libeat, quid quæſo ille? Diſcurſus eſt, in quo poſitis quibuſdam diverſum quid à poſitis ex neceſſitate accidit. Nec aliud profecto quid Conjugium eſt, in quo diſpoſitis ſecundum leges divinas & humanas viro & fœmina, diverſum quid ab illis, chara nempe ſoboles, magnum patris incrementum ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει. Habet ratiocinatio ſuas præmiſſas. habet & generatio. Illa majorem minori præfert. Hæc virum fœminæ. Illa concluſionem vel ſolius formæ neceſſitate infert, hæc non niſi formæ & materiæ neceſſitate ſuaviſſimam liberorum turbam elicit. Libet philoſophari ſubtilius. Ex puris negantibus nihil ſequitur. Hic nihil, ſi vel alter conjugum ſit negans. Optima eſt argumentatio ex puris univerſalibus. Hic nulla bona, niſi ex puris ſingularibus, Cajo & Caja, Sempronio & Sempronia, Alcmena & Iove. Vniverſalia generare, nuſquam, quod ſciam, memoriæ proditum. Concluſio ſequitur partem deteriorem. quod & multis retro ſeculis conjugio probatum. Ciceroni ac Meſſalæ oratoribus ſummis, parentibus optimis, degeneres fuere filii

filii, illi M. Cicero, huic Cotta Meſſalinus, à pejore matre vitium trahentes. Et Socrates omnium mortalium Apollinis oraculo ſapientiſſimus, liberos habuit patri diſſimillimos, matri Xantippe ſimiliores, ut eſt apud Senecam. Vicium eſt, ſi plus ſit in concluſione, quam in præmiſſis. Nec minus naturæ error fuit, cum Ciceronem parentes genuere cum cicere. Denique ex veris nil niſi verum, uti ex fortibus fortes creantur & boni. Porro ab Exemplo qui argumentantur Oratores & Poëtæ, gaudent à thalamis, uxoribuſque exempla petere. Tale eſt illud acuti vatis, quem non nomino, *dabat hoc Cornelia Graccho, Iulia Pompejo, Portia, Brute, tibi.* Tritum etiam illud apud umbraticos Enthymema ἀπὸ τοῦ εἰκότος, *Pallet, ergo amat.* Illud indignor, tam acri Dilemmate virginum ſpem oppugnaſſe Biantem, cum *uxorem ducendam negat*, ob hoc, *quia nec formoſa ſit ducenda, utpote* κοινὴ, *nec deformis, utpote* ποινή. cui conſona dixit alter quidam, qui juveni nondum, ſeni nunquam ducendam uxorem contendebat, τῷ νέῳ οὐδέπω, τῷ γέροντι μηδέποτε. At vide, ut etiam lepida Inductione concludat Bilbilicus, *lib.* 3, *Epigr.* 53.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibuſque, brachiiſque,
Et ne ſingula perſequi laborem,
Tota te poteram Chloë carere.

Quam vero oportunum hoc Dialecticis diſſertationibus ſit argumentum, inde conſtat, quod probabilium quæſtionum ſuppeditet luculentam penum. quales ſunt: (*Plutarchus in Moral.*) *An ſapienti ac literato ſit ducenda uxor. An ducta jam uxore ſit philoſophandum. An praſtet cum Scævola manum habere in flamma, an cum Ariſtip-*

po

po in ſinu Laidis. An recte à Demoſthene reſponſum ſit, Non emi tanti pœnitere. An ducenda ſit uxor oculis ſolum, an etiam auribus: hoc eſt, an ad formam ſolum ſit reſpiciendum, an etiam attendendum ad famam. An præſtet nobilem ducere, ignobilem & divitem, an nobilem nudam agris & nummis. An juvenculam, an plenis annis nubilem. An tenui & anguſta fronte inſignem Lycorida, qualis Italis placet, an lata & tuberoſa, qualis noſtratibus. An Venuſinam, an Corneliam pro dote triumphos numerantem. An indoctam, an quæ docta tenebit Dicendi genus, & curtum ſermone rotato Torqueat enthymema, vel hiſtorias ſciat omnes. An expediat uxori ſubinde liticulam movere, ut mox amoris fiat, cum lucro, redintegratio. An viri in familia dominium Monarchicum ſit, an Ariſtocraticum, ita ut in partem imperii admitti debeat uxor. An viri in illam imperium civile ſit, an herile. An phantaſiæ uxorum indulgendum ſit in ornatu corporis. An ſolas deambulare fas ſit: An ἑλικῶπις, βοῶπις, γλαυκῶπις *pulchra ſit*, & quæ plura *loquacem Delaſſare queant Fabium.* (*Horat. lib.* 1. *Odar.* 33.) Quod ſi demonſtrationem τελεϊζωνον, quæque ſcientiam animo ingeneret, ab amantibus exigas, dicam cum Philoſopho, exquiſitas Demonſtrationes in materia contingenti, & tot caſibus obnoxia perperam exigi. Sed ut Sophiſtarum cavillis expoſita ſit, docent, Scholæ, quæ ad Amphiboliam referunt: *Audio uxorem habere te.* ad fallaciam accidentis, illud Comici, Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία, *Tria ſunt mala, æquor, ignis atque femina.* ad fallaciam, à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστὶν, ἔχει &c. *Femina tota furit.* ad fallaciam à non cauſa ut

cauſa,

causa, *Ventricosa est*, ergo *in utero gerit*. ad fallaciam plurium Interrogationum pro una, *Clœlia, Agrippina, Scribonia, fuerunt ne matres fœcundæ?* Ex quibus omnibus patere arbitror, quanta Logicæ & rationalis doctrinæ cum conjugali statu sit cognatio, ut toto cœlo mihi errare videantur, qui à ratione alienum putant, imperatorem Vniversi virum in conjugis se gremium demittere. Iamque ista scripseram, cum tædium ignobilis ac ancillantis disciplinæ obrepere cœpit. mox cantillare exorsus, dum, fessam ab intentiori meditatione mentem relaxo, ilicet ad ingenium redii, & hisce versiculis margines libelli conspurcavi.

Ite graves ferro clypei, galeæque, ducesque,
Et quicquid, Bellona, probas. Tu sæve facesse
Mars pater, & Paphiis furialia prælia bellis,
Et facibus secerne faces, atque ignibus ignes.
Non ego jam Sylvæ muros, non subruta flammis
Tot circum castella canam, non matribus arma
Detestata piis, crudæque incendia pugnæ.
Molle melos Citherea cupit, levibusque Camœnis
Dici Cypris amat; grandesque exosa cothurnos
Gaudet Acidalio thalamos percurrere socco.
Ille mihi quondam Sophiæ deductus in hortos
Virginis os tenerum, & blandæ promissa puellæ
Cogitat, insolitoque furens incanduit æstu.
Tu celerem in flammis juvenem Sapientia dictis,
Consilioque juva. vellem prudenter amari,
Quam jam Sponsus amat. vellē sapienter amari,
Cui debet se Sponsa, virum. sine lege maritum
In thalamos inferre faces insania lecti est.
Vestigant secreta Duces, bellique labores,
Vt noceant prævisa minus. discrimina Nerei
Navita, & in cœco scrutatur saxa profundo,
Ne noceant occulta rati. tu pectore, Gravi.

Dum

Dum Cyprum, totamque Paphum, Gnydiique recondis
Arma Dei; primoque ferox incumbis amori;
Barlei præcepta tui, monitusque suaves
Accipe. Iamque gravis credas commenta Lycei
Insanire tibi, tetricos mitescere vultus
Doctorum, & rigidæ dici convitia barbæ,
Grajaque Romanis impleri pallia nugis.

Quare Physiologiæ quoque, & rerum naturalium capita perstringam, cum Physici corporis affectiones laudatissimæ sint, amare & amari. Sed præeat Stagirites ipse, qui de informi materia obscurius disputans, ut intelligi possit, eam Feminæ comparat, quæ virum appetit. Evolvam latius Peripateticum sensum. Materia per se rudis, indecora, turpis, sine forma sordet. Nec sine viro mulieri suum decus ac splendor constat. Materia sine forma distingui ac secerni nequit, cum unus idemque ubique ejus sit vultus. Nec uxor Catonis, Attici, Cæsaris nuncupatur, nisi postquam suo quæque marito placuit. Materia indifferens est ad omnes formas. Etiam mulier nulla naturæ necessitate huic magis, quam illi, se ipsam debet. Cum materia ut maritet forma, illam disponi oportet ac alterari. Etiam mulierem blandimentis deliniri necesse est, ut hunc præ illo admittat. Materia nullam rei naturalis speciem parturit, nisi ab Efficiente mota, nec mulier ulla sobolem, citra viri opem. Noli mirari, formæ simul & Efficientis analogiam induere virum, cum in Physicis nihil vetet, unum idemque formæ & efficientis officio fungi. Materia & forma totum compositum sunt. *Masculus & totum*, ait Propertius, *femina conjugium*. Ergo, uti insatiabili formæ desiderio tenetur materia, ita &

Æneæ

Æneæ amore *Vritur infelix Dido, totaque vagatur Vrbe furens:* & Pyrami desiderio Thisbe in invidum parietem invecta fuit: Phaonis amore, è scopulis se præcipitem dedit Sappho. Cujus quidem desiderii causam ex Platone discite, qui homines fingit ex mare & fœmina constitisse, postea facta partium divisione, ac sectione, mansisse in iisdem veteris junctionis & copulæ appetitum. Nec secundam formam admittit materia, nisi extincta priore. Neque Tiberio jungitur Livia, superstite Marcello. Privationem mariti debiti adesse, erudita Epistola deplorat Icari filia. At illam absentiam formæ debitæ inesse definit Peripatos. Idem privationem & formam contraria vult esse Principia, at Empedocles Amorem & litem. De Natura, quæ causa motus est & quietis, deque principio Activo & Passivo, nihil attinet dicere. Sunt Veneri non minus sua sacra, quæ revelare nefas fuerit, quam Cereri. Flammeis Sponsam velavit antiquitas, ne, quod vult illa, appareat velle. Illud solum dicam: Naturam quoque esse, quæ ad licitas voluptates nos invitat. unde Venerem quidam dictam putant, quia nec vocata sponte ad nos venit, *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.* Causas generationis externas apud eundem philosophum leges, ubi inquit, *Sol & homo generant hominem.* nec alio fine hominem amat homo, quam ut homines esse non desinant. Fortunam & Casum in his rebus ludere dicerem, nisi obstaret Satyrici autoritas, qui ait, *Fatum esse in partibus istis, &c.* Magis Physica sunt, quæ de Motu disputat. Vt alia omittam, illud ad ravim inculcat, tanquam Physice κεφάλαιον, Motum fieri successive, generationem contra in instanti, cum minus hac in parte

acutus

acutus Maro dicat, natum Polloni filium, postquam *Matri longa decem tulerunt fastidia menses*. Perpetuum & grande esse,ait,odium Naturæ & vacui. stupenda illam hujus metu moliri, ima sursum,supera deorsum protrudere,obstantia perrumpere, frangere saxa, moles attollere, aut motum ipsum invitis motoribus prohibere. Habent & suum Vacuum, quod metuant, Lares domestici,habent,quod optent. Metuitur bonæ mentis soror paupertas, ut quæ vacuis Ioculis ambulare solet, nec si plenos illos fors dederit,valde de corporum penetratione cum Democrito & Melisso sollicita fiet.Contra optant Vacuam à lite, asperitate, superbia domum. Possem infinita hujusmodi congerere ad hanc rem, sed cum Infinitum nullum dari contendant Physici, vereor, ne Præceptorum incurram offensam.Verum ut ad Te convertam orationem, Gravi doctissime, Cœlum, cui aliquando deberis, contemplare, orbesque supra mundum hunc positos percurre. Apparet inter sidera cum conjuge sua Cepheus, ut locum quoque conjugibus in cœlo esse post fata doceaeris. Apparent tot virginum, ac matronarum faces. Andromedæ, Astrææ, Veneris,Dianæ,ut scias etiam cœlestibus placere sexum istum, quem hic mortales tædio optimarum rerum sequiorem vocamus. En locum, à quo læva dextraque omina novis nuptis petere solent Astrologi, fœcunditatis ac sterilitatis, longi brevisque ævi præsagia. Hic genituræ tuæ dominos vides, vitæ moderatores Planetas. Ex his Saturnum cave, inimicum amantibus sidus, ob frigus. Iovem venerare (ab hoc Ioviales dicti) divitiarum,honorum, lætitiæque datorem. Martem fuge, igneum, ferocem, iracundum. Om-

Omnibus dignior Sol, cui tot virtutes inesse perhibet Ptolomæus, quot reliquis stellis. Venerem, in cujus jam stas horoscopo, suspice, quæ, ubi ad Bichæram accesseris, plus satis dabit incalescere. Mercurium probo, sapientiæ & eloquentiæ autorem, patriæ urbis tutelarem Deum. Sed Lunam aversare, amentiæ, instabilitatis, ignorantiæ, ignaviæ matrem, ideoque Endymioni dilectam. Eam quoties vultum mutare vides, variam ac mutabilem vitæ rationem cogita. Vbi Sol in Geminis fuerit, gemellos expecta, Castori & Polluci pulcherrimis juvenibus similes. Vbi in Virgine hærebit, filiam spera, Helenæ forma non dissimilem, sed moribus ac fato. Hæc ex Zoroastris, Apollonii, Eudoxi, Zamolxiris disciplina hausimus. Pene oblitus eram suavissimi istius ac harmonici concentus, quo præterlabentes invicem orbes Pythagoreorum auribus accinunt. Exhibet is speciem suavissimæ inter vos conspirationis, & in vita, sermonibus, factisque laudabilis consonantiæ. A cœlo ad Elementa descende. ab Igne nonnihil caloris peti suaserim, caveri illud τὸ ξηρότατον. Aëris multum, & quanta potes laterum contentione imbibe. χυσώδεις enim expedit esse amantes, & spirituum plenos. At cur ἄριστον esse ὕδωρ inquit Pindarus noster? forte ob hoc, quod cum Platone credidit, mundum esse animal, ad hujus vero generationem conservationemque maxime facere humidum, annuente Homero,

Ὠκεανόντε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν.

Oceanum matremq; Deûm, Thetynq; parentem.

Nec terram fastidi, quam Ascræus poëta in sua Theogonia cœli conjugem, omniumque communem matrem vocat. Ex his quatuor altera-

tis unione quadam fit mixtum, uti neque male misceri dixeris fide conjugali nexos amantes. Magni poëtæ hemistichium est, *Mixta Deo mulier.* Quæ ipsa mixtio uti in natura absque Reactione non fit, ita reciprocis quoque amoris & benevolentiæ officiis Aphrodisia sacra constant. Etiam hic valebit illud Martialis,

Vt præstes Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem.

Hoc non fit verbis. Marce, ut ameris, ama.

In Meteorologicis fumi & vapores utramque paginam faciunt. Sed & amantium sunt fumi, & vaporum instar evanidæ voluptates. quod infitias non ibit, qui secum reputabit, quas vir cum uxore dicat ineptias, quas agat nugas, quoties de posteritate sollicitus humani generis jacturam resarcit. Ibidem audio de Draconibus volantibus, de fatuis ignibus, de lancea ardente, de fulmine & tonitru, de ventis, tempestatibusque, imbribus, grandine, mari, ac similibus terrorum plenis nominibus graviter disceptari. Sed an unquam ita bene compositi fuere conjuges, quos non sui subinde transvorsum rapuerint turbines, accenderint irarum faculæ, de statu tranquillæ mentis dejecerint fluctus? Non credo verum esse, quod monumento suo inscribi jussit P. Rubrius Celer: se cum uxore vixisse XLIII annos, menses VIII, sine querela. De Fatuis conjugum ignibus nihil dicam, cum de iis prolixe satis totum jam seculum declamaverit Moria Erasmi. Iridem quoque scis evanidæ esse naturæ, ut discas evanescere subito amantium iras: eandem varios colores induere; & jam blando, jam torvo vultu opus esse patrifamilias, prout vel poppysmo lenienda est uxor, vel objurgandi liberi, vel

ri, vel coërcendi famuli. Metalla, alte terræ visceribus reposita, scrutatur pallidus fossor, sed non invenit, nisi præeunte virgula divina. Nec fidem aut amorem conjugis recte exploraveris, nisi salutari afflictionum virgula tactus. In lapidum genere Smaragdos tibi commendo. soli enim grata viriditate oculos fessos Candidæ tuæ intuitu reficient. Florum, herbarumque fragrantiam in hortis amamus, quæ si in moribus quoque vestris renideat, gratissimum quaquaversum odorem spargent. Sunt & amoribus sui horti & viridaria, in quibus sollicite à te velim observari, Parthenium, myrtum, euphrasiam, pomum amoris, sempervivum, & si necessum sit, erucam & satyrion. In Avium genere cornicem ac columbas ama, amoris symbola: ad hæc Piscium genus omne, in ipsis aquis frigoribusque exardescens. Ante omnia, Animam, sine qua trunci sumus & lapides, intuere. Est ea actus corporis organici potentia vitam habentis. quod quidem totum viro convenire arbitror, qui conjugi unitus, ἐντελέχεια est σώματος ὀργανικοῦ τῇ δυνάμει παῖδα ἔχοντος. Officium ejus naturalissimum est, τὸ γεννᾶν. quod & tuarum jam est partium. Illi visum, auditum, gustum, olfactum, tactum acceptum fers. At quid est, ait Varro, *quod homo libentius videre debeat, quam bellam uxorem*, addam ego, & rotatorios amantium oculos, duri ac illachrymabilis Plutonis illices? Quid audire impensius amat, quam eandem ὑποκορισμένως loquentem? Nihil quoque salsum, nihil suave esse potest, ubi amor non admiscetur. Idem, qui dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit. De olfactu dixi, cum de morum fragrantia verba facerem. Et nisi per Tactum fuisset,

immerito tantis animis Paridi succensuissent Atridæ. Quanta Memoriæ in mulierculis sit vis, inde liquido constat, quod sine illa lentum suum Ithacum jamdudum plorare jussisset Penelope. quanta vero Imaginationis, ex eo, quod illius impulsu Hellespontum toties tranaverit Leander, & visam semel Cleopatram amare sustinuerit Antonius. *Hærent infixi pectore vultus, Verbaque.* Iam vero Animæ distinctioni in Vegetativam, Sensitivam, & Rationalem, annon respondet amoris distinctio in Naturalem, Animalem, & Rationalem? Affectuum insuper, quos Græci πάθη vocant, historiam cum leges, cogita, sine Amore nec patrem te unquam fore, nec jam Sponsum, cras maritum esse posse. Gaudio vero ac voluptate non minus carere poteris novus amator, quam umbram non jacere, qui cis ultraque Solem positi sunt. Totius conjugii moderatrix est Ratio, qua uti aliis imperamus, ita & illi parti potissimum imperare nos necesse est, quæ rationem non nisi invita audit.

Formant cuncta virûm, docent maritum
Cœlum, sidera, terra, pontus, aër,
Occultumque aliquid thoro loquuntur.
Saturnus gravis incubat cubili,
Emollitque senem sereniore
Vultu Cypris, amicior puellis.
Promittunt sobolem, negantque stellæ:
Promittunt facilem, negantque Sponsam.
At non ista, minantiumque duros
Moratur sapiens Deum labores.
Astris imperat, applicatque lecto
Totum Zodiacum sagax amator.
Et quibus ratio faces ministrat,
Mens exercita, masculumque pectus,

Cœlum, ſidera, terra, pontus, aër,
Totum proſpera donat Vniverſum.

Illud quoque non ſemel me dixiſſe recordor, Socratem philoſophiam, è cœlo ac aſtris, in domos urbeſque deduxiſſe. Ego dum
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita pede,
eam è cœlo & Naturæ ſacrario in thalamum & amplexus tuos deducam. Magna eſt & acris apud morales Philoſophos de Beatitudine diſceptatio. Inter ducentas & octoginta opiniones, ſi Varroni fides, placet illa, quæ eam in virtutis actione ponit, & ea quidem, quæ individuam ſecum trahit animi corporiſque voluptatem. at hanc ipſam ſi à conjugali vita diſtraxeris, non vita ea, ſed mors appellanda eſt, licet è Zenonis porticu dimiſſi perpetuis illam conviciis dilacerent, forte, ut deterritis aliis, ipſi ſoli fruantur. Multa apud eoſdem de utili, honeſto & jucundo eſt contentio. quæ omnia in tuos uſus converte. Nam & augendæ rei familiari ſtudere te oportebit, quod utilitatis eſt; & ea ſectari quæ ſine ullis prœmiis fructibuſq; propter ſe expeti merentur, quod honeſtatis eſt; nec averſari ſuavem conjugis fruitionem, *Et tot millia baſiationum*, quod jucundum interpretor. Recenſebo Virtutes, veræ beatitudinis media & cauſas, omiſſis iis, quæ de Spontaneo & Invito, Electione ac Conſultatione in medium proferri ſolent. Neque enim dubium eſt, te Sponte hoc vitæ genus elegiſſe. Et quis credat, in Veneris ſervitium conceſſiſſe δι' ἄγνοιαν aut διὰ τὸ βίαιον prudentiſſimam & humanæ imbecillitatis probe conſciam Virginem? Fortitudo circa τὰ φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα occupatur. Quare, tu Virgo, *Volſcorum egregia*

de gente Camillam imitare, quæ viris ausa fuit concurrere, ut est apud Maronem. Virginitati si metuis, age, ut de te ipsa victoriam & triumphum reportes, sine, eam rapiat maritus. Vinci velle, vicisse est; & simulasse animi ægritudinem, ea demum vera sexus vestri laus est. Hic virum non alloquor, cui fortius ad res tantas ingenium suspicor esse. At Temperantia omnium virtutum fidissima custos, utriusque vestrum erit. Quisquis conjugem amas, serio ama, aut amari si illa se frigidiuscule sentiet, mox in amore tepescet. & quem minus amare desinet, odisse incipiet. Ita tamen, mi Gravi, amare te velim, ut, contra quam, post obitum Terentiæ, fieri posse dicebat Cicero, & uxori & sapientiæ operam dare possis. A Sponsa redamari te cupiam, sed caste, sed sobrie, sed verecunde. Quæ flagrat, minus modesta erit, quæ furit, minus tranquilla. Ardentes in amore vidimus, sed mox zelotypas, quæ si maritus alio oculum torserit, si osculum vicinæ indulserit, si ridenti non subriserit, si rure tardius reversus fuerit, anguntur animo, & se negligentius haberi putant. Vetus hoc legi,

Quæ mulier suum virum vult sibi obsequentem esse, & diutinum, modice atque parce ejus serviat cupidinibus.

Quam illa sapuit, quæ rogata, *ecquid maritum complexa esset*, respondit, *Non ego illum, sed ille me*. Etiam justitiæ hic locus, cujus officium est, unicuique suum dare. Quæ vero conjugum mutua sint debita, ex lege innata, non scripta, habere facile est. Sed hanc moderabitur Æquitas. quæ faciet, ut in meliorem omnia partem sumantur; & quod deforme est, formosum; quod vile, preciosum appareat. Ad proprias magis

magis conjugum virtutes me confero. Sunt eæ, Concordia, Fides, Caſtitas, Manſuetudo, Patientia, Comitas. De concordia Naſicaam audite Vlyſſi loquentem,

Οὐ μὲν γὰρ κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνὴ, πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι.

Nam nil pulchrius eſt meliuſque,
Quam cum vir, mulierq; ſuam concorditer una
Ætatem degunt, in quo dolor hoſtibus horum,
Sed ſit gaudium amicis.

Ea ut ſarta tecta inter vos ſit, opus eſt amore, ſed à quo nec verecundia, nec reverentia abſit. ſecus ſervitutis ille illecebra eſt. Novi maritos, qui in publico nugari, jocari, os libare amant. novi, qui non niſi ex uxoris imperio loquuntur, & ambulant. Tales, cum imperium dote vendiderint, aureis compedibus ambulare ſcripſit Petrarcha. Exclamandum his cum Comico, *Vxorem duxi; quam non ibi miſeriam vidi?* Alterum accipite Concordiæ authoramentum, pati multa, connivere ad multa. Diomedes ſcribitur ab Homero in bello ne Veneri quidem peperciſſe. Tales viri quidam ſunt ferocientes & lævi, qui tenellum ſexum exaſperare immitti ſermone malunt, quam blando demulcere. Caſtitatem exigo. Improba ſiquidem vox eſt, etſi Imperatoris & arguta: *Patere me alias exercere cupiditates meas. Nam uxor nomen eſt dignitatis, non voluptatis.* Data mutuo Fides non niſi cum morte divortium faciat. Comitatem impero, qua alter alterius animum dejectum eriget, triſtem exhilarabit, languentem exſtimulabit, ægrotum levabit, ferocem franget. Si exempla vultis, Clytemneſtras, Danai-

des, Faustinas, Rosemundas detestor. Laudo Creusas, Artemisias, Iulias, Æmilias, ardua exempla, cæterum cognosci utilia, quia excellentissima animadvertenti ne mediocria quidem præstare difficile putabitur.

Vado ad Politicam, scientiarum omnium principem & Architectonicam. Hæc sine statu conjugali nulla est. Nec enim civitas, nisi ex familiis coalescit, nec hæc perfecta esse potest sine viro & uxore. Discrimen tamen ingens utriusque societatis observasse mihi videor. In illa gravitatem omnia, & severitatem sapiunt; hæc risibus, jocis, lusibusque temperari amat. Sæviat in Capitolio Nero, hic mitescet. In Areopago frontem corruget judex, hic eandem explicabit; adamantinas leges edicat, hic delirandi spatium quæret. In Curia quamvis gravis Cato, hic parum pensi habet, & dum uxori vacat, de Carthagine excindenda minus cogitat, Politica conjunctio hominibus tutandis, hæc generandis servit; illa ut bene sint, hæc, ut sint, facit, humani generis architectrix unica. In illa ruptam pacem aut legum rigore, aut ferro reparamus. hic urbanitate & intima admissione sopitis amantium iris recrudescit amor. Et quanquam Politicorum judicio Resp. melius regatur à viris, quam à fœminis: nihil vetat tamen de Rep. & has bene mereri. Cum angeretur valde Augustus, & insomnes noctes ageret, deprehensa in se conjuratione L. Cinnæ, sensit, & blande exquisivit Livia, *Et potes*, inquit, *fœminam audire? Omitte consilia de puniendo, cogita de ignoscendo Vindicta & severitas quod hactenus non perfecere, vide an benignitas ac clementia dabunt.* Paruit Augustus, ignovit, & in posterum muliebri consilio liber ab insidiis

vi-

vixit. Oeconomica doctrina tota veſtra eſt. Partes quippe ejus ſunt, parentes, liberi: maritus, uxor: dominus, ſervus. De ſingulorum officiis erudite in Oeconomicis ſuis diſſerit Ariſtoteles. Vnum excerpam, idque emphaticum valde: *Viri erga uxorem eam eſſe rationem, quæ principis erga ſubditos.* Quid, quod lib. 1, c. 1, *Oeconomiam Monarchiam eſſe pronuntiet*, & l. 1 Pol. c. 8, *Mulieris principatum non per ſe, ſed præter naturam eſſe.* Quare cum Telemacho, velut in majeſtatis tuæ throno ſedens, exclama:

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ᾽ ἡμετέροιο.

Sum propria Rex ipſe domus, princepſq, meorum.

Lycios nihil morare, qui majoribus honoribus mulieres proſequuntur, quam viros: neque Sauromatas, qui, genus hominum barbarum, in univerſum fere parebant uxoribus. Mathematica ſupereſt. Ab hac normam & amuſſim bene vivendi capite. Vti enim illa omnia ordine, numero, pondere, & menſura facit, ita & à conjugibus hæc ipſa obſervari æquum. A Geometria ſpecialius diſcite, toto cœlo ab amantium ſtudiis differre lineas parallelas: Ab Arithmetica, quid ſit proportio Arithmetica & Geometrica, cum illius in dote rationem haberi non repugnaverim, hujus in vita, moribuſque haberi neceſſe ſit: Ab Optica diſcite, reflexum amoris radium ſimplici efficaciorẽ eſſe. Catoptica non commendo iis, quibus ob virtutem ſolam, pulcherrimoſque ejus vultus conjuges placent. A Metaphyſica ſtudio abſtinui. Quia cum propriũ ejus ſit, ea conſiderare quæ ἐξ ἀφαιρέσεως ſunt, à materia abſtracta; vos vero ea quæ ἐκ προσθέσεως ſunt, ac materiæ permixta, ametis: veritus fui, ne in modum conſiderandi res Metaphyſicas peccarem, & δι᾽ ἀπαιδευσίαν dicar hallucinatus fuiſſe.

Desinam itaque philosophari, & læta comprecatione Nuptiis Peripateticis finem imponam, illud solum si dixero: Felicem esse Sponsum, cui uxor talis contigit, in qua cum forma mixturam fecit pudicitia, cum opibus humilitas, cum honestis natalibus modestia, cum facundia morum candor: Felicem quoque te Sponsam, tali marito, in quo eruditio cum prudentia, cum probitate pietas, cum comitate gravitas optimo fœdere coiere. Vivite læti, & inter hasce vitæ ærumnas, & mundi lubricos casus, pie ac jucunde ætatem transigite, liberosque in solatium simul vestrum & subsidium, amicorum & patriæ spem plurimos gignite.

Hæc dum remisso disputamus otio;
Foris sub ipsis præliatur Alpibus,
Et signa tollit præpotentium furor.
Domi triumphos, fracta Rheno cornua,
Victumque Mosam, fataque indomabilis
Miramur urbis. ire retro Cæsarem,
Aquilas fugari, latiorem Marsacum
Frontem receptis explicare finibus.
In Batavis, tu noster, amas, primusque tuorum
Ordiris, Theodore, virum. dulcissima res est
Conjugium, conjunxque tibi. post bella necesque
Tranquillum meditaris opus. dispendia mundi
Tanta cupis sarcire pater, belloque cadentes,
Pro patria, reparare animas: proferre nepotum
Nomina. Virginitas, & Virginitatis honores
Sordent cuncta tibi. pudor est, sine conjuge, latos
Effluxisse dies, pigram traxisse juventam,
Et magni genuisse nihil. Nunc verba mariti
Ingeminat Bickara tibi. mutataque de te
Adsuescit matrona loqui. sic Portia fecit,
Cum sua in ingenti defigeret oscula Bruto.
Nec sapuit Drusilla magis, prudensque Serena
Pectus, & Augusto recubans Vipsania lecto.

C. BARLÆUS.

MEDICEA HOSPES,

ſive

DESCRIPTIO PVBLICÆ GRATVLATIONIS,

qua

Chriſt.mam, Auguſt.mamque Reginam,

MARIAM DE MEDICIS,

excepit

SENATVS POPVLVSQVE AMSTELODAMENSIS.

AD

Nobilissimos, Amplissimos, Spectatissimos, Prudentissimosque Reip. Amstel.

CONSVLES,

D. ANTONIVM OETGENS van WAVEREN, Equitem, Dominum à Waveren, Bochtsholl, Rugewillis, &c.

D. ALBERTVM CONRADI BVRGIVM, ad Magnum Russiæ Ducem Exlegatum.

D. PETRVM HASSELAER, Militiæ Vrbicæ Tribunum.

D. ABRAHAMVM BOOMIVM, in Consessu Deputatorum D. D. Ordinum Hollandiæ antehac Delegatum.



OBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI, PRVDENTISSIMIQVE CONSVLES,

Quod in cœlis Deus est, in terris Princeps est. Ille nullius imago, quia à nullo. Hic Dei imago, quia ab illo. Deus paret nemini, quia inferior nemine. Princeps Deo, quia sola Deo inferior. Illius potestas terminum nescit, quia divina est. Hujus, cum hominis sit, termino modoque circumscribitur. Ille legibus solutus, quia solus leges fert. Hic iis adstrictus, quas à Deo & recta Ratione accipit. Numinis arbitrio & vi aguntur omnia, etiam Rex, Regina, Princeps. At horum

nutu non nisi imperio subditi. Deus, quem submisse colat, amet, veneretur, non habet, quia nulli debet. Princeps solum Deum; cui & se totum & Principatus sui debet decora. Assurgit Principi populus. Deo & Princeps & populus. Qui Deo debetur cultus à religione est, qua animas creatori arctius alligat. Qui Regibus, qui Principibus, ab ea pietate est, qua officiosa esse in illos, sed remissius, amat. Habet mundus eximia plurima, magnitudine sua, sublimitate, splendore stupenda. Fulget in cælo astrorum omnium Princeps Sol, & mortalium in se oculos & anni spem convertit. Fulget Luna & siderum illustris exercitus. Luce, motu, tacitisque influxibus admirabiles sunt & pene venerabiles. At Principe nihil grandius, nihil sublimius, nihil illustrius habet suppositus cœlo orbis. Non lucet sibi Sol, sed nobis. Movet se, ut hominum promoveat commoda. Nec vivit sibi Princeps, sed subditis. qua hic fulget luce, fulget & gaudet populus. Majestatem suam appellatione, usu suorum putat. Hinc in Deum & Principem, licet dispari affectu & studio, reflectimur amore, obsequio, reverentia, fide. In Deum, ut omnis boni & felicitatis humanæ fontem principiumque. In Principem, veluti tantorum bonorum Curatorem & administrum, adeoque à summo Numine secundum. Nec enim propius ad Deum acceditur, quam hominum tutela. Eminere regium est, sed magis prodesse & servare. Prima ipsorum virtus, patriæ, sociisque con-

consulere, orbi quietem, seculo pacem dare. Harum rerum conscientia insidet alte mortalium animis, usque adeo, ut quoties augusto Principum vultu frui ipsis licet, numen aliquod se in terris adspectare putent, & ejus occursu tanquam ad fulgidioris astri jubar ortumque recreentur. Amant flagrantius adspicere eos, à quibus benigne adspiciuntur. Tradunt se totos illis, quibus non servitus civium, sed cura tradita est, qui Rempublicam non sibi solum, sed se quoque Reipublicæ devoveri volunt. Veneratione excipiunt Moderatores orbis, cujus partes sunt, & diffusos in Principem potentiæ divinæ rivulos attoniti admirantur & suspiciunt. Regem da, vel Reginam, quamvis vel Indis illa, vel Afris, vel Sabæis, vel Scythis imperet, sive magnanima fuerit Semiramis, sive bellicosa Thomyris, sive prudens & perita regnandi Tanaquil, sive pacis studiosa Placidia, excitabimur, commovebimur ad Imperatoriæ majestatis intuitum omnes, & reverentiæ ac gratulationis officia non invitis imperabit summæ potestatis veneratio. Non arcessam longe exempla. Venit pridem in urbem hanc vestram Augustissima Regina Maria de Medicis, *familia, imperio, conjugio, liberorum sceptris ac thalamis illustris. Illi vos publico Reip. nomine, & privato insuper affectu assurrexistis. Cives jussi pariter ac injussi, tanquam ad novi sideris conspectum, gratulantes undique convolavere. Idem plebis studium, fervor, alacritas. Documentum dedistis grande, suspicere &*

Vos

Vos augusta Regum & Reginarum nomina, & charos habere, quos Deos appellavit, quantumvis zelotes, Deus. Nullum intermisistis officiorum genus, quod præstari à vobis præsens Reip. status, loci temporisque sivit oportunitas. Exhibitus honos majora, etiam vestro judicio, merita Principi, ut non liberatoriam hanc, sed confessoriam potius acceptorum beneficiorum tabulam credatis. Non referam publica. quod vos tangit privatum beneficium, majoribus suis debet, à quibus Civitati vestræ ea jura & immunitates concessæ, quibus latius potentiam explicatis. Quanta festivitate, quantis gaudiis, quam læto extra & intra urbis pomœria occursu, quam prona ubique gratulatione, quam splendido apparatu, erectis hic illic Arcubus & Portis Triumphalibus, exhibitis Ludis, coacto totius Militiæ Vrbanæ exercitu, Reginam exceperitis, norunt, quotquot tantorum solennium spectatores fuere. Iam ad eadem Spectacula, ad eandem Panegyrin, vestra liberalitate & impensis admittuntur absentes, quibus coram hæc intueri non licuit. Venit jam ad illos Regina, & quæ mœnia vestra subiit, nunc alibi scriptoris & sculptoris beneficio conspicitur, & salutatur. Stant ante oculos pegmata, theatra, classes, equitum ordines, civium cohortes, scenæ, dramata, prout hic stetere omnia, vel ivere. Non poterit ingrata esse eorum lectio, quorum conspectus fuit jucundissimus. Facit narratio, ut diuturnior sit memoria eorum, quæ non scripta oblivione cito intercidunt. Et quæ

multa

multa singuli non videre, nunc in unum collecta, omnibus in aperto sunt. Spectaculorum & Emblematum argumenta, quæ ob subitas theatridiorum mutationes & vices pauci assecuti fuere, tranquillo & extra turbæ strepitum posito lectori explicantur, ea brevitate, quæ factis nihil magnum aut memorabile subducit. In minuta inquirere supervacaneum fuit, ob res plurimas minoris momenti, variis locis, à variis, & minus palam gestis. anxia sedulitas sedulitatis error est, cum rei summæ id omne decedat, quod minus seriis, ac non necessariis impenditur. Omnis hic apparatus ad Vos redit, Amplissimi Consules, *quia vester est. Vestro nomini inscribitur, cujus vos autores. Magnificentiæ, humanitatis, & benevolentiæ vestræ in maximam Principem monumenta agnoscent, quotquot hæc legent. Dicent imperio dignos, qui, cum honoris publici interest, sordes cavent. nec decere tenuitatem eos, quos populo secrevit fascium dignitas. Quod Regina, quod illustris Reginæ comitatus, quod populus Amstelodamensis credit, brevi recensione postremus attestor. quæ quam gratiam derogat sibi, à vestra sperat facilitate & patrocinio. Æquis animis ea ipsa accipite, quæ æquissimis in* Mediceam *egistis. Placeat Vobis scribentis conatus & studium, quorum pronis in se studiis annuit Regia Mater. Qui Regum Principumque vultus in æra inducunt, quam ab arte nequeunt, ab insculpta Imperantium imagine benevolentiam impetrant. Dum Regina, dum Regum Genitrix, dum Imperatorum Neptis*

utram-

utramque paginam facit, veniam merebitur demissa & infra Majestatis apicem subsidens & fatiscens oratio. Videbitis, ubi per Reip. curas legere dabitur. Non urgeo hoc valde. illud maxime, ut qualem me erga Vos Vrbemque vestram ostendi esse, talem me per ætatem fore credatis. Ita Vobis, ita florentissimæ Civitati, perpetuum Deus bene faxit. Anno 1638, *Octobr.* 20.

V. N. & A.

addictissimus

CASPAR BARLÆVS.

MEDI-

MEDICEA HOSPES,
SIVE
Descriptio publicæ Gratulationis,
qua Serenissimam Reginam,
MARIAM DE MEDICIS,
Excepit Senatus Populusque Amstelodamensis.



SERENISSIMÆ REGINÆ, MARIÆ DE MEDICIS, in Vrbem Amstelodamensium solennem ingressum descripturus, nec quæsitis præter rem præconiis Regiam Majestatem, nec Vrbem hanc nostram fatigabo. Quicquid enim de Illa excellens eximiumque dixero, infra magnitudinem erit ejus, quæ Austriacæ Familiæ, cui maternum genus debet, dignitatem, prudentiam sapientiamque Mediceæ, unde nomen & paternum genus ducit, in domum Borboniam ac Franciæ regnum intulit. Quicquid de hac mediocre dixero, à vero abibit, quicquid magnum, invidiæ forte oportunum videri poterit, aut ab obnoxio profectum.

Ingentes Principum animi publicæ gratulationis officia præstari sibi patiuntur verius, quam ambiunt. quem non efflagitant, civium sociorumque favore frui amant. Ideo moderationem admisceri amant iis narrationibus,quæ honori ipsorum consecrantur. Illud nobis dicere liceat, quòd res est, Vrbem Dei beneficio magnam, excepisse Reginam Dei gratia maximam augustissimamque, Cæsarum & Hetruriæ Ducum sanguine illustrem,quæ Maximilianos, Phi-

Philippos, Ferdinandos, Carolos, Cosmos, Laurentios, Leones, Clementes, stemmati suo innexos adspicit. Digna profecto hospes fuit tali hospitio: nec indignum omnino hospitium tam grandi hospite. Si Reginam intueamur, omnium Galliarum Imperatrix ante oculos stat. Si Vrbem, omnium Mundi partium nobile emporium. Illa invictissimi Regis Henrici Magni conjux, tantis nuptiis inclaruit. Hæc sociarum urbium & terrarum inviolabili fœdere clara viget. Illa potentissimorum Europæ Regum Mater splendidissimis regnis Dominos vel Dominas dedit. Hæc emundis vendundisque mercimoniis iisdem regnis commoda adfert, ab iisdem capit. Illa gentis inclytæ natalibus eminet, hæc plurimarum ad se gentium accessu. Illa Majestate populis venerabilis, hæc illicis lucri spe domi forisque amabilis. Regina terras suorum monstrare potest, quo navigandum. Civitas nostra classes ratesque quibus naviget. Regina Veterem Novumque orbem vel filiorum vel filiarum sceptris complectitur. Civitas hæc quod in utrumque inferat, quod ab utroque repetat, veluti utriusque communis Officina, habet. Illi, ut poëtarum verbis loquar:

generos Tethys dedit omnibus undis.
Hæc *est, exiguis quæ finibus orta tetendit*
In geminos axes, parvaque à sede profecta
Dispersit cum Sole manus,
Illa, *Læta Deûm partu, magnos complexa nepotes.*
Omnes sceptriferos, nondum supera alta tenentes.
Hujus *pacificis debemus moribus omnes,*
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,
Quod sedem mutare licet, quod cernere Thulen
Rursus,

Rurſus, & horrendos quondam penetrare receſſus,
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cuncti gens una ſumus.

Videbor præter decorum comparationem feciſſe Reginæ & Vrbis. Sed illius magnitudinem Imperii eſſe conſtat, & ſanguinis & majorum & heroicarum virtutum. Hujus fortunæ, & mercaturæ & privatæ civium felicitatis. Illud dubium, an illius incredibilem in altitudine comitatem mireris magis, an hujus erga Celſiſſimam Reginam prædicandam humanitatem. Officii ſui eſſe credidit Amſtelodamenſium Reſpublica, aſſurgere Maximiliani Imperatoris Abnepti, à quo Cæſareæ Coronæ inſignia olim impetravit. ideoque executa eſt ſplendidius, quæ aliæ civitates pari fecere affectu & veneratione. Subiit animum Ampliſſimi Senatus, rem eſſe veteris & recentis ævi, Reges Principeſque non ſine ſolenni apparatu in urbes vel ſuas vel fœderatas recipi. Hoc à Græcis, hoc à Romanis factitatum, ſive triumphos, ſive ovationes, ſive trophæa, ſtatuas, epinicia, aliaque publici honoris teſtimonia bene de Republ. Imperioque meritis decernerent. Et quanquam terrarum ſuarum urbiſque Principi gratulatus non fuerit, ejus tamen dignitati gratificari voluit, quæ ex priſcis laudatiſſimiſque harum Provinciarum Principibus generis ſui ſeriem deducit. Accedit & illud, quod potentiſſimo Galliarum Rege, LVDOVICO XIII Iuſto, ſtatus noſtri vindice, fœderiſque cum HENRICO IV patre olim initi perpetua felicitate fruamur; quorum Regum Illa vel partu vel conjugio glorioſiſſima habetur. Nec major commodiorque

que testandæ gratitudinis opportunitas offerri potuit, quam si in ejus decus & splendorem se impendant Bataviæ civitates, quæ maximis aliquando beneficiis Remp. universam cumulavit. Triumphales pompæ virtutis & eminentioris fortunæ præmia sunt. Vtroque nomine magnificentiam suam explicuere Amstelodamensium rectores. Erant Romanorum sumptus privatim tenues, publice splendidissimi. illic parsimoniæ locum, hic dignitati esse volebant. Absunt à luxu impensæ largiores, quibus majestas, fama, claritasque imperii asseritur. Non profunditur, quicquid in optimos Reip. fines effunditur. Nec mirum, majus aliquid conari civitates, quæ inter vicinas sua semper magnitudine præstitere.

REGINA Mater, postquam consilium cepisset, relicto Brabantinorum solo & cognatis Potestatibus, apud quas annos complures exegerat, Fœderatorum terras adeundi, per Tungrorum, Eburonum, Taxandrorum fines, & obvias Batavorum urbes, Dordracum, Roterodamum, Delphos, Hagam devenit, Principum & Gubernatorum Hollandiæ priscam sedem. Hîc illustrium ac Præpotentum D. D. Ord. Generalium magnifico occursu & salutatione excepta, quod jam ante ad Sylvam-Ducis fecerat Celsissimus Arausiorum Princeps, itineris sui tædia aliquot dierum mora discussit. Ire per viarum singula, & pomparum formas, & festivitatum modos, longi foret sermonis, nec nostri est instituti. Ea solum exequar, quæ sub Reginæ Adventum hic gesta, & exhibita publice fuere. Tenebatur illa unice visendæ hujus Vrbis desiderio, de qua fama multa

multa ante magnaque inaudiverat. Pridie Calendarum Septembris, qui Augusto ultimus fuit, iter eo fecit, comitibus Celsissima Amelia, Principis Auriaci conjuge, Mauritia Lusitaniæ Principis Filia, Florentio Pallantio Culenburgi Comite, Ioanne Wolphardo Brederodio, Brederodii, Vianæ, &c. Domino, vidua Domini de Potles, Brederodii sorore, ejusdemque Filia natu maxima, Iohanne Kerckhovio Polyandro, Heenvlietiæ Domino, Sylvarum Hollandiæ & agri Putteni Præfecto, & Nobilium aliis. Notat ingeniosa quorundam curiositas sacrum Romano Imperatori mensem militasse proficiscenti Imperatrici, Augustum Augustæ, eoque illum excurrisse die, quo illa ad augustam Imperii insignibus civitatem properabat. Per Batavorum & Kenemariorum agros profecta vergente in vesperam die Harlemum venit. quæ inter septem primarias Hollandiæ civitates in Consessu D. D. Ordinum secunda loquitur, dura obsidione artiumque plurimarum laudibus, præsertim typographicæ grandi invento celebris. Quod cum nunciatum esset A. A. Amstelodamensium Consulibus, nulla mora Syndicum suum Guilielmum Borelium, Duynbekæ Dominum, eo ablegavere, rogatum, ut Vrbem quoque suam adire Regina Mater dignaretur, sive terrestri, sive maritimo itinere in illam invehi mallet. Hoc gratius fore Regiæ Majestati, & tali Emporio conveniens ac decorum magis, ob celocium & Liburnicarum navium opportunitatem ac elegantiam, ac vectoriarum insuper longo pulchroque ordine in anchoris stantium insolitum exteris conspectum. Excepit benigne Consulum invitationem Regina, & postero se die, Deo permittente,

te, affore ſignificavit, minus placere iter maritimum, ob aëris mariſque incertam tempeſtatem, præferri terreſtre, ut tutius commodiuſque. Per noctem Harlemi commorata debitis à Senatu honoribus accepta fuit, juvantibus communem gratulationem civibus. Ipſis Calendis Septembris, Mercurii die Amſtelodamum Mercurii ſtudiis negociiſque vigens oppidum petiit, non ea via, quæ per aggeris mari objecti ſinuoſa circumducit, ſed quæ propter Foſſam Novam recto & compendioſo in urbem extenditur tramite. Dies ad omnem ſerenitatem compoſitus arridebat adventanti Mediceæ, felicior futurus, niſi veſpertino imbre menſis etymo fidem feciſſet.

Ad viæ medium locus eſt, ubi validis pandiſque cataractis ſe in Auſtrini maris ſinum exonerat Lacus Harlemenſis, à publica hoſpitum domo, quæ Cervi inſigne præfert, appellationem habens. Convenerat huc Conſulum præſcripto (nondum enim qua via urbem eſſet ingreſſura Regina conſtabat) Liburnicarum navium numeroſa claſſis, inter quas quæ Reginam, Principem comiteſque illuſtriores veheret, Prætoria una erat, Societatis Indiæ Occidentalis uſibus inſerviens, tapetis ſtraguliſque decoris inſtrata, & fulgidiore conopæo tecta. Omnes velis, carbaſis, dolonibus, pictis roſtris pluteiſque ſpectabiles, ad proram & puppim machinis bellicis formidabiles adventum Magnæ Matris operiebantur. Immenſæ longitudinis vexilla & navalia, ex ſerico, byſſo, ſindone apluſtria pro ornamento erant. Non alia facie reges duceſque ſuos Athenæ, Cleopatram Ægyptus, Agrippinam Roma, Alexandrum victa Tyrus recepit.

Hic

Hîc rogata iterum Regina, uti arbitrii sui esse sineret, vel cœptum iter curru prosequi, vel conscensa Prætoria speciosa, quam videbat, classe circumfundi, stetit in sententia, sive ob mutatam nonnihil aëris faciem, sive longiorem per aquas viam fore crederet, sive comitum formidine. Vti classem Yæ fluento innatantem cernere erat, ita in continente Equitum patritiorum turma occursu suo jucundissimum præbebat Reginæ spectaculum. Non mercenario illa constabat milite, sed optimatium & opulentiorum civium selecta sobole. non necessitate ad bellum, Principis aut Magistratus jussu convenire solita, sed sua voluntate ad honestam corporis animique exercitationem. Calcaria, stapedes, frena, bullæ, fibulæ, contorti in cincinnos non sine artificio capilli & jubæ, & id genus alia equorum ornamenta aureis argenteisque bracteis fulgebant. Sellæ, pectoralia, stragula pretio & pulchritudine certabant. Enses, sclopeta pro armis erant. In pileorum verticibus discolores plumæ radiabant. Equis caput erectum argutumque, oculi vivaces, magni & micantes, auriculæ breves, collum juxta caput gracilescens, pectus amplum, pleni lumbi, pedes lati & villosi. Coloris plurimi punicei vel castanei, quidam nigri, quidam varii & ex pluribus temperati. Quorundam generositatem arguebat pedum color niger, cana & crispa coma, maculæ zonæque rubræ. Erant, quos stellula in fronte commendabat. alios quatuor pedum, alios duorum, alios unius vel dextri vel sinistri candor. Ex circumversione ad utrumque latus versatiles agnoscas, ex incessu elegantes, ex habenarum motu obsequentes & faciles. Quod si qua so-

num procul arma dedere, stare loco nescii. Stantes spumantia mordebant frena, humum arrectis auribus pede pulsabant. Ibant ad numerum & hinnitu dominorum suorum instituto adfremebant, ea gravitate, ac si Regiæ se Majestati præire arcano instinctu cognovissent. Incedebant factis externo equite contuberniis. Præcinebant tubicines tres purpurea veste induti, & tubarum clangore aurium gratiam demerebantur. Equites amictus forma colorque distinguebat. hi serico velluto, hi Tyrio, hi Phrygio, hi bombycino, hi fimbriato, alii undulato speciosi ac decori. pro suprema veste plerisque lorica erat coriacea, militaris habitus. Adspectus omnium & singulorum pulcherrimus. Nolo hic mihi objici Hannibalis dictum, de *forti magis & strenuo milite, quam eleganti.* Nec illum Venusini Poëtæ versiculum moror; *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit.* Quanquam enim ad bellum hæc non processerit, sed in Reginæ occursum splendidissima phalanx, is tamen illi ipsi florenti ac vegetæ Adolescentiæ inest vigor, ea animi magnitudo, & generositas, ut si non Maria, sed Annibal ad portas esset, ab urbis illum mœnibus depelleret, pro aris & focis illis ipsis armis, illo habitu intrepida pugnaret, & quæ nunc ostentationis gloriæque fuit, tunc seriæ militiæ foret armatura. Nec damnandus omnino in apparatu militari nitor. Plato, Tullius, ille duodecimo, hic secundo de Legibus libro, ad nullos alios usus θαύματα volunt servari & adhiberi, quam ad bellica ornamenta. Ipse Iulius Cæsar, imperatorum fortissimus, milites suos tam cultos habebat, ut argento & auro politis armis exornaret, simul & ad speciem & quo tenaciores eorum in prœlio essent,

essent, metu damni. Ipsius Vegetii præceptum est, ut miles veste nitidus, armis fulgens incedat. Erat dicti agminis Equestris ductor D. Cornelius Davilaer, Advocatus, Dominus de Petthem, qui subsistente ad pulcherrimi Equitatus intuitum Regina, in hæc verba eandem allocutus fuit, & cum tota post phalange in Vrbem deduxit. Oratio è Gallico Latine reddita ita se habet:

SERENISSIMA PRINCEPS,

Hæc quam coram vides, equitum patriciorum hujus Civitatis turma est, quæ partim D. D. Consulum & Rectorum hujus Reip. jussu, partim privato in M. T. affectu, & augustæ ac incomparabilis dignitatis ac ingentium meritorum tuorum intuitu, M.T. Amstelodamense territorium limitesque intranti in occursum procedit, in testimonium ac documentum publicæ, quæ Vrbem hanc affecit lætitiæ, in qua civium singuli gaudent, exultant, ac sibi gratulantur, quod M. T. præter beneficiorum cumulum præsentiæ suæ fulgore, veluti novo sole, Vrbem hanc Amstelodamensem illustrare dignetur. Officia nostra, quæ à nobis præstari M.T. possunt, liberaliter & prolixe offerimus, speciatim vero uti M. T. intra Vrbis portas in eum locum hoc comitatu deduci se sinat, in quo excellentiores magnique nominis Principes, quoties huc concedunt, divertere & publico nomine excipi solent. ubi M. T. experietur, hoc nostrum officium à deditis illi cultoribus profectum, leve esse gratitudinis specimen, nec ulla ratione magnitudini Tuæ maximisque meritis respondere.

Regina actis D. D. Consulibus gratiis, benevolo animo has officiosas patricii Equitatus voces excepit.

Quæ dum foris geruntur, in Vrbe ex Consulum mandato omnia decenter magnificeque composita fuere. Civium armatorum centuriæ viginti, antiquissima Civitatis præsidia, Reip. nervi ac robora, sub suis singulis Ducibus coire jussæ. Cautum id semper providis civitatibus fuit, genitis sibi potius, quam ascitis militibus credere; nec ita fidere externis auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie virium intra mœnia sua habeant. Arma illis diversa, hastæ vel sclopeta majora. Habitus vel pro ordinum ratione, vel ex arbitrio aliis alius. Pectus, tergum, brachia, femoraque ferreo thorace, caput galea tecti. Omnium numerus duo facile millia excedebat. His cohortibus suæ assignatæ per Vrbem stationes. Aliæ sub ipsam portam Reginæ adventum præstolabantur, aliæ longo tractu viam omnem, quæ per Aggerem Novum, Forum ipsum vicosque complures in Aulam Principis abit, pulchro ordine hinc inde oppositi tenebant. Quibusdam assignati pontes celebriores tres, quibus Dameracum insternitur, nec non ejusdem cajetæ marginesque. Est illud Aquarum ex Ya flumine aut potius Austrini maris sinu intra Vrbem se, usque ad Damensem cataractam, recipientium laxior alveus, navium vectoriarum quæ ad mercatum huc confluere undecunque solent, necnon frumentariarum oportuna statio. Hoc tempore remotis Rectorum imperio navigiis omnibus, vacuum locum fecerat adventanti (uti opinio erat) per maritima Galliarum Imperatrici. Quin his ipsis Aquis exhibenda Spectacula sub

ponti-

pontibus occulte aſſervabantur. Ædium ab utroque Dameraci latere feneſtræ & circumfuſa tecta magno ære conducta cupidæ plebis deſideria arguebant. Verum huic omni apparatui iſto & poſtero die quies fuit, poſtquam aliud ſibi in Civitatem iter deſtinaſſet Galliarum Princeps. Producta ex publico Armamentario tormenta bellica juxta Yæ oram, & eminentioribus locis, ac promontoriis diſpoſita fuere.

Ferias & vacationes ab opere tota ſibi indixerat Civitas. Non quemquam ætas, non ſexus, non negotiorum moles, & rei familiaris cura retardavit, quo minus domo ſe proriperet & oculos paſceret regio vultu. Mirum quanta confluentis undique multitudinis per vicos, plateas, compita fuerit concurſatio, virorum, matronarum, puerorum & puellarum. Vidimus oppletas vias & jam tunc vere invias. Vidimus tecta ſpectatorum pondere laborantia. Vidimus ex arborum ramis, ex navium antennis non ſine diſcrimine pendentes, quibus locum terra negabat. Exterorum, advenarum, civium & indigenarum par ubique contentio & honeſtæ curioſitatis æmulatio. Veſtibula alii, coronas & projecturas ædium tenebant. audaciores faſtigia ipſa, loricas & acroteria inſederant. erat temeritati locus, ut eſſet ſpectaculo. Compluvia præ conſcendentium frequentia ruinæ proxima fulcris ſuſtentabantur. Fori inſuper & theatridia paſſim erecta recipiendo populo.

Sub horam pomeridianam quintam affulſit Mediceum ſidus, & Amſtelodamenſe Emporium ſubiit Regum Mater. comitanti eam uſque & præcedente Equitum turma.

Hæc cernas præcedentia longi
Agminis officia & niveos ad frena Quirites.

Tunc explosæ ex omni Vrbis parte bellicæ machinæ & terribiles balistæ immani fragore de Reginæ ingressu fidem fecerunt. Tot simul crepitantibus tonitruis, tot emissis fulminibus, videre erat aërem flammis undique accendi, cœlum fumorum unda involvi, terram tremore quati & vibrari. Pendentes in turrium sublimibus campanæ grandiores commune gaudium per vicina rura deferebant, minores perjucundo modulamine & concentu suavissimo, populi applausibus accinebant.

Sub ipsum Vrbis introitum & Harlemensem portam, Andreas Bickerus ex Consularium ordine, militiæ Vrbicæ Tribunus, & legationibus apud Poloniæ & Sueciæ Reges clarus, Petrus Reael ærarii publici Quæstor, Gerbrandus Nicolai Pancratius Senator, Iacobus Bickerus Senatus Indiæ Orientalis Assessor, Civium Centuriones, præeunte verba Syndico Cornelio Boomio, Reginam gratulantes accepere. Quæ Syndicus dixit, latine reddita hæc sunt:

SERENISSIMA DOMINA,

D. D. Consules hujus Reip. militiæ Vrbanæ Tribunum, & ceteros Civium Duces quotquot præsentes adsunt, huc præmisere, eo fini, ut tam de publico gaudio super felici M. V. adventu coram testemur, quam de gloria, quæ perpetuo hinc Vrbem Amstelodamensem manebit. Insuper ut M. T. rogemus, eo nos honore dignetur, uti à Tribuno Centurionibusq; M. Tua in Aulam Principis deduci se patiatur: ubi D. D. Consulibus opportunior feliciorq; se offeret tuo permissu occasio declarandi abunde benevolam animorum suorum

pro-

propensionem, & ibidem debita veneratione obsequia sua M. T. nomine hujus Civitatis offerendi. Quamobrem D. Tribunus & Centuriones flagranter expectantes, uti M. T. in supradictum locum se à nobis deduci sinat, submisse rogant uti M. T. hanc benevolentiæ nostræ sinceram professionem benigne interpretetur, tanquam à M. T. devotis cultoribus & humillimis clientibus profectam.

Regina oblata à Tribuno & Ducibus liberaliter honoris officia, æqua mente, & serena fronte perhumaniter accepit.

Atque hinc digressa, media inter pompæ triumphalis, equitum præeuntium, peditum subsequentium agmina, inter stantes hinc inde & cataphractos Civium speciosos densosque ordines per plateam, cui à Novo aggere nomen, ad Curiam Forumque perrexit, lentius procedente equitatu curribusque, quibus Illa comitesque vehebantur, ob stupendum & incredibilem hominum accursum, qui viarum non solum spacia obsederant, sed rotis ipsis non sine periculo inhærere videbantur.

Vbi à Foro in arctum cogi incipiunt oppositæ domus, in altum assurgebat Arcus Triumphalis, pulchra & decora specie. In summo fastigio Navigiolum stabat, vetus Sigilli Amstelodamensis character. Ex mali summitate fluebat Vexillum sericeum coloris rubri. Panda navis pars Hollandiæ Comites duos habebat, ad prisci sæculi morem cataphractos, quorum indultis privilegiisque fruens hæc Civitas, symbola hæc gratæ perpetuæque memoriæ esse voluit. Apposite Navem sibi vindicavere, qui navium beneficio totum terrarum orbem per-

 mean-

meantium in hoc culmen, in hanc magnitudinem excreverunt, quæ sociis honori, hostibus terrori, longe positis pudori est. Quibus Indum utrumque mercator noster adit & gemino orbi merces infert, compactæ in unum tabellæ sunt. His remotissimarum regionum lucris & commodis fruimur. His Moluccas, & Brasiliam Lusitano & Castellæ Domino procul ereptum ivimus. His tentatæ per Septentrionalem & Scythicum mare profectiones celebrem nostrorum fortitudinem fecerunt. Hæ sunt, quæ mari Pacifico & Sinui Mexicano non ita pridem incubuere, & auri argentique immani pondere potentissimum Regem exuere. ut merito Navis insigni gaudeat, quæ navium officio usibusque felicitatem suam & potentiam debet.

In Theatro Arcus editiore, primum Spectaculum fuere Nuptiæ Christianissimi Invictissimique Regis, *Henrici* IV, Galliarum & Navarræ Regis, & Christianissimæ Reginæ *Mariæ de Medicis*, Cernas stare illustre & venerabile par, junctis in fidem matrimonii dexteris, ea majestate, quæ Reges, ea venustate, quæ Sponsos, illo vestium splendore, qui terrarum Deos decet. Sic Iovi Iunonem, Peleo Thetidem, Cyro Aspasiam, Augusto Liviam, Honorio Mariam, Constantino Minervinam his ipsis nupturas Principibus adstitisse reor. Stabat pone nuptiarum sacer conciliator. Et ne sine Numine res tanta geri videretur, cœlestes supra regales vertices Coronam regiam ex alto sustinebant, ut Deo ipsi, cujus illæ Mentes administræ sunt, placere tantorum Conjugum fœdera innueretur. Regis caput frontemque laurea redimebat, triumphantium Imperatorum decus. Cætera totum corpus cataphractus erat, ut con-

ſtaret, inter hæc ipſa gaudia & nuptiarum feſta de regni ſecuritate Regem cogitaſſe, nec tunc belli neceſſitate aut Mavortiis curis expeditum fuiſſe, cum mollem amictum exigeret dicata Veneri celebritas. Nec abit ab hiſtoriæ fide hic habitus. Refert enim Thuanus Regem militari habitu indutum fuiſſe, cum nuptiarum cauſa Reginam Lugduni primum acceſſiſſet. Ex humero chlamys pendebat, byſſo ſericoque fulgida, ne à nuptiis nitor omnis veſtiſque abeſſet Majeſtati conveniens. Galeam tot victoriarum teſtem, toties hoſtium ſanguine adſperſam, inter telorum undique ingruentium agmina & nimbos tutam inviolatamque puer armiger gerebat. Reginæ vultum heroica dignitas, gravitas, gratia habebat. Dignitas, quæ Ducis filiam; gravitas, quæ Mediceam; gratia, quæ Conjugem decebat. Veſtis longum ſyrma trahens ſerica & cærulei coloris Liliis aureis aſperſa, futuram Galliarum Imperatricem deſignabat.

Ad latus ſcenæ & Regis dextrum Hercules, non Leonis exuviis, quarum carior annona, ſed pelle Libyſtidos Vrſæ ſemicinctus, manu clavam tenebat, qua tot monſtra, Hydras, Leones, Tauros, Cerberos, Antæos, Cacos contudit. Non poterat aptior Sponſo Regi aſſignari Paranymphus, quam qui bellicæ virtutis laude, fortitudinis, prudentiæ, conſtantiæ gloria, tyrannidis pertinaci odio, ſcelerum averruncatione, libertatis vindicandæ zelo, ἀλεξικακὸν illum & ἀποτροπαῖον Herculem referret. Ad pedes Herculis demiſſum ſcutum Liligeri Regni inſignia habebat. Huic ſe Mars gladium manu vibrans ſocium præbebat, ſine quo numine nec bella ſuſcipi nec confici poſſe olim

T 5 credi-

creditum. Nec alienum, Gallici Martis nuptiis Threicium interesse.

Reginæ latus Paranympha Pallas claudebat Sapientiæ Dea, quæ Reginis præit, & ad rectè faciendum ducit, ut honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernant, & quantum in se est regnorum incolumitati studeant. Hoc conspectu prudentiam Mediceam Regum fortissimo nubere scena loquebatur. Ex hastæ suprema cuspide vexillum fluebat Mediceæ domus insignia ostentans. Ægis non Medusæ vultu, sed iisdem insignibus inscripta Reginam illustris familiæ commonefaciebat. Placuit harum elegantiarum industrio inventori, fœdos crudosque vultus & vipereum caput avertere ab amabilis Reginæ vultu & nuptiarum sacris.

IN SPECTACVLVM.

En, bellatori nubit Medicea *marito.*
Et Princeps Italum nobile fœdus adit.
Et rutilis juxta fulgens Henricus *in armis,*
Hac sibi sceptrorum spem genitrice facit.
Herculis hic faciem videas, hic Pallada. quorum
Hæc regnis mentem commodat, ille manum.

Quia de Nuptiis Regiis sermo est, referam non ut grave ac severum aliquid, sed laboris & industriæ plenum: Avenionenses, tunc cum nuptura Regi Avenionem venisset Regina, in arcubus & theatris septenarium numerum, qui auspicatus & bonæ criseos haberi solet, elegisse, ut Regi & Reginæ & urbi multis in rebus convenientem. Nam VII palatia in ea, totidem parœcias, VII monasteria antiqua, VII devotarum virginum asceteria, VII ptochotrophia, scholas totidem ac portas esse, Regem tunc

tunc septies septem annos natum; novies septimum repetita à Pharamundo origine numerari: Ad Arcas juxta Diepam ter VII die VII bris feliciter certatum fuisse: Euriaca pugna in VII agmina quadrata exercitu instructo pugnasse: eam pugnam pridie Eid. Martias, hoc est bis septimo mensis die vicisse: ad Fontem Francicum VII mense anni communis, hoc est Iulio, & bis septima hora, hoc est secunda post meridiem, Regem pugnasse, & eodem mense in S. Dionysii templo solenni ceremonia majorum religioni nomen dedisse: Samarobrigam Ambianorum ab Hispanis anno CIↃ IↃ XCVII captam & septenario anni Solaris mense receptam: XXVII. Februarii regia insignia Autrici Carnutum pompa ingenti sumpta, & ter septimo die Iunii pacem cum Hispanis factam: Reginam XXVII annis natam: Ferdinandi VII ex Austria familia Imperatoris neptem: XVII triremibus advectam advenisse: prætoriam vero XXVII passus longam, XXVII utrinque remigum ordines habuisse. Addamus & nos tot septenariis septenarium unum, VII anni Solaris mense Amstelodamense Emporium ingressam esse Reginam.

At gravius de Nuptiis hisce apud Reginam Massiliæ dixit Guilielmus Varius Præses. Adscribam orationem, tanquam futuræ fœcunditatis Regiæ præsagam & prænunciam:

Ad optatissimi Galliæ toti adventus tui famam, Christianissima Regina, ecce Themidis adyta, Iustitiæ sacraria & penetralia cuncti deserimus, ut pedibus tuis advoluti, qui alios ad obsequium cogimus, obedientiæ Tuæ Majestati præstandæ exemplo præiremus, & fidem voti religione obliga-

tam hoc longe honorificentissimo officio defuncti exsolveremus. in te tuoque adventu desideria omnia publica, cuncta vota exhausta, & consumpta sunt, nihilque ad summa felicitatis cumulum deest, nisi ut quæ Deus Opt. Max. bona contulit, propria deinceps faciat, & felicitate per te concessa, quam diutissime fruamur. Rex nobis contigit, virtute præstans, benignitate admirabilis, fortitudine incomparabilis, qui laboribus suis Regno quietem, periculo proprio securitatem, victoriis gloriam conciliavit. verum in tanta seu lætitia seu felicitate nonnunquam tristis cogitatio subibat, humanæ conditionis fines à natura præstitutos esse, nihilque sub cœlo perpetuo durare, & quod cuncti assiduis votis immortale exoptabant, aliquando desiturum. solitudinem vero illam & cœlibatum in quo Rex degebat, vitam ipsi, quæ cunctis adeo cara erat, minus gratam reddere, & spem hæredis, cui quantum patri debebat, tantum olim debitura esset Gallia, adimere. in hac futuri anxia cogitatione defixis, quasi cœlo demissa nobis illuxisti, cunctasque tristitiæ nubeculas vultus tui splendore discussisti, & tranquillitatis, qua sub optimo principe quasi precario fruebamur, solidum gaudium fecisti, spe haud dubia fore, ut adspirante Dei gratia in familia regia intermortua per tot annos successionis spes per te renovetur, & digna tanto regno numerosa progenies, quæ patrem virtute, matrem sanctissimis moribus referat, ad regni alioqui nutantis fulcimentum succrescat. proinde devoti Numini Majestatique Tuæ faustum felicemque tuum ad littus

Gallicum

Gallicum appulsum gratulamur. Deumque supplices comprecamur, ut diu apud nos & nobis feliciter regnes : ut seculum quod nunc ingredimur, cum desinet, te cum Rege marito superstite incolumem videat, & quæ ventura sunt, beatam tot Regum ex te nasciturorum matrem prædicent. magni Regis & cui vix parem priora sæcula habuerunt, uxor venis, magnitudinem Austriæ familiæ, unde orta es, prudentiam sapientiamque Mediceæ, unde nomen trahis tecum in domum eius inferens. vicissim memor esto, idque tibi multoties repetitum puta, non solum te ad potentissimæ toto Christiano orbe Reginæ titulos, sed etiam ad beneficentissimæ tot populorum, quorum Rex pater est, matris munus per hoc matrimonium à Deo vocatam : age ergo, & ut tori consors, sic regiæ sollicitudinis in posterum particeps, hanc gloriam occupa, & populos imperio communi subditos, de quorum salute & quiete assidue Rex cogitat, pari erga Francogallicum nomen cui nunc omine felici inserta es, caritate prosequere, ut læti non solum ipsi tibi serviant, sed vicini eandem felicitatem cum à suis principibus adepti fuerint, eam se tuo exemplo debere fateantur.

Exhibuimus Nuptias spectaculo. Nunc ut à specie maximarum rerum & fictis imaginibus ad res ipsas & vera dramata Lectorem revocem, Nuptiarum modum formamque prout inchoatæ alibi, alibi consummatæ fuere, maximi Thuani verbis exponam : *Inter multiplices* (inquit ille) *instantis belli curas serium de matrimonio Regis cum* Maria Medicea *Francisci Magni*

Etruriæ Ducis F. negotium minime intermissum est. prius cum Margarita Henrici II *F. & Caroli* IX *sorore ante* 28 *annos contractum, cum sententia à Francisco Ioüsa Cardinali lata nullum esset declaratum, protinus Nic. Brulartus Sillerius, qui apud Pontificem regii oratoris munere fungebatur, Florentiam cum mandatis amplissimis excurrit, ut conditionibus jam agitatis & conventis Regis nomine subscriberet. postea Rex in Sabaudiam profecturus, speciale mandatum sponsalitia contrahendi ad Ferdinandum Magnum Etruriæ ducem,* Mariæ *patruum, per Rogerium Bellogardium magnum Franciæ hipparchum mittit, qui cum* 40 *è nobilitate delecta Massilia solvit, & Liburnum* 12 *Kal.* 8 *br. appulit, triduo post Florentiam ingressus, & à Ioanne & Antonio familiæ Mediceæ naturalibus liberis perhonorifice exceptus. Ex Palatio Pitiorum obviam ei processit Ferdinandus ipse Magnus Etruriæ Dux cum omni aulico comitatu, & post mutuas salutationes, ac gratulationes, cum mandata quæ à Rege Bellogardius habebat, intellexisset, ambo in Palatium perrexere, & Bellogardius ad* Mariam *deductus literas ei Regis manu scriptas porrexit, & mandata ampliora fidei suæ commissa exposuit.* 6 *Non.* 8 *br. Vincentius Mantuæ Dux cum Helionora* Mariæ *sorore, quam in uxorem duxerat, Florentiam venit, & postridie Reip. Venetæ orator Petrus Aldobrandinus Cardinalis ad Regem legatus de pace destinatus in itinere Florentiam divertit, ut nuptialibus*

libus ceremoniis Pontificis nomine interesset, 4 Non. urbem solenni pompa ingressus, quem ad portam usque urbis Magnus Dux cum magno non solum aulæ, sed universi sacri ordinis comitatu venientem excepit, & ad latus sinistrum cum eo incedens ad majus templum deduxit; ubi in pedes ambo descenderunt, & post peractas publicas preces in Palatium discesserunt. à cœna quæ lautissima parata erat, ad Mariam *salutandam Aldobrandinus perrexit. die sequenti nuptiales ceremoniæ peractæ, ipso Legato sacra peragente, & ad dextram* Maria, *ad lævam Magno Etruriæ Duce Reginæ patruo adstantibus.*

Atque hæ quidem Nuptiæ fiduciariæ fuere. At postquam ex Italia in Galliam appulit Regina, & Lugdunum venit, ipsa matrimonii solennia Rex ipse absque fidejussore explevit. Hic Regina totos octo dies Regem, qui ad S. Catharinæ propugnaculum profectus fuerat, tandem v Eid. xbris adproperare intellexit, & eo die adfuturum. Cœnam temporius cum sumsisset & in proximum conclave concessisset, præsto Rex militari habitu adfuit. Tum celebrata denuo Nuptiarum Florentiæ contractarum, solennitas fuit, frequentissimo principum, procerum & illustrium matronarum, necnon oratorum externorum cœtu, cui inter alios Carolus Ligneus Arembergii Comes, Alberti & Isabellæ Achiducum nomine interfuit.

Verum ut ad Arcum Triumphalem revertar, Regina curru in Theatrum obverso, intentissimis oculis omnia contemplata, non ante hærere hic desiit, quam explicatæ cortinæ tantos

Con-

Conjuges ſpectatoribus ſubduxiſſent. Hinc per eos vicos urbiſque vias circumducta, quæ & celebriores, & patentiores curribus pertranſiri commodius poterant. Itum per populoſam & denſam mercantium officinis Olitoriam plateam, ubi ædium precia immenſa, ſpacia anguſtiſſima. Mixti habitant aurifices, annularii, automatarii, ærarii, gemmarii, ſcriniarii, coroplathi, quique Noricas merces diſtrahunt, culcitrarii, lapicidæ, armorum politores, ſcandularii, ſtatuarii, ſtannarii, thoracopæi, linarii, ſericarii, veſtiarii, œnopolæ, pelliones, pileones, limbularii, aromatarii, pharmacopæi, cerarii, aliaque opificum & propolarum genera infinita.

Hac progreſſa pompa triumphalis, inde per vicum Leſdelam, flexoque mox in meridiem tramite, per eam foſſam, quæ ob ædificiorum elegantiam Holoſericæ nomen meruit, eo loci deventum, ubi ſe aperit Sagittariorum platea. ad pontem, cui appellatio ab exoſo non Auguſto Cæſari, ſed Hebræis animali. Hic alter ſurgebat Arcus, altitudine, forma, picturata fronte adſpectabilis. In ejus faſtigio grandibus literis ſcriptum legebatur hoc Maronianum hemiſtichium, *Læta Deûm partu.* quo ad Reginæ Matris illuſtres Regioſque Partus alludebatur. Subſiſtente Regina, & deductis cortinis, Ecce è ſublimi oſtentum alterum fuit ipſa *Medicea*, quæ ad Berecynthiæ Deorum matris ſimilitudinem, auguſto ſplendidoque currui inſidens, habenis ſuis non columbas junxerat Veneri ſacras, non aves Iunonias, non Bacchi Lynces, ſed Leones, quos Berecynthiæ proprios eſſe voluit fabuloſa ætas. Equis vecti fuere Romanorum Imperatores, quamdiu ſtetit Reſpublica.

At

At erepta libertate, primus Leones, Deorum velut æmulatione, ad currum junxit Triumvir M. Antonius. Vehebatur olim Berecynthia Phrygias turrita per urbes cœlestibus Dis cincta. Simili vultu Gallorum Berecynthia visa hic fuit, cincta undique & stipata terrestrium Deorum sobole. Anteriore currus parte sedebat *Lodovicus* Iustus, Galliarum Rex, *Pius, Felix, Augustus*, sedebat juxta *Ioannes Baptista Gasto*, Celsissimus Aurelianensium Dux. Posteriore currus parte eminebant filiæ tres, *Henrica Maria*, quæ Augustissimo Britanniarum Regi, *Carolo*, Fidei Defensori: *Isabella*, quæ Potentissimo Hispaniarum Regi *Philippo* IV: *& Christina*, quæ Magno Sabaudiæ Duci Victori Amadæo nupsit. Distinguebantur suis singuli singulæque propriorum Regnorum & Ducatuum insignibus. Pari liberorum numero circumfusus Germanicus Cæsar de Cheruscis, Cattis, & Angrivariis speciosissime triumphavit: Augebat (inquit Tacitus libr. 11 Annal.) intuentium visus eximia ipsius species, currus quinque liberis onustus. Currum cingebant Virgines quatuor, quæ Europam, Asiam, Africam, Americam exhibebant. Singulas mundi partes ex suis erat noscere proventibus. Quæ omnia eo consilio ordinata crediderim, ut insidentes materno currui Regem Reginasque, imperium per has ipsas Vniversi partes vel proprio vel maritali jure diffundere, constaret. His versibus ad Deorum Matrem Berecynthiam, & Reginam Regum Ducumque Matrem allusum fuit:

Qualis per Phrygias quondam Berecynthia portas
Vecta fuit, partu tot celebrata Deûm,
Ingredere auspiciis nostram felicibus Vrbem,

Atque

Atque oculos per me fer, Medicea, *tuos,*
Quos portus, quæ tecta vides, turresque, ratesque,
Templaque, fortunæ sunt monumenta meæ.
Per terras fluctusque vagor, sua munera mundus
Mittit, & hic pretio prostat uterque suo.
Cæsaream felix, abavo donante, coronam,
Et decus à vestro sanguine grande tuli.
Ad Te præteriti redeat nunc gratia facti,
Et non immemorem, maxima Neptis, habe.
Sic placui defensa tuo Regina marito,
Sic nato de Te Rege beata fruor.
Si majus genuisse Deos, Regesque, Ducesque,
Iam Matri liceat tot placuisse Deûm.

Ex Currus hujus adversa fronte spectabatur Navigium, Reginæ velut obnavigans. In ejus prora Virgo, Amstelodamensem Vrbem repræsentans, speciosa, elegans, vestimentis pulcherrimis fulgens, prono ad omne obsequium vultu, corporeque nonnihil inflexo, Reginæ reverenter ac demisse communem salutationem votaque publica offerebat. Erant in eadem conspicui Hollandiæ Comites duo, quorum supra facta mentio. Eorum alter hastam manu gerebat, è qua vexillum pendebat Amstelodamensium insignibus intextum.

Hujus spectaculi lætissimo adspectu cum se explesset Regina, Aulam Principis, quæ jam in propinquo erat, subiit, profectionis suæ & pompæ triumphalis terminum. Solent hac Domo excipi Hollandiæ Principes & Gubernatores, quoties in hanc Vrbem deflectunt. quod cum accidat rarius, & non nisi destinato; in parte Palatii sedem hic Consilii sui sibi delegere Maris Præfecti, sive Collegium, ut vocant, Admiralitatis, ex Delegatis Fœderati Belgii constans. quibus tuendi adversus pi-

ratas,

ratas, & præsertim hostes Morinos, Oceani & navigantium securitati invigilandi partes demandatæ. Area in medio est spaciosa, quadrata, tessellatis strata lapidibus. Porticus ad sinistrum introeunti latus excurrit, in ambulacri usum, à Senatu exstructa Anno 1594, quo tempore, expugnata Groninga, Civitatem hanc triumphans ingressus fuit, illustris memoriæ Princeps, Mauritius Nassovius. Atria, conclavia, cœnacula, triclinia habet ampla & magnifica, quibus excipi satis digne eminentiores Potestates possunt. Et licet Majestati Regiæ augustius & magis regale palatium debebatur, tamen augustius memoria retro Principum pandere Amstelodamenses non potuere. Fuit hoc Reginæ, quo tempore hic commorata fuit, hospitium. Celsissimæ Auransiorum Principi ædes vicinæ, splendidæ capacesque, mercatoris Trippii patuere. Illustri Culenburgi Comiti, Domino Brederodio; Sylvarum Hollandiæ præfecto, aliæ alibi habitationes assignatæ. Hortus Sagittariorum ædificio recenti ornatior, iisdem Dominis prandii cœnæque ex Consulum instituto locus fuit. In amplissimum cum se Atrium recepisset Regina, aulæis undique suspensis fulgidissimum, in sublimiori sede veluti throno consedit. Theodorus Hasselaer militiæ præsidiariæ titulo Majoris Præfectus, & Collegii Societatis Indiæ Orientalis Assessor, in eadem Aulæ parte habitans, id negotii sibi dari passus est, ut ea quæ ad Reginæ commoda, securitatem, ac tutelam facerent, procuraret. Qui quam fidem hactenus Vrbi universæ, inpræsentiarum Reginæ omnibus modis probavit.

Tum Nobilissimi, Magnificique Reip. Amstelo-

ſtelodamenſis Conſules, Curia egreſſi, à qua mota vel lætis vel triſtibus Vrbe non recedere in more habent, Reginam adiere, una cum Syndicis D. Guilielmo Borelio, & D. Cornelio Boomio, ut adventum illi S. P. Q. A. nomine gratularentur. Ingreſſi & ad ſalutationis officia admiſſi; his verbis è Gallico ſermone verſis, eam affatus fuit Guilielmus Borelius, Dominus de Duynbeke, Vrbis Syndicus:

SERENISSIMA PRINCEPS,

Conſules ac Rectores Reip. hujus, ſumma veneratione Majeſtati Tuæ officia ſua, & devotam voluntatem ſubmiſſe per me offerunt: & ſuper felici Tuo in Vrbem hanc adventu læti gaviſique, in maxima honoris ſui parte ponunt Regiæ dignitatis auguſtam præſentiam. hic ut morari dignetur M. T. & Civitatis, ſi qua tanto faſtigio digna reperiri poſſint, commodis frui, ſerio rogant obſecrantque. quin hoc nomine ſe M. T. debere fatentur, & Regalis Tui vultus ſplendore Emporium hoc irradiari, gloriæ ſuæ deputant. Si oculis uſurpare & perluſtrare illud non gravabitur M. T. Vrbem ſpectabit, quæ inter longi belli aſpera non ſolum infracta ſtetit, & priſtinum decus integra ſervavit; verum grandibus inſuper incrementis aucta D. D. Ordinum cura, Regum fœderatorum ope, Veſtraque M. favore & gratia major ornatiorque evaſit. Quo beneficio cum M. T. obnoxius ſit Status hic in univerſum, privatim vero hujus Vrbis: nequaquam ſe iis officiis, quæ M. T.

præſtari

præstari præsens occasio sinit, tantorum meritorum summam adæquasse, sed longe infra illa se stare libens agnoscit. Augustissima Domina, Reges Principesque Supremum Numen imitari habent, cujus in terris vicem sustinent. pro maximis assiduisque beneficiis, sinceræ voluntatis ac pronæ gratitudinis studia acceptant. hæc ipsa Domini mei illibata & nunquam intermoritura M. T. despondent & devovent: & ut Regio Tuo favore Rempublicam hanc porro prosequi ac tueri digneris, omnibus votis flagrantissime contendunt: & quidquid officiorum præstari M. T. potest, eidem humillime & prolixe deferunt.

Ad hanc Syndici Orationem placide respondit Regina, gratias se agere Civitatis hujus Rectoribus, pro officiosa & plena erga se tam benignæ voluntatis significatione, multis se retro annis hoc in votis quam maxime habuisse, uti celeberrimi hujus Emporii conspectu frueretur propius. jam tempus se nactam, occasionemque lustrandi Vrbem, & coram studiosius videndi, quidquid in ea visu rarum eximiumque esset. iterumque gratiis actis Rectoribus Dominisque hujus Reip. gratissimam sibi hanc esse tam benignæ erga se humanitatis testificationem, plenæ benevolentiæ vocibus significavit.

Hinc digressi Consules, Celsissimam Ameliam, Principis Auriaci Conjugem, fidam Reginæ asseclam adiere, & gratulatione ibidem ac salutatione defuncti, in Curiam se recepere, ut ea curarent provide, quæ ex Reginæ essent & Reip. honore. Mos est, ut dispositis per castra & oppida excubiis, tessera, sive Vox detur vigiliarum præfectis. Illam dare in ca-

stris

ſtris, Imperatoris eſt, in civitatibus, Conſulum. Verum hanc dignitatis & ſupremi juris prærogativam Reginæ detulerunt, quæ dum hic fuit, Voces dedit in ſingulas veſperas, & primam quidem *Mariæ*. Voluit prudentiſſima Regina nomen ſuum commodare cuſtodiæ & ſecuritati Civium, quorum propenſiſſimos erga ſe animos tanto concurſu, tot gratulationum, gaudiorum & feſtivitatum ſtudiis experta fuerat. quin leve putavit, vocis arcano tueri Remp. cujus cauſa quidvis vellet. in votis habebat futurum, ut non *Mariæ* nuda recitatio, ſed *Maria* ipſa Senatus, populi, mercantium honori, felicitati & utilitati aliquando conſuleret. Huic jam quies erat intra Aulæ parietes, ſed nondum Equiti noſtro, nondum militaribus Civium copiis. quo exceperant Reginam ordine, quo per Vrbem deduxerant, quo comitati currum fuerant, Aulam præterequitans ille, prætergreſſi hi, non niſi ſero veſpere magnificæ Introductionis finem fecere. Cives hic illic igneis miſſilibus in ſublime jactis, tenebris noctique lucem, privato quiſque affectu, fœnerabant. quæ licet ſummarum ædium & turrium faſtigia æquarent, infra tamen Majeſtatis ſuæ gloriam famamque attollebantur. Solum reſolutus à meridie in pluviam æther queruli ſermonis nonnullis materiam ſubminiſtrabat. Erant, ut in divinationes prona ſunt mortalium ingenia, qui minus auſpicatam pluviam interpretarentur. contra, qui optima in ſpe habent, non triſtitiæ & doloris, ſed lætitiæ bonique ominis prodigia cœlo portendi dicebant: fulſiſſe hoc die Solem, flaſſe leniter Zephyros, impulſum ſine procellis Neptunum aſſurrexiſſe Gallici maris Dominæ, Yam Amſtelamq; læto mur-

murmure ripis adstrepuisse, Vulcanum è machinis bellicis ignes suos evomuisse, tormentorum fragore concussam Tellurem: Non potuisse non etiam Iunonem, quæ aër est, in partem venire communis gaudii, nec alia illam ratione gaudium testari potuisse, quam si coactis, quibus imperat nubibus, in pluviam illas resolvat; & fœcundis imbribus in terræ gremium descendat. Dicebant alii, Berecynthiæ in foro Currum parari, hanc terram esse, quæ nullo beneficio magis, quam pluviæ, post serenos Soles gaudeat. Dicebant fastidiose graves, magnis voluptatibus comitem ire dolorem, tristia misceri lætis, secunda adversis castigari: quasi vestium splendorem cœlesti madore adspergi grave foret iis, qui animas pro Patriæ & Reip. salute devoverunt.

Sequens proxime dies lustrandæ Vrbi impensus fuit. Ejus Rectores Reginam à meridie in Domum Societatis Indiæ, quæ ad Orientem mercatur, deduxere. quo officiosa Præfectorum ejusdem Societatis humanitas illam benigne invitaverat. Ædificium amplum est & spaciosum. Receptacula habet, in quibus Indorum aromata, piper, nuces myristicæ, cariophilla, casia, macis, aliaque ejus generis aëri exponi & insolari commode possunt. Porta, area, atria, conclavia magnifica omnia & splendida. In ipso Præsidum triclinio, ubi convenire solent & consilium de rebus suis habere, picturas cernas exoticas Chinensium, Iaponensium. Pendet magna Bataviæ Civitas arce sua terribilis & inaccessa. Pendet Iaponensium Regis Aula, cui parem non habet orbis, pretio, amplitudine, robore. Pendent circum Insulæ Moluccæ, arces, sylvæ aromatiferæ, oppida, portus,

tus, nostri sub alio Sole dominii. Pendent Sinarum populis proxima loca, favoris Belgarum apud longè dissitos documenta. Arma exotica, hastas, sarissas, secures, scuta testudinea parietes habent. Tabulata & contignationes in longum latumque expansa, suisque cancellis distincta, gemunt sub pondere. Hic acervos cumulosque spectes serici facti infectique. Hic aliorum aromatum conditoria & proprias stationes: alibi succi, gummi, & tinctorum terræ suis singula locis stabulantur. Quicquid horum Moschus, Sarmata, Cimber, Germanus, Gallus, Italus, Afer, Græcus, Belga in usus suos convertit, hujus domus mercimonium est. Instar marini æstus accedunt alia, alia recedunt. Porcellana vasa, quæ veterum Myrrhina esse Scaliger & Cardanus credidere, genus fictilium preciosissimum, gratissimumque huc quotannis majoribus navigiis inferuntur. Ac de his navigationibus, quod de victoria illa Mithridatica Pompei magni olim Plinius, non immerito quis dixerit, eas præcipue ad margaritas gemmasque & transmarina ista utensilia mores inclinasse. Hujus Domus Societas parvis principiis nata, hodie in eam, Dei beneficio provecta est fortunam, ut quotquot sortis suæ symbolam primum contulere mercatores, jam illam quadruplaverint. Hæc ipsa suis opibus militem conscribit, exercitus colligit, castra figit, movetque, bella in alio orbe gerit, urbes expugnat, insulas subdit, classes adornat, terris, fretis, portubus Castellæ Dominum exuit, patriæ labores, alibi atterendo Hispanorum vim egregiè levat, denique ea agit perficitque, quæ à magnarum Potestatum conatibus non longè abscedunt.

In

In Domum Societatis Indiæ Orientalis.

Fecit iter Fortuna mari, pervenit ad Indos,
Et procul Eoo fixit in orbe pedem.
Memnoniæ patuere Domus, patuere Moluccæ,
Regnaque fœderibus tot sociata novis.
In thalamos Aurora tuos jam classibus itum est,
Et Batavos alibi, tectaque nostra vides.
Non satis est vicisse domi, cum Sole vagamur.
Et tanto volupe est vincere teste foris.
Sunt vestræ merces Indi, sumus horrea Belgæ.
Quas Oriens fruges parturit, Arctos habet.
Servat hyems fructus, quos torrida coxerat æstas,
Et calidum gaudet mandere bruma piper.
Mittunt thura Arabes, permutant serica Persæ.
Et spaciosa suas Iava ministrat opes.
Parthica distentas onerant velamina puppes,
Poclaque Sinarum carbasa plena vomunt.
Ostia quot fundit Ganges, tot navigat unus
Amstela, & externo sub Iove bella gerit.
Luora sinus omnes nobis atque æquora pandunt,
Inveniunt quovis littore lucra viam.
Hesperio cum Rege solum partimur & undas,
Et formidati frangimus arma Tagi.
Qui dubitas, castella, domos, arcesque tuere,
Atque alio patriam crede sub axe dari.
Sic aliis alius populis divenditur orbis,
Totaque se vendens machina, rursus emit.
Quæque ferax longe spatiis immanibus Eos
Colligit, in Batavis continet una Domus.

Subeunte Domum Regina per instratam pulchrioribus pannis aream, ecce in patenti Atrio, Epulum apparaverant Societatis Præfecti; non in palati solum, sed & oculorum nariumque

oblectamentum. Potuisset Regum luxus sumptuosiore Illam mensa excepisse, at non aptiore Domus Indica. Ea quippe apposuit, quæ Indorum propria sunt, soli istius terræque nativas dapes vel quasi dapes.

Fuere in veterum deliciis pavus è Samo, attagen Ionicus, grues Melicæ, hœdus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, helops Rhodius, scari Cilices, conchylia Lucrina, murenarum lactes, mulli Massilienses, phænicopterorum linguæ. Harum lautitiarum & cupediarum nihil hic. Persarum, Arabum, Moluccarum, Iaponensium, Sinensium dona, segetesque habebant capacissima & panda Porcellana, quæ docto ordine longis mensis disposita rei novitate afficiebant Reginam. Erat pro ferculo piper rotundum oblongumque, sua specie adspectabile. Macis & Nuces myristicæ triplices, aliæ involucris suis inclusæ, aliæ foliis macidis tectæ, aliæ conditæ, Moluccarum proprios proventus & benignitatem prædicabant. Cinnamorum & casiæ ligneæ fistulæ decussatim in altum aggestæ Auroram matrem fatebantur. Cariophyllorum acervus, serici rudis & nondum elaborati fasciculi, Persidis & Chinæ labor è patinis alte assurgebat. Borax candore oculis, Benzoinum nidore fragantiaque naribus lenocinabatur. Muscus, Styrax, santalorum ligna & tinctorum terræ, suis quoque exhibebantur lancibus. Erat adhæc inter visus obsonia Draconis sanguis concreto succo rubens, etiam tabellæ ex macidis succo, & Gutta gamba, flavo colore reliquis intermicans. Sabæorum thus & myrrha, Diis sacra odoramenta, Galliarum Numini pro libamine erant. Cubebæ & Rheum officinarum & nata in cannis præcelsis

ſacchara, & pulveris tormentarii terribilis materies, ſal petræ, ſive nitrum, ſuis locis diſpoſita. Etiam gummi lacca, & apum labor cera, & magni pretii olea è macide & nucibus myriſticis, & zingiber non conditum & ſacchari conditura pellucens obſonium faciebant.

Errabant *Medicea* oculi, quæ peregrinarum & inſolitarum epularum fruens conſpectu & attactu, cum Indis ſe, Moluccenſibus, Perſis, Arabibus, Iaponenſibus, Sinis convivari jucunda animi agitatione putabat. Sordebant præ his diaria & conſueta, phaſiani, ſcarorum jecinora, perdices, ſumen, apri, & quicquid exquiſitiſſimorum ferculorum largiſſimo ſumptu in gulæ gratiam arceſſunt delicati & fluentes. Non hic Aſinii Celeris, aut Apicii, aut Claudii, aut Caligulæ, aut Cleopatræ portentoſæ cupiditati litatum fuit. Non ad menſam flagitati remotorum littorum piſces, peregrini aëris volucres, alieni temporis flores. non hybernæ poculis roſæ innatabant, non æſtiva in gemmis capacibus glacie ſalerna frangebantur. Omnia citra luxum, citra profuſionem ea ſolum oſtentabant, quæ mercatu annuo ex Oriente huc deferri conſueverunt.

In Ferculum Orientalium mercium Reginæ Matri paratum.

Vidit, & inſolitas mirata eſt Regia menſas
Mater, & Eoas attigit ore dapes.
Stabant ante oculos meſſes, quas miſerat Indus,
Quas dederant Perſæ, quas pretioſus Arabs.
Delibat Medicea *ſuis fragrantia cannis*
Cinnama, & externo fercula miſſa ſolo.
Adſpicit Auroræ ſegetem, thus, balſama, myrrham;

Et spaciis Superûm munera stare suis.
Hæc oculis placuere magis, magis illa palato,
Gustus, odor partes hic obiere suas.
Talia non posuit Thetidi convivia Peleus,
Non epulis istis accubuere Ioves.
Non hæc adspexit Latium, cum victor ab hoste
Romulidum intraret mœnia Cæsar ovans.
Tunc aliquis dixit secum: quæ fercula ΚΟ´ΣΜΟΣ
Hic parat, hæc COSMI *filia grandis edit.*

Regina quædam gustasse, quædam vidisse, contenta, cum sibi perplacuisse hunc exoticarum mercium & deliciarum apparatum liberali oratione significasset, actis gratiis, à Reip. Consulibus, per spaciosam Vrbem cum universo comitatu circumducta fuit.

Vidit ædificia palis stipitibusque fulta, & ex ipsis alte educta paludibus, ut non minus hæc, quam Venetiæ aquis innatent. Vidit labore & industria cogi in obsequium terram, & invitam eas moles portare, quas sibi relicta funditus absorberet. Adspexit dilatata non multis abhinc annis immani spatio pomœria veteris Civitatis ambitum adæquare. Vidit fossarum & eam fluminum instar intersecantium amplissimos, & vehendis quaquaversum mercibus aptissimos alveos. Per Regiam fossam, sive Cingulum, mox Dominicam, inde Cæsaream fossam vecta, ædes ubique conspexit mira felicitate ad omnem negotiationem, varietatem, splendorem, factas; ingenio plurimum in iis naturam superante, quæ in longissimum non raro prospectum, & qui cujusque oculos effugiat, protenduntur. Stupuit ad Cæsareæ fossæ conspectum, cui persimile tota Europa, si exteris fides, non habet, sive in ædium lon-

gam continuamque seriem, sive in earum ad ostentationem, pulchritudinem, decus, & habitantium commoda comparatas fabricas, sive in frontispiciorum, vestibulorum, fastigiorum formas, vario opere interludente Toscano, Dorico, Ionico, Corinthio, sive in pontes lateritios aquis intermeantibus instratos, sive in arborum aedibus oppositarum pulcherrimos ordines, aciem intenderet. Vidit Deo sacras aedes & templa, non veteris saeculi, sed superiorum annorum opera, ne jam pietatis studia exolevisse credant, quotquot illa in majoribus nostris merito admirantur. Fuit, ubi cataractas vidit maris fluminumque repagula, & cum res exigit, emissaria, quibus Oceano catenas injicit, & obices ponit vis solertiaque mortalium. Fuit ubi turres adspiceret, vel in media Vrbe, vel ad fluminis ripam Pharorum instar exsurgentes, tanta pellucentes amoenitate, ea superstantium columnarum varietate, ut dum Solaribus transverberantur radiis, luci quavis parte viam prospectu praebeant laetissimo. In turrem Templi Occidentalis oculos convertens, in summo ejus apice Coronam Caesaream vidit, abavi donum, & liberalitatem suorum in coelum attolli à grata posteritate conspexit. Occurrere obeunti navium stationes plurimae, per fossarum alveos sparsae, Londinensium, Rhotomagensium, Rupellanorum, Hamburgensium, Lubecensium, Antwerpiensium, Harlingensium, & aliorum sine numero. Vidit lignorum omnis generis, trabium, asserumque sectilium strues longissimis spaciis extendi, quae ex Sarmatia, Livonia, Bergis, etiam è Bructerorum & Cheruscorum silvis huc advectantur. quorum vel ad aedificiorum, vel clas-

ſium fabricas, vel ad aggerum munimenta adverſus maris Auſtrini furores quotidianus uſus eſt. Occurrere fora, venditionibuſque dicata loca, navalia etiam, ubi quaſſæ rates reficiuntur, vel novæ conficiuntur. Vidit denſa domiciliorum agmina non ad habitationem, ſed mercium omnigenarum cuſtodiam facta, ubi elephantorum dentes in montes aggeſti, ubi balænarum & cetorum arvina ignibus excocta, ubi Braſilienſium nemora, ubi Tabaci contorta in cylindros pondera, ubi boum caprarumque exuviæ, Eburonum metalla, ubi æris Gothici laminæ aſſervantur. Prætervecta fuit vitrorum officinas, ubi æterni ignis materia fornacibus liquefacta nunc flatu, nunc torno figuratur: alia argento, alia auro incruſtatur ad quemcunque uſum, etiam ad eſcaria vaſa. Non placuit olim Tiberio principi hoc vitri flexibilis temperamentum, qui, ne pretiis aliorum metallorum detraheretur, officinam tanti inventi matrem abolevit. Opportunum fuit hæc adſpectaſſe vel in tranſitu Reginam, quæ hoc Amſtelodamenſis Amaltheæ cornu ſuo quoque ſtudio, & prono in mercatores noſtros affectu adauxit. Nec indignæ etiam regali meditatione opes tantæ, ut in Deum authorem, & beneficum earum largitorem ſecundæ ab illo in terris mentes reflectantur.

Hac ipſa periodo viſa Reginæ Domus Societatis India, quæ ad Occidentem militat & mercatur, portis, tectis, gradibus, mercium receptaculis, atriis, conclavibus, vel ſpecioſa, vel ſpacioſa. Eſtque hæc illa Domus, quæ Occidentem adiri & vinci poſſe prima docuit: quæ, dum domi terris noſtris oppidiſque hoſtis incubat, Africani exemplo, hunc ipſum foris atterit

terit & fatigat. hæc veteri Orbi pacem quærit, dum novo longioris belli alimenta subducit. hujus ductu urbes maximas ultra Tropicos & Æquatorem vicimus, victas Dei præsidio tenemus in hunc diem. quod portus Brasilianorum, quod flumina, sinus, castella, promontoria, insulæ, saccarorum molendinæ nostra sint, huic debet Patria. hæc Nassovios duces, milites, arma, bellicarum navium classes, felicissimo successu, in ignotas priscis terras mittit, urbem S. Salvatoris audaci Marte expugnavit, naves hostium exussit & diripuit, de Olinda ejusque arcibus triumphavit, longoque jam tractu Brasiliam suam fecit. hæc ipsa Mexicanam classem, auro, argento, mercibusque pretiosissimis gravem, non magno molimine, duce Petro Heynio, ad Cubæ littora superavit, & aureum vellus, principibus Europæis formidabile, non in Græciam, sed Fœderatorum terras, nullo hactenus exemplo, transvexit. hujus auspiciis aliud Belgium ultra mare inhabitamus. alios illic Batavos compellamus auriferos, Afrorum portus & littora possidemus; ut duabus Societatibus innixa Resp. imperium cum Sole quaquaversum diffundat.

Fuit, cum in foro staret Regia Mater, spatio capacissimo, quod Damum vulgo nuncupatur. eo quod aggeris atque intersepimenti vicem Amstelæ ac Yæ fluentis præstet. Lunari die mercatu fervet, cæteris diebus mercatorum deambulationibus frequentatur, ad exemplum Romani istius, de quo Plautus: *In foro infimo boni homines atque dites ambulant.* Occurrere hic spectanti *Curia* sive Senatoria domus, & *Libra*. illa sola antiquitate venerabilis. reliqua Vrbis opera nova nitent pulchritudine.

hæc senio suo & minantibus ruinam parietibus commendabilis. quæ nulla non sui parte fulget Civitas, hic veterem simplicitatem præ se fert. quæ decus, amplitudinem, robur largitur toti, sibi negat. labitur hæc, dum novæ passim surgunt structuræ, & quæ prima de Amstelodamensium splendore cogitavit, ultimas curas sibi servat. mavult consiliis prodesse publico, quam sibi nitorem quærere. arctis spaciis clausa diffundit pomœria sua; habitant angustè Senatores, quorum moderamine navigatur longissimè. passibus mensuratur Domus, cujus vix ullis finibus circumscribitur negotiandi felicitas. non vult esse conspicua suis, quæ exteros in admirationem traxit. non impendit sibi argentum & aurum, quod, ut Civium peculium, studiose asservat. Visa quoque hic *Libra*, ædificium opere elaboratum, forma quadrata, peristiliis loricisque ad ambulacri usum altius circumductis. fores habet quadrifariam patentes, quæ quatuor mundi plagis respondent. in singulis magnis minoribusque lancibus ponderantur merces, quibus circumfusa quotidie, vix officio suo par est. ex ea maxima vectigalia ærario Vrbis, provinciæque accedunt. adspexit *Libram*, hanc *Medicea*, eo die, quo Libræ mensem ingressus fuit Sol: & quanquam Florentinorum augustis Palatiis minor sit, quæstu tamen annuo locupletiorem domum tota Europa conspici vix crediderim.

Cum pontem transiret, ex coctili lapide factum, qui Amstelæ rigas jungit, incurrit in Regios oculos mercatorum augusta porticus, quam *Bursam* vocant, eleganti & operosa structura. fornicibus tota moles incumbit, superiora operis columnæ marmoreæ quadragin-

ta valide portant, ut ne dissolvere sæcula compagem videantur posse. Ambigas, ingenio, an sumptu, an utilitate major. Officinis inferioribus, qua plateas & Amstelam spectant, viginti sex cingitur; at qua per gradus ascenditur, stationes aperit & vendentium capsulas plurimas, quæ centenarium facile excedunt, ubi merces omnimodæ pulchriores, exoticæ, domesticæ, natæ vel factæ veneunt. Hic mutuis contractibus venditur Orbis, hic emitur. hic de pretiis rerum, permutandis mercimoniis, onerandis exonerandisque navibus, de ponenda in usuram, remittenda alio, repetenda aliunde pecunia omnis sermo. Ferunt prisci sæculi narratores, fabricas septem pro miraculis habitas: Ephesinæ Dianæ templum, Regis Mausolei monumentum, Colossum Rhodium, Iovis Olympici simulachrum, Cyri Medorum Regis domum, Babyloniæ muros, Ægyptias pyramides. Sed non illa ulterius præcipua putavit *Medicea*, ut quæ in una Vrbe tot stupenda conspexerit. Habuerunt honores, quia præcesserunt tempore, & in rudi sæculo quicquid emersisset novum, jure ferebatur eximium: Nunc tota Vrbs miraculo affinis visa fuit, vel ob hoc unum, quod quæsito per artem fundamento, septentrionalium sylvis tota innixa & superstructa, in hanc pulchritudinem, majestatem, decus assurrexerit: infernè humilis, supernè sublimis; inferne paludosa, superne sicca & nitida: inferne sublicia, superne marmorea & lateritia; inferne instabilis, lubrica, fugiens; jam adactis in fundum nemoribus, infra supraque stabilis & immota.

Invertas, fit tota nemus. quo condita fundo est,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.

Dies Veneris novis Spectaculis super aquas Amstelias exactus fuit, eo Vrbis loco, qui à cataractæ Damensis Meridionali parte, vulgo *Rockin* appellatur. Etenim Amstela Civitatem ab Austro subiens, & ad Dami usque cataractam recto cursu procurrens, per eandem in Dameracum effusus, Aquilonem versus Yæ miscetur, Vrbemque in Vetus ac Novum latus medius dispescit.

Meridionalis Amstelæ pars duobus intercepta pontibus, spatium fecit rerum novarum sedulis procuratoribus & cupido spectatori. Novi Arcus Triumphales, integræ Domus forma, unius noctis opus, in Insula stetere, quæ mira celeritate sesqui ab Vrbe miliari, è locis uliginosis, & paludosis, ruricolarum ope translata, aquis innatabat, ceu Delos altera, aut Samos, aut, Neritos ardua saxis, gramine, juncis, arundinetis circumvirens vernansque. Fronte gemina, hinc Meridiem, hinc Septemtrionem dicta Domus spectabat, ut adventanti Reginæ utraque sui parte novam exhiberet Scenæ faciem. Præcedens unus & alter dies Terram Regiæ Majestati famulari vidit; hic Aquas obsequio ejus devovit: tum curribus itum per Vrbem; nunc phaselis, myoparonibus, lusoriis navigiis suæ concessæ partes: tunc vagus fuit spectator; nunc vel in Telluris ripa fixus, vel in Aquis mobilis vagusque: tunc visa Vrbis præcipua; nunc quæ Reginam, Etruscos, Gallos propius concernebant, Spectacula. Confluxerat in angustias tota Civitas, & diffusus per amplissima pomœria Civis vix altero stadio claudebatur. stabant in ripa densa virorum, fœminarum, puerorum & puellarum agmina. stabant mixti indigenæ & exteri, mercator &

proxeneta, dis, pauper, Gallus, Belga. Bructero Frisius, Sicambro Mattiacus, Cimber Sueco, Cattis Saxo inerrabat. omnibus idem fervor videndi insolita. Pontes oppleti spectandi veniam, sed grandi pretio, faciebant. domus circumpositæ non homines singulos, sed hominum examina & exercitus per fenestras ostentabant, nec gratuito ubique indultu. arborum summa infimaque agiles corpore conscenderant. Erant ex Neptuni filiis, qui palis, quibus rates in aquis alligari solent, singuli insinuatis brachiis insidebant, corpora miro artificio librantes, ne hinc vel illinc dispari gravitate delaberentur. domorum apices, canales, turrium peristylia, semistructorum ædificiorum plana, fumorum emissaria plebes habebat: & licet ingressus in hanc Amstelæ partem concessus cuivis sine discrimine non fuerit, irrepsere tamen cymbulæ complures vectoribus onustæ, quæ ad margines Amstelæ futurorum desiderio tenebantur. Totum inter pontes duos interjectum spacium pro illustri erat Amphitheatro. Fertur dixisse Regina, se neque in Italia, neque in Galliis, ne quidem Lutetiæ Parisiorum, urbe populosissima, tantam mortalium vim, loco tam angusto coactam conspexisse.

Transiverat cœli medium Phœbus, cum Gallorum fulgida Phœbe populo Amstelodamensi denuo illuxit. Vehebat Illam cum Principe Auriaca, Prætore, Consulibus Navigium splendidius, tegumentis & tapetibus magnificis insigne. aliæ celoces Senatores, Scabinos, Admiralitatis dominos & selectiores Civium habebant. Tum laxatæ cataractæ duæ ex adverso oppositæ. Vna, *Gremenessia* dicta, Reginam in Amstelam exposuit, qua adnavigante, ecce altera,

tera, *Boaria* nomine, apertis valvis foribusque Neptunum aquis innatantem, Reginæ in occursum, procelloso ac præcipiti aquarum lapsu effudit. Currus concha erat, aptum Deo maris vehiculum. Illi equos marinos in pisces desinentes squamosis pedibus, capite dorsoque supra aquas eminentibus, junxerat artifex manus. in ipsa concha maris Deum cernere erat hirsuto & capillis canis circumfuso capite, rigente horrida & spumosa barba, tridente terribilem, vultu grandævum tetricumque, membrum nudum, qui protensis in longum frenis equos moderabatur. pone Neptunum in ipsa puppe Mercurius sedebat, Mercurialium præses fautorque; fandi, mercandi, peritissimum numen. Pileus illi ex more aliger erat. dextra caduceum exporrigebat, Quo

animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Ad latus ligneis capsulis humeros tenus inclusæ Najades quatuor, corollis viridibus, ex alga, musco, foliis & floribus frontem cinctæ, Europæ, Asiæ, Americæ, Africæ imaginem exhibebant. singulæ brachiorum arcto complexu Amalthæum veluti cornu gerebant, propriis quatuor mundi partium donis instructum. Ad proram conspicua erat Virgo elegans, Amstelodamum referens, quæ inclinato reverenter corpore, Reginæ adventum gratulabatur. Conveniens Reginæ creditum fuit hoc Spectaculum, quæ Sobolis non unius imperio, non uni mari imperitabat. conveniens quoque Vrbi, quæ Deo Opt. Max. vero maris Domino fortunarum suarum principia, incrementa, vigorem soli debet.

In

In Neptuni, Mercurii, & Virginis Amstelodamensis aquis innatantium

SCHEMA.

Neptunus ille, quem videtis fluctibus
Tolli severa fronte, canis horridum,
Sævum tridenti, maximi Deum maris,
Cujus marina monstra currus ductitant.
Hinc inde lusitante Najadum choro:
Et ille puppi celsus eminens nepos
Atlantis, artis arbiter mercantium,
Fandi peritus, emptor idem & venditor,
Nunc sortis author optimæ, nunc pessimæ,
Anceps fruendi: Quæque Virgo pulchrior
Vultu decenti flectit obvium genu:
Gratantur omnes Galliarum Numini,
Pronisque votis Principi se devovent.
Neptunus offert cœrulas Ponti vias,
Facilesque fluctus, strata ventis æquora.
Qua filiorum sceptra jus exporrigunt,
Gallus, Britannus, præpotensque Cantaber.
Tegeæus iste priscus interpres Deûm,
Vrbem Parenti Liliisque consecrat.
At Amstelis virago Neptuno suo,
Cyllenioque nixa, mercantes Deos
Subdit coruscæ Principi, *hanc ipsam Deo.*

Hinc ad Insulæ partem Borealem se applicuit Prætoria, quæ Reginam vehebat, ubi primo exhibitæ Nuptiæ *Francisci de Medicis*, & *Iohannæ Austriacæ*, patris matrisque *Mariæ de Medicis*, adspectante Augustissimo Imperatore *Ferdinando*, *Mediceæ Avo. Francisco* huic *Cosmus* Pater, qui ex duce Florentino primus Etruriæ Ducatum adeptus fuit, suffragante Pio V Pon-

tifice, ut ex ea familia paternum genus trahat, cui facem prætulit *Cosmus Medices*, Pater Patriæ decreto publico vocatus: cui non indecores rexere *Petrus Medices*, Patriæ virtutis æmulator, & *Laurentius* Magnus, & frater *Iulianus* populari favore Princeps juventutis dictus. ut nihil de *Iohanne* & *Iulio Mediceis* dicam, qui ad Pontificatus dignitatem evecti, alter *Leonis* X, alter *Clementis* VII nomine, *Mediceam* stirpem sacro suis diademate illustravere. *Iohanna Austriaca*, Mater, laudatissimo Imperatore *Ferdinando* nata, Avo *Philippo Austriaco* Hispaniarum Rege, Proavo *Maximiliano* gloriatur. qui *Mariam*, *Caroli* Audacis Filiam, Provinciarum harum hæredem unicam, matrimonio sibi junxit. Fuit *Mariæ* inter proavunculos *Carolus* V Imperator, universi Belgii Princeps ac Dominus, belli fortuna, peritia, animi magnitudine, celeritate res magnas conficiendi, prudentia in periculis super omnes qui arma tractarunt. Istis parentibus prognatam *Mariam* Etruria dedit, vario olim numinum cultu celebris, è qua Populus Romanus in suos mores & civitatem, fasces, trabeas, sellas curules, annulos, phaleras, paludamenta, prætextas, ornamenta triumphalia, togas pictas palmatasque traduxit. Nec enim alibi fas erat nasci Imperaturam late Principem, & tot Imperatorum Matrem, nisi unde decora & insignia, quibus Imperii dignitas emicuit, petere non erubuit Imperatrix Roma.

IN

IN NVPTIAS FRANCISCI de MEDICIS, Magni Etruriæ Ducis, ET IOHANNÆ AVSTRIACÆ, FERDINANDI Imperatoris FILIÆ.

AVSTRIACÆ vultus, & te, FRANCISCE, Theatro
Sistimus, & Batavis fœdera prisca damus.
His nati rexere Duces, MEDICEAQVE late
Lumina conjugiis emicuere novis.
Hac inter MARIA est, raro qua munere Divûm,
Non nisi per Regum nomina Mater abit.
Hoc demum est peperisse; Orbi donasse tiaras.
Sic sua stant regnis robora, sic thalamis.

Mox mutato Dramate MAXIMILIANVS Cæsar Imperiali amictu apparuit, Coronam Cæsaream Amstelodamo, circumstantibus Imperii Electoribus, deferens. illam solio descendens tradebat Amstelodamo, quæ, virginis os habitumque gerens, ante Cæsaris pedes prostrata, è geniculis oblatam Coronam reverenter ac submisse acceptabat. In Cæsaris ore digna Imperio elucebat Majestas, & veterum virtutum, prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, mansuetudinis non obscuræ notæ. In Virginis vultu non affectata gravitas comitate & singulari humanitate condita. colores vestium varii, quibus totum Theatrum vernare videbatur, magnam intuentibus jucunditatem adferebant. Erant enim magna concinnitate mixti, candidus,

dus, violaceus, flavus, ruber, viridis, coccineus, & si qui sunt alii non infaustæ notæ colores. At inauspicati malique ominis, niger, fuscus, ater, lividus nusquam admissi.

In donationem Coronæ.

AMstela, qui late terris mercaris & undis,
Iamque aliis adfers, jam tibi lucra refers:
Amstela, qui nostri fulsisti pondera belli,
Cum mihi plus uno surgeret hoste labor:
Seu Venetus gravis esse mihi, seu Flandria vellet,
Et Dominum Brugæ detinuere suum:
Accipe Cæsaream, regni diadema, Coronam,
Accipe virtutis præmia digna tuæ.
Hæc fulvos inter radiet spectanda Leones.
Posteritas isto pergat honore frui.
Classibus imperitas pelago. tua, nostra Corona est,
Nostra solo late fulgida, vestra salo.

A parte Insulæ Meridionali status Galliæ sub *Henrico* III afflictior, sub *Henrico* IV lætissimus, quinque Scenis exhibitus fuit.

Prima Scena visa fuit Gallia specie muliebri, gemens & plorabunda, cujus Orbi Imperioque funestas ac fatales flammas ardenti face inferebat discors contendentium Principum Invidia. Doloris tanti malique conscia Numina, Bacchus, Ceres, Pomona, Flora afflictæ & dolenti Galliæ condolebant. Etiam Venerem curru insidentem junctis columbis tangebat publica calamitas. Hercules juxta humi recumbens, funesto & flebili miserabilis Galliæ conspectu, altum dolorem corde premebat. Pax, Iustitiaque, veneranda nomina, in terram prostratæ viles abjectæque habebantur. Per Sphæram accensam fissamque, Galliæ universæ Orbisque Europæi facies designabatur, quo tempore

pore secta misere in partes Gallia, & commissis inter se & Galliæ & Europæ Principibus, è medio sublatus fuit Rex Galliarum *Henricus* III. Tunc veluti deficiens sibi Atlas iste Gallicus, nec par ferendæ moli, quis humeros commodaret fulciendo Imperio, ancipitem reliquit Galliam, intento in tantarum rerum eventum & collapsæ Franciæ restaurationem Hercule, hoc est, *Henrico* IV Navarræ Rege. Turbatis vero Regni rebus, dum milite passim castrisque inundant agri, agricolarum Cereris, Bacchi, Pomonæ, & aliorum Pace vigentium Numinum felicitas pessumdatur. exulat, quæ indigenas nectit Concordia, & dum inter arma silent sacrosanctæ Themidis voces,

Vltima cœlestum terras Astræa relinquit.

Secunda Scena eandem Galliam in Theatrum produxit, flexis genubus Deos orantem. uti fractæ & in partes discerptæ Galliæ succurrant, collapsa restaurent, luxata restituant, invalida divina ope firment. Iupiter inter Deos suos conspicuus, una manu Herculem designans, altera Mercurium; huic in mandatis dabat, uti restaurandis Francorum regnis adhiberetur Hercules, *Henricus* IV. Has enim adeundi Imperii partes moriens, & deficientibus jam viribus, coram Galliarum Proceribus Navarrorum Regi tradiderat *Henricus* III, his verbis: Vestrûm est, legitimum Regem tueri, & si desit, idoneum regno dare. Navarrum habetis, ut jure proximum, ita dignitate eminentem, quem si non legitima successio ad regnum vocaret, dignitas, quam secundum me in exercitu primariam obtinet, me sublato Imperatorem faceret. Hic & summa animi æquitate præditus, & longo rerum usu abunde in-

structus,

ſtructus, inenarrabili Dei cuncta moderantis providentia, contra multorum ſententiam mecum reconciliatus, & in hoc exercitu cum ſummo imperio conſtitutus videtur, ut labantem regni fortunam virtute ſua fulciat. Huic, ſi regnum ſalvum cupitis, quam debetis, obedientiam præſtate. Hoc ſi non fides, at periculum proprium à vobis exigit.

Tertia Scena Herculem hunc introducebat duce Mercurio, cui operam ſuam fulciendo Orbi obtulere Divûm imperio Mars & Pallas, ille armis opitulaturus, hæc prudentia & conſilio; adſpectante hæc ipſa è ſublimi auguſto Superorum Conſeſſu.

Quarta Scena Herculem tanto operi intentum vidit, & excuſſos ſtatione ſua & perpendiculo polos ſuis reſtituentem ſedibus. Illi auxiliatrices manus commodabant Fortitudo, Prudentia, nec non Clementia, & Vigilantia, propriæ *Henrici* IV virtutes.

Quinta Scena reſtitutam in integrum, incolumemque Galliam oſtendit, Orbemque humeris Gallici Herculis valide ſuffultam. Regnum quippe adeptus, ſopitis diſſidiis belliſque, injuriarum omnium immemor, mira in infenſiſſimos hoſtes facilitate & Clementia ſibi gloriam immortalem, vicinis quietem, ſubditis Pacem, Iuſtitiam roſtris reſtituit, totique Orbi Europæo tranquillitatem paravit. Cujus gloriæ & virtutum hæres *Lodovicus* XIII, Paternis veſtigiis inſiſtens, dignum tanto ſe genitore ſucceſſorem præſtat, & eundem Orbem velut alter Alcides, robore, conſilio, pacis belique prudenti moderamine, Dei Opt. Max. beneficio, inconcuſſis humeris lacertiſque fulcit & librat.

In Spectacula Orbis Gallici sub HENRICO III laceri, sub HENRICO IV restituti.

Gallia dum lacerum bellis civilibus Orbem
Adspicit, & regni vincula rupta sui,
Commissosque Duces, adversosque ensibus enses,
Et fossum Regi proditione latus:
Ingemit excussos tantis cervicibus axes,
Dimotosque sua de statione polos.
Sic afflicta Iovem precibus, Divûmque lacessit
Numina, & ex alto lurida poscit opem.
Stant juxta Pomona, Ceres, Liberque, Venusque,
Quasque Deas belli vis malesana premit.
Condolet atratæ Superûm clementia turbæ,
Dumque cupit Gallus consuluisse suis:
Borbonium *lapsis Druidum succurrere rebus*
Poscit, & his humeris pondera tanta geri.
Succurrit Regi Pallas Sapientia, Mavors
Auxiliatrices commodat ipse manus.
His Ducibus dum bella gerit, dum mitigat hostes
Integra sperata Gallia pace coit:
Et valida Mundum fulcit cervice Navarrus,
Seque polos apte restituisse videt.
Tunc regno sua parta quies, tunc rura, penateis,
Templa, foci, vultus exseruere novos.
Pax rediit, scandit neglectum Astræa cubile,
Et reduces prisca sede stetere Dii.
Hoc Spectada docent. ubi fracti conditor Orbis,
Alcidæ Henricus *nomen onusque gerit.*

Hæc sacra cum vela cooperuissent, à Scenicis Spectaculis ad Gymnica & Naumachiam itum. Priora severa fronte adspeximus, hæc læta & ad hilaritatem composita. Fuit inter Circenses ludos hæc exercitatio, qua navalis pugnæ forma in mari, fluvio, vel lacu repræsen-

ſentabatur. Auguſtus, qui Spectaculorum aſſiduitate & magnificentia omnes anteceſſit, navale prælium ad Tiberim, Nero in aquis ex mari proximo emiſſis, Domitianus in ipſo Amphitheatro exhibuit. Effoſſo in Cœlio monte lacu commiſſæ inter ſe Tyræ & Ægyptiæ claſſes, biremes, & triremes à Cæſare fuere. in noſtro flumine Neptuni filii decem, ventis procelliſque aſperata turba, lineo omnes induti amiculo, capitiis rubellis velati, è quibus galli gallinacei, pugnaciſſimi inter aves animalis, plumæ attollebantur, ludicri belli partes erant. Stabant ſinguli in puppibus & minaci alius alium vultu, quaſi de rerum ſumma ageretur, intuebantur. Pro armis lancea rudis, vel contus erat, quem pectori defixum in adverſum occurſantis hoſtis pectus ſumma vi, incitatis hinc inde & concurrentibus velociſſima remigatione cymbulis, dirigebant. Illud lepidum ac feſtivum, dum acerrimus exſpectatur primus concurſus, antagoniſtæ noſtri, ſe mutuo blanda ſalutatione prætervecti, demiſſis contis ſpectatorum exſpectationem fefellere. Tum pugnatum acriter duelli ſpecie, interdum occurſatum pari Marte & uterque in flumen præceps actus, interdum dejecto uno, alter in puppi triumphanti ſimilis perſtitit, interdum irrito hinc inde conflictu, ſtationem ſuam tenuere ſinguli. certamini ante finis non fuit, quam omnes victores, omnes victi aquas bibiſſent. Excepta hæc nautarum palæſtra effuſo ſpectantium riſu fuit. Ibat cœlo clamor, omnium una vox popularem favorem in æthera uſque deferebat. Et poterat non gravis eſſe & ſubridere horum ludorum adſpectu Regia Mater. Fertur riſiſſe Iupiter,

ter, cum præcipitem cælo daret Vulcanum. quid mirum, si Majestati suæ venerandum supercilium lætius explicuerit hoc nauticæ pubis certamen. Legimus Achillem inter arma cytharam & fides interposuisse, & animum ægrum cura aut offensa recreasse. Ipsi Orbis terrarum victores Græci Romanique, bellorum fulmina, maris terror & procellæ, in theatris, circis, compitis, spectaculis, populi corona circumfusi, Imperatores se esse non meminerunt. Demittunt se subinde ad minuta & oblectantia maximorum consiliorum capaces, ut curarum & negotiorum morositatem mixta diffindant hilaritate. Ludo hæc gesta fateor; nec enim Quiritium crudelitas placuit, quibus crudæ mancipiorum cædes & lanienæ pro oblectamento erant.

Absolverat partes suas Amstela, cum celeri remigio vergente jam die properatum fuit ad Yam, insequentibus Liburnicis infinito numero, quæ dum pontium fornices transire ordine cavent, facto concursu viam sibi importuna festinatione præcluserunt; in discrimen pene adductis celocibus minoribus, & minus valida compage nexis, quibus hinc inde pressæ insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ. Regina celerius adremigans cum myoparonibus non multis, relicta à tergo tardius festinantium classe, per cataractam Antonianam in Yæ fluentum devenit. Ya ab occasu in ortum magno ac spatioso alveo, ob exesa & attrita temporum longinquitate Austrini sinus littora, Aquilonare Vrbis latus prætervectus, commodam navibus stationem præbet. Totum id latus duplici palorum ordine adversus fluctus munitum, valli vicem obtinet, stipitibus in modum

modum muralis sepis arctissime junctis. Vidit hic Regina locum Vrbis ripa & palorum septo interclusum, quam Walam vocant, ubi hiberno tempore cum se maris tempestatibus naves subduxerunt, otia agunt, & usque in proxima veris tempora tutæ adservantur. Ab altero latere Navale est, sive area grandis, ubi naves onerariæ Societatis Orientalis aut ædificari novæ, aut attritæ reparari solent. huc dum oculos præternavigans flectit *Medicea*, vidit recens è continente dimissam Navem vectoriam grandem, qualibus ex Indis transportari solent Auroræ messes, & uberes proventus. Mos est, navibus sua imponere nomina quibus discernantur, quod & à veteribus factum. Rogata à Consulibus Regina Mater, ut nomen inderet abituræ in longinquas oras Navi, *Maria de Medices* appellatione illam insignivit, & una cum nomine faustum illi ac felix iter comprecata fuit. Dicat nunc illa:

Sum Maria, *&* Medices *datur appellatio, quæ si*
Non sunt servantis verba, faventis erunt.

Glorientur aliæ Neptuni, Tritonis, Sirenum insignibus, aliæ Vrbium suarum, unde primum dimissæ, nominibus, aliæ Leones, Tigrides, Canes venaticos, Dracones, Solis vel Lunæ imagines puppium pegmatibus ostentent: aliæ provinciarum magnifica gaudeant inscriptione, aliæ à principibus nostratibus nomen mutuentur. prima hæc, unica hæc sub *Mediceo* nomine, tanquam propitio sidere, in eas terras, Deo Auspice, navigabit, ubi lucri gloriæque mortalium cupiditas, cum ulterius progredi non habeat, iisdem quibus Sol terminis clauditur. Mox Reginæ naviganti in conspectum venit exporrecta in maximam

latitu-

latitudinem Civitas, attollentibus se hic illic ad fluminis oram turribus, & inter has exsurgentibus pulchre perpetua serie ædium fastigiis. Visæ hic navium classes in anchoris stantes, nemoris densissimi specie, in longum exporrectæ, quibus Mundum omnem pererrat, etiam extra anni Solisque vias, sedulus Mercator, *Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* Iacebant mixtæ præsidiariæ & bellicæ mansuetis ac mercantibus, rostratæ actuariis, constratæ apertis, prætoriæ speculatoriis. etiam navium Liburnicarum, quæ propridie Reginam expectaverat, ingens classis, cum insignibus & ornamentis Yæ partem instraverat. Majorum navium alias Italia, Cyprus, Ægyptus, Syria, Græcia; Venetiæ navigatione proprias habent: aliæ Franciæ, Scotiæ, Hiberniæ, Germaniæ, Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, Poloniæ, Borussiæ, Moscoviæ commerciis destinantur: aliæ Guineam, Persiam, Arabiam, Indiam intra & extra Gangem, Insulas Orientales, quin Chinam, Iaponiamque Asiæ extrema adeunt: aliæ in adverso orbe, Brasilia, Virginia, Nova Hispania, & trajectis fretis Magellanico, & quod à primo Inventore Mairii nomen accepit, fortunam vel Marte, vel Mercurio duce indies experiuntur. aliis lintea, sal, vina rubra albaque, oleum, papyrus, lana, plumbum, stannum, cerevisiæ importantur: aliis mel, cera, frumentum, salnitrum, vitrum, vina Rhenensia, pelles & exuviæ animalium ac ligna fabrilia: aliis panni cymatiles, fila serica, margaritæ, vina Cretensia, sulphur, rhabarbarum, mumia, cassia, tutia, gossypium, oryza, resina, pix lenta liquidaque, cineres saponarii, fullonum terræ: denique omnis generis aromata, piper, cariophylla, cinnamomum, thus, myrrha,

myrrha, balsamum, &c. Adspexit non sine stupore Regina cavos pandosque ventres, quibus in hoc Emporium advehuntur, rursusque avehuntur Universi opes. Vidit innatantes aquis veliferas arces, tormentis bellicis non una serie dispositis, vim & bella minantes, quibus in Hispanos, Lusitanos, Morinos, Pœnos itur. Hærente in aquis Regina, explosæ undique ex Urbe grandiores machinæ. nec aliud Spectaculum Reginæ rarius, quam hoc navium fuit, quia Amstelodamensium proprium. Etenim hæ navium classes τείχη illa ξύλινα sunt, quibus Græciam defendi oportere Apollinis oraculo intellexit prudentissimus Themistocles. Harum curam Rebuspubl. commendat Consul Romanus Orat. pro Flacco, non præsidii solum & mercaturæ, sed & ornandi imperii causa. Thucydides magnorum principum ait esse, illud efficere, ne qua gens alia illi classe præpolleat. Sin minus, ut quæque munitissima & firmissima est, ita eam habere amicam: maximi momenti esse maritimum imperium, cum ex militiæ navalis usu facilior sit terrestris. Emenso Ya, qua Civitatem alluit, per Salinarum contubernia, inde, per fossam Principis, Urbem denuo subiens, in Palatium suum sub vesperam rediit, adstite semper & comite Amplissimo Consulum Quatuorviratu.

Dum Reginæ solennia hæc facit Senatus, Consules, Cives; non siluerunt poëtarum voces, quæ Latinis, Italicis, Gallicis, Belgicis carminibus magnam Regum Matrem celebraverunt. quæ ocyus, serius in lucem edita, Urbem omnem, Bibliopolarum officinas, & avidas lectorum manus implebant. Ipsa Iudæorum natio, ut suum quoque studium probaret, fercula

cula ritu suæ gentis, ex pane azymo apparata, Regiæ mensæ apposuit. Prandente Regina, tantus hominum in Aulam concursus fuit, ut per vices tota Vrbs ingredi, tota egredi, tanquam ad propriæ Principis ac Dominæ conspectum, visa fuerit. Nec silentio prætereundum, in toto hoc apparatu, erigendis Arcubus triumphalibus, Spectaculis, Schematibus, Insulæ natatilis ad stuporem omnium properata structura, emicuisse summam Samuëlis Costeri Doctoris Medicique exercitatissimi industriam, sagacitatem, vigilantiam, laborem; nec non Advocati Ioannis Victorini, qui suas quoque ad hæc festivitatis & Scenarum solemnia partes gnaviter, alacriter, ingeniose contulit.

Die Sabbathi otium fuit ab omni majore motu, & composita jucundissima prioris tridui tempestas, pacato cive, resedit. A meridie, Regina, absque strepitu, dimisso hac illac comitatu, currum non regium solitumque, sed minus speciosum conscendit, & per Vrbis vicos nobiles ignobilesque vecta, officinas plurimas subiit, de pretiis mercium & porcellanorum sedulo quæsivit, licitantibus familiariter respondit; pretia pro contrahentium more auxit, accidit, sermones cum non Reginis miscuit, minus digna propolarum responsa leniter excepit. Sic mercatrix sibi civibusque, non Regina visa fuit. Tali vultu Pallas apud Homerum, cum in Ithacam appulisset, dissimulato numine & nomine, mercantis habitum induit. Didicit ab Adriano Imperatore sapientissima Regina, non esse ubique observandam majestatem Principis, nec invidendam Regibus hanc humanitatis voluptatem, ad humilli-

morum colloquia civiliter se demittendi. & Plotina Trajani Imperatoris uxor in Capitolium admissa, ad multitudinem conversa dixisse fertur: *talis huc ingredior, qualem me exire cupio*, innuens hoc dicto, non minus in Imperii loco, quam extra eundem, omnibus se familiariter absque fastu uti velle. Ab eadem generosa humanitate fluxit, quod effigiem suam, cui pingendæ sedentariam moram rarissime commodat, Nobilissimis Amplissimisque Amstelodamensium Consulibus promiserit, & Hagæ-Comitis ab eximio pictore Honthorstio delineatam donativum iisdem in perpetuam sui memoriam consecraverit. Hæc ipsa jam imaginis Invictissimi Imperatoris Caroli V Proavunculi, Provinciarum harum Principis, lateri in Senatoria domo suspendenda destinatur, cum hac subscriptione:

Sic ivit nostram grandis Medicea *per Vrbem,*
Sceptrorum Mater suspicienda trium.

Reversa in Aulam Principis Regina, XVII viri, penes quos summa potestas, & cura Societatis Indicæ, ejusdem Societatis ac latissime per Orientem diffusi mercatus successus, & emolumenta M. Suæ favori ac patrocinio commendaverunt: & donaria *Medicea* elegantiora, uti vasa porcellana, arcas Iaponensium pretiosiores, lacca, auro, margaritarum conchis pulchre discolores, benigne obtulerunt.

Solent Principes, & quibus jus absolvendi à reatu miseros concessit eminens Majestas, in adventu suo clementiam suam rogati explicare. Fecit idem *Medicea*, & militibus aliquot desperatæ salutis, qui se audaci raptui administros præbuerant, vitæ gratiam coram Amstelodamensi Tribunali impetravit.

Illuxe-

Illuxerat dies Dominicus, cum Regina, abeundi certa, ad iter se accinxit. Consules qua humanitate, quibus honoribus venientem exceperant, discedentem prosequuti sunt. Eorum præscripto phalanx equitum armis vestibusque, ut ante, conspicua, è regione Palatii præsto fuit, deductura *Mediceam*. E civium cohortibus habito delectu, quingenti sclopetarii ad Harlemensem portam suis stetere ordinibus. Antequam Principis aula exiret Regina, accessere illam valedicturi Consules. Verba iterum præivit Syndicus Guilielmus Borelius, lingua Gallica, quæ sic vertimus:

SERENISSIMA REGINA,

Quandoquidem M. T. visum, commorandi hic diutius spatium præmaturo abitu præcidere; Domini mei, Consules, Rectoresque hujus Reip. quotquot præsentes adsunt, rogant obsecrantque submisse, uti M. T. sibi accepta grataque esse sinat ea officia, quæ per temporis brevitatem, M. T. præstari potuere, tanquam sincera affectus sui cultusque erga M. T. documenta. Vidit Illa universam Civium multitudinem in vultu Regiæ Majestatis hæsisse, nec videndo expleri potuisse, aut etiamnum expleri. Hæc ipsa, quæ M. T. accepit & habuit Domus, multis retro annis sedes fuit, in qua Principes nostri & Proavi Tüi, quoties in hanc Vrbem concessere, otia sua quæsiverunt. Hos ipsos ad M. T. præsentiam veluti præsentes videre nobis videmur. In illorum numero Abavus Tuus est Maximilianus *Imperator, qui ante sesqui sæculum Vrbem hanc*

 Corona

Coronæ Cæsareæ insignibus condecoravit. Da veniam, ut in tanti beneficii æternam memoriam diem hunc signemus & consecremus Regiæ Tuæ Majestati. quæ uti in Civitatis hujus prosperitatem & felicitatem aliquam admitti se sivit, ita intuitu Coronæ hujus Cæsareæ, tanquam Iridis, fidem nobis faciet perpetui Tui erga Civitatem hanc & mercantium fortunas favoris ac benevolentiæ. Hoc ut ratum fixumque esse velit M. T. serio & obnixe flagitamus. Ita M. T. perpetuo debebit hæc Civitas, debebunt Consules & Reip. hujus Rectores, qui ut submissa hæc ipsorum officia M. T. benigne accipiat, vehementer cupiunt.

Dixerat Syndicus. Tum Regina sereno vultu & ad comitatem composito, multa se fama olim accepisse de Vrbis hujus splendore & elegantia respondit, sed comperisse se, superari longe à vero famam: prospera se omnia feliciaque Vrbi huic incolisque precari: benevolo se in Remp. hanc & Rectores ejus fuisse & fore affectu, nec de eo intermissuram unquam: oblatis occasionibus, non defuturam se Vrbis commodis successibusque: Consulum se Rectorumque ejus & Civium benevolam erga se voluntatem & studia, pari amore & animi propensione amplecti, & quæ alia in illam sententiam prudenter graviterque dixit Regalis facundia.

Inde digressi Consules Celsissimæ Principi Ameliæ valedixerunt, & se, officia sua, Civiumque suorum, eidem prolixe & debita veneratione obtulerunt. Inter hæc strepuere hominum concursu compita, vici, plateæ, fora.

idem,

idem, qui intrante Regina videndi eam incesserat omnes ardor & studium, nondum abeunte se remisit. Illa, ne publica sacra novis motibus & longiore mora turbaret, circa nonam conscensis curribus discessit. Curiam prætervectæ denuo illi valedixere Consules. Regina, postquam gratissimam sibi Consulum erga se benevolentiam, tot testimoniis probatam, læta apertaque fronte significasset, per aggerem Novum, qua via Vrbem subiverat, egressa, comitante equitum phalange, juxta maritima iter suum legit. Intra primum ab Vrbe lapidem Reginæ extremum valedixit ductor agminis D. de Petthem his verbis:

SERENISSIMA DOMINA,

Pervenimus huc, ad extremos fere imperii ac territorii Amstelodamensis limites. Quare gratias agimus M. T. non solùm quod præsentia sua Vrbem hanc condecoraverit, verum, quod intranti, & nunc eadem egredienti, duces nos comitesque admiserit. Hoc à D. D. Consulibus & Rectoribus hujus Vrbis in mandatis habemus, ut quousque M. T. visum erit imperare, eandem comitemur. quod lubentes omnes, ultro, promptoque animo facere ad M. T. nutum, tanquam humillimi ejus cultores, parati sumus.

Respondit Regina, se D. D. Consulibus pro tot benevolentiæ testimoniis, nec non Equestri turmæ pro comitatu gratias agere. tempus esse uti receptui signum detur, & ita in Vrbem se recipiat officiosa equitum patritiorum phalanx. Ad has voces D. de Petthem Reginæ valedicens, & felix illi iter, & vitam longævam com-

comprecatus, cum universa phalange Vrbem repetiit. Illa iter suum urgens, Harlemum transivit, & inclinante se in vesperam die, Lugdunum Batavorum subiit: ubi debitis maximisque honoribus ab Amplissim. Senatu, Consulibus, civibusque excepta, & per noctem commorata, postera luce Hagam Comitis salva incolumisque devenit. Illud memorabile & suspiciendum, eodem, quo Amstelodamo die discessit *Maria de Medicis*, *Lodovico* Galliarum Regi exoptatissimum Patris nomen, Reginæ Conjugi Matris, *Medicea* Aviæ nomen, nato terris Delphino, accessisse. Qua illa hora Vrbe maxima exivit, editus in lucem fuit infans Augustissimus, Galliarum omnium hæres. Quod tempus Reginam subduxit nobis, Nepotem maximum dedit Gallis, post desperatam fere viginti & ultra annorum spem. Auspicatus egressus, cui fatorum veluti conspiratione synchronos fuit desideratissimæ sobolis in mundum ingressus. Orbem salutavit magnus novusque orbis hospes, & Francici, si Fata sinent, futurus rector, cum orbis Emporio valedixit Amstelodamensium rara, & prædicanda Hospes. qua nulla *dignior Amstelias patefecit fœmina portas*. Vt in votis desinam; Reginam Aviam, filium *Lodovicum*, Regem Patrem, Reginam Matrem, Delphinum, Galliæ totiusque Europæ communi gaudio & bono natum, servet, protegat, tueatur *divina clementia*, ut & illi laudanda semper subditis ac Fœderatis faciant, & hi illa laudare nunquam desinant. Ita fiet, ut & distractum misere in bellorum partes Europæ ac Christiani orbis corpus, eorundem Regum Principumque studiis & moderamine aliquando coalescat, & restituta securæ

securæ pacis felicitate, vigeat, floreat, crescat. Hoc Patriæ nostræ, hoc Regibus, hoc populo, hoc Ecclesiæ tuæ largire, *Magne, æterne Deus.*

In Natum Galliarum Delphinum eodem die & hora, quâ Amstelodamo discessit Avia

MARIA DE MEDICIS.

Qualia in æthereo succedunt sidera Olympo,
Alteraque exurgunt, altera lapsa cadunt:
Perque vices radians stellis variantibus æther,
Nunc hoc, nunc illo mutat in orbe faces:
Talis ab Amsteliis dum se Fax Itala terris,
Subtrahit, atque suum flectit ab Vrbe jubar:
Ecce procul Druidum in terris Phœbeïa surgunt
Lumina, & hæredem dissita regna vident.
Vna eademque dies Regalem lampada vidit
Nascier, una aliam vidit abire dies.
Amstela sic abitu doluit, sed Francia partu;
Totaque Delphino Gallia læta fuit.
Vive nepos Mariæ, *& quæ jam tibi* Lilia *crescunt,*
Prospera sint Gallis, prospera sint Batavis.

METHODVS STVDIORVM

Præſcripta Ducibus Megapolenſibus, ad eorundem Ephorum.



DOCTISSIME VIR,

Quæ in laudem noſtram cumulas magnifica verba, modeſtè prætervehar. Quod urbibus, regionibus, ædificiis accidere ſolet, evenit literarum & humaniorum artium ſtudioſis. Abſentia nec viſa unquam, veneramur & miramur, faſtidimus præſentia. Omnium rerum major è longinquo reverentia eſt. minuitur coram conſpecta res, quam remotam ex oculis fama claram facit. Illud auſim profiteri, me benevolentiæ & humanitatis ſtudiis concedere nulli, doctrina & eruditionis typho cuivis. Petis, ut Methodum ſtudiorum tibi præſcribam, qua inſtructus viam monſtres Principibus tuis, quos in patriæ ſuæ totiuſque Germaniæ ingentem ſpem educas & præformas. Non dubito, quin ritè noris illa, quæ ſcire à me exigis, nec alio fine hæc exigere te arbitror, niſi ut videas, quam idem tecum ſentiam, quo majore fiducia, aliorum ſuffultus ſuffragio, aggrediaris rem glorioſam tibi & Megapolitanis Ducibus perutilem.

Præſcribi poteſt methodus Principi, quam communem habeat cum ſtudioſis quibuſlibet, etiam infra Principum faſtigium & majeſtatem poſitis. Præſcribi poteſt & altera, quæ illorum propria ſit. Sunt enim in lectione & prælectione

ne clarissimorum autorum quædam cum delectu notanda, quæ Principes potius, quam vulgares animas tangunt. Ego communem ita persequar, ut Principes tuos juxta defigam in eorum contemplatione, quæ Principatum maxime decent & illustrant.

Scribis tyrocinia linguæ Latinæ addidicisse Illustrissimos adolescentes & Grammaticorum pulpæ saturas mentes ad altiora & edita Sapientiæ templa contendere. At eundum illis recto calle, ne per ambages errent & circumduci se patiantur per flexus & mæandros, cum compendio ire præstet, & plana eligere, ne inter prærupta & fragosa artium hæreant.

Magna superiorum sæculorum veneratio fuit, ideoque per veterum vestigia eundum potius, & celebratissimorum autorum monumenta, quam per posterioris & languescentis ævi minus erecta & solida commenta. In illa collimare fas est posteros, quia de assequenda majorum-perfectione desperamus nepotes. Post Grammatistarum ergo carnificinas & carceres, manumittendos suaserim Iuvenes prælustres in Ciceronis Familiares Epistolas, ob dictionis nativam & minime fucatam elegantiam, ac juxta in Terentii comœdias, tum ut suavitate rerum tenellæ mentes edulcentur, tum ut mores veteris ævi civiles domesticosque addiscant, maxime ut purissimi ævi cupediis & delicatioribus dicendi flosculis adsuescant. Adjungerem & Plautum, ob facetias & ingeniosissima responsa. hoc tamen delectu, ut ex epistolis Ciceronis, Plauto & Terentio ea excerpas & inculces maxime, in quibus Principum & rectorum reip. virtutes vitiaque notantur. His enim observationibus imbutus à teneris animus, servat

 diu,

diu,quæ adolescens imbibit. Exempli gratia,in Terentio notetur Thrasonis audacia,in Plauto Miles gloriosus,aut in Amphitrione Dialogus Iovis & Amphitruonis de rebus in exercitu & bello præclarè gestis, victis hostibus, vulneribus acceptis & inflictis. In Pænulo Actus secundus, ubi colloquuntur Lycus & Anthemonides miles. In Truculento Stratophanis militis colloquium. In Bacchidibus Cleomachi loquentis verba. In Epistolis Tullii observent, quam sine fastu & procul omni adulatione scripserint Cæsar Ciceroni, Cicero Cæsari, Brutus Cassio, Atticus Ciceroni, cum ignota essent amplissimorum, nobilissimorum, doctissimorum, prudentissimorum vocabula & superlativi.

Post hos prælegerem Cæsaris Commentarios, cum perpetua rerum militarium lectione excitetur generosa Principum indoles, & orationis Romanæ minimè affectatum leporem spiret maximus Imperator. Vnus quippe semper habitus est, qui eas res gesserit, ut à quovis scriptæ essent, admirationi hominibus futuræ viderentur: unus qui ita scripserit, ut quibuscunque de rebus scriptam historiam reliquisset, maxima voluptate legeretur.

Curtius, Salustius, Iustinus, Florus gravius & magis elaboratis verbis loqui amant. Itaque hos cuperem submitti prioribus. ita tamen, ut seligantur Orationes Charidemi ad Darium, ex libro tertio, Legatorum Darii ad Alexandrum lib. quarto, Alexandri ad milites lib. sexto, & lib. nono. Philotæ libro sexto, Hermolai & Callisthenis libro octavo.

In Salustio advertere velim Principes tuos ad nefandas artes Iugurthæ, & laudatam severitatem

ritatem Catonis in puniendis Catilinę conjuratoribus. Legantur ſtudioſius Orationes Catilinæ ad conjuratos, adverſariæ C. Cæſaris & Porcii Catonis ſuper captis & convictis perduellibus, Oratio Micipſæ regis ad Iugurtham. Oratio Adherbalis à Iugurtha regno pulſi. Oratio Marii ad Quirites de expeditione Africana. Omnium graviſſimè & ſententiis ad argumenti majeſtatem ad miraculum compoſitis maximas res effantur Livius, Suetonius, Tacitus. Hos dum legunt Principes tui, attentius ipſos advertere velim ad Romani imperii incunabula, ſimplicitudinem, fortitudinem, alienos ab ambitione, avaritia & luxu Conſules. Inde ad creſcentis & adulti imperii vitia, ſeditiones, tumultus, parricidia & cauſas malorum, ambitionem, avaritiam, adulationem, tyrannidem, luxuriam. Seligantur è Livio Orationes hæ, Lucretiæ de violatione, Legatorum ad plebem de reditu in urbem lib. tertio. Valerii Conſulis hortantis ad pugnam, ibidem. Camilli ad pædagogum Faliſcorum lib. quinto. Oratio M. Valerii Corvini ad ſeditioſos milites lib. ſeptimo. Fabii Maximi ad populum de deligendo imperatore libro vigeſimoquarto. Scipionis reddentis ſponſam lib. xxvi. Oratio Annibalis ad Scipionem de pace, & Scipionis ad Annibalem lib. xxx. Oratio Philippi Regis Macedonum de regni hæreditate lib. xl, In Tacito diligentius expendantur Orationes Germanici Cæſaris l. i. Senecæ ad Neronem & Neronis ad Senecam l. xiv. Peti Thraſeæ lib. xv. Galbę imperatoris ad Piſonem l. xvii. Othonis ad milites ibid. Cerealis lib. xx. Agricolæ in vita Agricolæ. In Flori hiſtoria notetur dictio elegans, & florida, & ut nullibi ferè non poëtam agat

historicus. Iustinus res Græcas Latino sermone compendiose perstrinxit. Maximi scriptoris Trogi Pompei abbreviator. Illud quoque perutile fuerit, Principes tuos ob oculos sibi ponere ideam vitæ Imperatorum ex Epitome Sexti Aurelii Victoris à Cæsare Augusto usque ad Theodosium. Is enim scriptor, uti est multo jucundissimus, ita nescio, an ad vitam bene instituendam Principi ulla magis narratio conducat.

Nec dissuaserim in Ciceronis libros de officiis, de Amicitia & Senectute illos dimitti, etiam in lectionem orationum Ciceronis, præsertim earum, quæ vel ob dicendi vim, vel ob rerum sententiarumque momenta, vel ob oratorium artificium præcellunt. Tales sunt Oratio pro Archia poëta, quæ poëtarum & literarum laudes habet, pro lege Manilia, quæ Imperatorias virtutes recenset, pro M. Marcello, quæ de Clementia differit, in Catilinam, qua in proditores & perduelles invehitur, pro Milone, qua docet vim vi repellendam.

Quin illo, quo jam sunt, ætatis curriculo, maximorum Poëtarum lectione illaquearem Principes pueros. Eclogas Virgilii, præsertim illam, quam Sicelidum memoriæ inscribit, memoriæ mandare pulchrum fuerit & perjucundum. Exordia itidem augusta librorum Georgicorum. Ex Æneide Neptuni Æolum increpantis stupendam invectivam. Æneæ de Trojano excidio narrationem coram Didone. Hujus amores pathetice libro quarto descriptos, ejusdem fulmina & diras in abeuntem Æneam. Anchisæ de Platonica philosophia perorantis orationem libro VI. Romanarum rerum seriem scuto Æneæ insculptam libro octavo.

Digna

Digna hæc sunt carmina, quæ principes tui perpetua versent agitatione. Ex Metamorphosi Ovidii librum primum de Creatione mundi & diluvio, nec non secundum de Phaëtontis temeritate & lapsu, legant sæpius. Narcissi quoque sibi placentis descriptionem, & Orationes adversarias Ajacis in Vlyssem & Vlyssis in Ajacem, super armis Achillis. Has enim posse recitare juniores Principes excellentius puto, quam si majorum genealogias ab Ænea vel Antenore aut Heraclidis arcessant. Ex Tristium libris Elegiam secundam & tertiam libri primi, ex secundo libro Elegiam secundam, ex Fastis operis procemium ad Germanicum memoriter discant.

Post hos legatur Horatius. nec pudeat heroicam sobolem in succum & sanguinem vertere ex libro primo Carminum Odam primam de variis hominum studiis, & duodecimam de laudibus Deorum & hominum, & decimamquartam de turbatæ Reip. statu, & trigesimam quartam de providentia & numinis reverentia, & vigesimam secundam de vitæ integritate. Ex libro secundo Carminum pro melle sit Oda secunda adversus avaritiam, pro nectare tertia de servanda mediocritate in rebus secundis & adversis, pro ambrosia Oda prima libri tertii, de beatitudine. Oda secunda & tertia ejusdem libri Principum propriæ sunt. Agunt enim de fortitudine militari & recti Constantia. Augusti laudes & Attilii Reguli virtutes Oda quinta deprædicat populi rectoribus in exemplar & virtutis incitamentum. Oda decima sexta auri vim exponit, & moderatam ejus cupidinem probat. Harum gravitatem diluet Oda nona procantis Horatii, qua nihil suavius & festi-

vius ſcripſiſſe Flaccum teſtari ſolebat I. Scaliger. Laudes Druſi magnifice exequitur Oda quarta libri quarti Carminum, nec poſſunt non erigi ejus recitatione bene nati juvenes.

Vitæ ruſticæ laudatio Oda ſecunda Epodon, ruris interdum licentiam Principibus facit, ne ſolius vitæ Aulicæ beatitudine inebriari ſe ſinant, ſed à ſtrepitu urbium remoti dulci ruris otio & ſimplicitate caſtigent aularum murmura & fulgorem.

Libri de Arte Poëtica omni auro cariores eſſe debent erectis Principibus, quibus non eſt ſatis tribunali & foro jura dicere, ſed & in poëtas cenſuram ſtringere,& Dictaturam exercere in illos cives,quorum propria laus eſt eruditis commentis & prodeſſe & delectare.

Ex Satyris cupiam placere Satyram primam lib. 1 Sermonum ad Mecœnatem,Qui fit Mecœnas,&c. & ſecundam ex libro ſecundo, qua luxuries traducitur & frugalitas commendatur.Ex Epiſtolis primam, & ſecundam,ob ſummam operum Homeri, nec non primam libri ſecundi ad Auguſtum, ubi de ſcriptorum antiquitate & novitate ſententiam fert.

Quin & illud minime negligendum, ut Principes tui graves vernanteſque ſententias per univerſum Horatium ſparſas, referant in libellum & familiares ſibi illas reddant. Nam in quotidiano ſermone & literis ſcribendis pro floſculis erunt & mellitis globulis & orationis condimentis. Nec inutilis fuerit opera, ſi in aliis poëtis idem faxint.

Mox Seneca tragicus ob ſententiarum gravitatem & poëmatis ſublimitatem & argumenti majeſtatem Principes ad ſui amorem lectionemque invitat. præſertim ad Troadis lectionem,

nem, ut regnorum inconſtantiam & victoris hoſtis efferam inſolentiam mature animo præconcipiant. Dignas imperantibus voces audient in Thyeſte: quales ſunt: *ubi non adeſt pudor, Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt.* in Hercule Furente, *rapta, ſed trepida manu, Sceptra obtinentur. omnis in ferro eſt ſalus. quod civibus tenetur invitis; ſcias, Strictus tuetur enſis. alieno in loco. Haud ſtabile regnum eſt.* & ibidem: *Ars prima regni eſt, poſſe te invidiam pati.* in Thebaide, *Qui vult amari, languida regnet manu. Inviſa nunquam imperia retinentur diu.* in Octavia, *Decet timeri Cæſarem, at plus diligi.*

In Lucano dum morari libet, devorent imperatrices animæ Orationes hinc Cæſaris, hinc Pompei, & Bruti pro libertate Patriæ alloquentis Cæſarem. In Claudiano verſantibus pudor fuerit non addidiciſſe excellens illud & vere divinum Exordium in Ruffinum, *Sæpe mihi dubiam*, &c. aut non lectitaſſe bis terve vitam ſuccreſcentis in maximas ſpes Honorii, cantatam magnificis verſibus libro de Conſulatu Honorii tertio. Ex libro de Conſulatu ejuſdem Honorii quarto, recitet grandibus alumnis Chiron aliquis Principis officium:

Hoc te præterea crebro ſermone monebo.
Vt Te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas. cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam. nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.
Sis pius imprimis. nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

Et

Et post:

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.
In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi. tunc observantior aqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis, &c.

Quid scire, quid discere oporteat Principem, quomodo in Philosophorum libris versari, docet Claudianus exemplo Mallii Consulis in Panegyri de Consulatu Mallii. De bellicis & politicis virtutibus differentem audiant in laudatione Stiliconis. Ab his patiantur se deferri ad lectionem Epithalamii in nuptias Honorii & Mariæ, & Palladii ac Serenæ, ob carminis amœnitatem, & poëticæ artis facundiam & suavitatem argumenti. quod alienum minime est à Principibus. quia interest ipsorum, dignis connubiis jungi. Illa cum legent,

glifcent primæ sub pectore flammæ,
Et poterit placuisse Duci, Dux femina regni.

Qualis vero uxor Ducibus ducenda, docet laus Serenæ, uxoris Stiliconis. Ex Epigrammatibus Claudiani maxime placeat illud, de crystallo & Sphæra Archimedis.

Vbi è Latio in Græciam migrare lubebit, post perceptas Grammaticæ Græcæ regulas, legant Duces tui Novi Testamenti Scriptores sacros Græcè, & speciatim cap. 13 ad Romanos. Isocratem ad Demonicum. Epicteti enchiridium, & Cebetis tabulam, Lucianum ob facetias & erudita dicteria, Xenophontis Cyropædiam ob Atticismum, non quod ad historiæ fidem scripta sit, sed ad effigiem recte imperantis.

tis. Maxime vero volvant & revolvant Plutarchi Moralia, ob omnigenam & confertam doctrinam. Excerpendus hic Commentarius, *Cum Principibus maxime debere Philosophum sermocinari.* & alius, cui lemma : *Ad indoctum Principem*, nec non ille *de instituendis liberis*, & iste, *Quomodo audiendi poëtæ juvenibus*, & similes.

In Poëtarum Græcorum ordine familiam ducat Hesiodus, Phocylides, Theognis, inde Homerus, cujus Ilias *Stultorum regum & populorum continet iras*, Odyssea vero, Quid sit *pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, Plenius ac melius Chrisippo ac Crantore dicit.* Theocritum, Sophoclem, Euripidem postea legendos suaserim. Atque hæc quidem linguæ Græcæ vel mediocris cognitio Iuvenes Principes populo & doctorum vulgo secernit, & fontes monstrat, unde omnis in Latium dimanavit Sapientia. Etenim & philosophia universa & historia & Medicina & artes Poëtica & Oratoria, Græcos primum Scriptores agnoscit.

Philologiæ studium licet minus necessarium Principi, tamen ex Plinio, Plutarcho, Gellio, Macrobio, præclara multa posse recitare, generosum & illustre. Hac doctrinæ parte in pretio habeantur Chiliades Erasmi, opus infinita scaturiens eruditione. Seligantur Adagia, quæ Reges Principesque concernunt. qualia sunt: *Regis cerebrum, Regia vaccula, Regum offensa vitanda, Regum aures atque oculi multi, Regum manus longæ. Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. Multi Duces Cariam perdiderunt. Bellum dulce inexpertis. Imperator bonus & idem miles. Aureus pons sternendus hosti. Pax redimenda*, &c. Nec in hoc studio destitui eos cupiam à Calepino,

no, qui de quovis argumento breves discursus facit, nec à Thesauro linguæ Latinæ H. Stephani, nec à Græco Lexico Constantini vel Stephani: uti nec à doctissimis libris Rhetoricorum Cl. Vossii, ejusdem Historicis Græcis & Latinis, & de Arte Grammatica.

Logicis exercitiis nolim Principes diu detineri. Suffecerit terminos artis Logicæ, Prædicamenta, Prædicabilia, doctrinam de Interpretatione, Sillogismi conficiendi, ac Definitionis, Divisionis, Methodique regulas in compendio didicisse. Atque hæc ex Aristotele haberi possunt & debent.

His παιδείας studiis defuncti, Philosophiam ipsam adeant, & primo Mathematicam, tum puram. Geometriam & Arithmeticam; tum mistam, Astrologiam & Opticam. Etiam Chronologiam & Geographiam ob historiarum intelligentiam, cui illæ facem præferunt. Geographia namque locorum, regionum, urbium situs, & in iis portus, flumina, montes aperit. Chronologia seriem temporum exponit, & velut terminis quibusdam finit imperia, bella, eventus.

Adhæc Naturalium rerum scientia imbui Principem perquam necessarium, ut discat, quomodo & ipsis Regibus ducibusque imperent astra; & terris hominibusque non unius indolis, diversissimi temperamento Principes. Harum arcana ex Physicis Aristotelis petantur.

Metaphysicam scire Duces, præsertim ubi de Deo, Angelis, & statu animæ separatæ & corpore disputat, prorsus ἀναγκαῖον est. Reverenter illum discent habere, cujus unitatem, simplicitatem, omnipræsentiam, omnipotentiam, æternitatem, omniscientiam, bonita-

nitatem, justitiam naturalibus rationibus evicerint.

Moralem Philosophiam & Politicam ex libris ad Nicomachum & Politicis Peripateticis hauriant, & capita illa de triplici regimine eique oppositis vitiis addiscant non segniter. Nec grave sit Ducibus, Politica Iusti Lipsii perlegere sæpius, ob dispositionis artificium & sententiarum cumulum & authoritatem. De hac Philosophia loquitur Plato, cum pronunciat beatas fore Respublicas, in quibus imperarent philosophi, aut qui imperant philosopharentur.

Hoc philosophorum circo inclusis, Senecæ & Plutarchi lectionem unice commendo, sive de moribus severe judicare, sive de Natura subtiliter pronunciare cupient.

Tum amplissima Historiarum spatia se Ducibus pandunt. Discant hic Historiam vel Divinam esse, vel Humanam. Divinam vel Iudaicam esse, quæ è libris sacris, Iosepho & ejus interprete Hegesippo est haurienda: vel Christianam, quæ ex Novi Testamenti libris & Historiis Ecclesiasticis Eusebii, Sozomeni aliisque petenda. Humana præter prudentiam & rerum peritiam, *Virtutum stimulos & semina laudum, Atque exempla dabit.* Si publica scire desiderant, Orientalem, Græcam, Romanam, Barbaram historiam legant. Orientalis res Iudæorum, Ægyptiorum, Syrorum, Persarum exponit, quæ nosci poterunt ex Iustino, uberius ex Herodoto & Diodoro Siculo. Græca Spartanorum, Atheniensium, Thebanorum & Macedonum res gestas recenset, authoribus Thucydide, Plutarcho, Arriano, & è Latinis Q. Curtio. Romana vel vetus est, vel media, vel recentior. Vetus ab urbe condita ad Augustum excur-

excurrit, illustris Scriptoribus Græcis & Latinis, Dionysio Halicarnasseo, T. Livio, Polybio, Plutarcho, Appiano, quibus addi possunt compendia Vellei, Flori, Eutropii, Orosii. Media Tacito & Suetonio superbit, aliisque Augustæ historiæ Scriptoribus, è Græcis Dione Cassio & Herodiano. Recentiorem scripsere Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Nicephorus, Gregoras, Græci.

Barbaram historiam voco, quæ scisso fractoque imperio gesta, cum major pars ad Gallos, Germanos, Turcas ivit, enarrat. Scriptores sunt, Iornandes, Procopius, Agathias.

In harum lectione dum versantur, seligant & transferant in libellos, res maxime memorabiles, ritus & consuetudines gentium, sententias, exempla tum virtutum, tum vitiorum.

Theologia licet ad Theologos spectet, tamen dedecet Principem Christianum ignorare Fidei Christianæ capita, ne in regno suo quasvis dissensiones schismatum esse argumenta sinat, aut quosvis errores nimis tepido religionis amore ferat ac foveat. Occurrit his malis lectio Scripturarum, quæ hæresin à leviore errore discernunt, etiam receptæ inter Protestantes Fidei formulæ, nec non Patrum in Fidei fundamentis consensus.

Ad horum omnium scriptorum lectionem animum Duces tuos adferre velim alacrem & defecatum. Conferent illum, si studiorum temporibus interponant dilucida intervalla. Nec enim tetricos istos & rigidos Ephoros amo, qui heroicas mentes horis & clepsydræ alligant, tanquam mercenarias & servas. Ludant, saltent, equitent, currant, canant, venentur, horas

horas eligant, quibus maxime ipsis animus legendi scribendique. Nutriuntur à Iove tenerius Principes, & ab aura cœloque foventur propius. Hoc cum serenius est, vel studeant, vel se recreent. cum nubilum magis, exercitio honestiore serenent mentem. Extinguuntur generosiores igniculi confertis studiis, & uti vascula angustioris orificii superinfusum copiosius humorem respuunt, nimio lectionum numero obruitur avidissima sciendi ætas. Minus quoque proclivi ad meditationes sunt animo, qui invitis temporibus student. Exercetur tyrannis in viros à male imperantibus. exercetur quoque à præceptoribus in discipulos. Blandos vult esse Doctores Flaccus, & pueris crustula dare, elementa velint ut discere prima. Vti corporum nervis robur accedit ab ætate, ita judicii, memoriæ, phantasiæ, ingenii organis. Hæc fatigata intempestive, languent citius, & spem solidæ & maturæ eruditionis incidunt. Herbas vide & olera, quæ sub initia veris ab avaris colonis fornacum calore & fimo fervidiore tepefacta germinant ocyus, at mox adultiora deficiunt & exarescunt. Est illud seculi nostri cacoëthes. gloriamur parentes, si videamus præstare posse puerulos, cruda adhuc ætate, quæ non possunt alii annis aliquot majores. ideoque atteri patimur ingenia & spirituum fontes exsiccari per pædagogos, ac affligi rationales potentias, quæ, ubi adoleverint illi, marcent & stupent, attrita ad perpetuarum & crebrarum lectionum corem ingenii acie. Caveant ergo ante omnia prudentiores Ephori, ne memoriæ Principum graves sint, & addiscere illos memoriter velint prosa oratione scripta. Carminum alia est

ratio,

ratio, quæ ob connexionem & pedum vincula facilius se ingerunt.

Præterea dum legunt, ad manum sint codicilli & adversaria, in quibus phrases sententiasque elegantiores transscribant: aut ad finem librorum, quos legunt, inseri curent pagellas aliquot puras, & in illis & paginam libri & argumenti alicujus nobilioris caput notent. Sic, cum opus erit, ad chartas illas recurrere dabitur, tanquam ad locos communes.

Insuper styli exercitiis quotidie aut alternis diebus incumbant. Latine scripta vertant in linguam vernaculam, hac scripta in Latinam vel Græcam. Cum scribenda erit Epistola, Ciceronis pro paradigmate erunt. Inde salutandi, gratulandi, condolendi, gratias agendi, hortandi, dehortandi formulæ petantur. Nec Senecæ aut Plinii legi dissuaserim, ob rerum gravitatem & usum. In scribenda Oratione, præeat iterum Cicero, hinc Livii, Salustii, Curtii masculæ & erectæ orationes. Interdum velim solos singulosque ambulare per Musæum, per hortum, per agros, & meditari orationem vel Epigramma. Sic sine subere discent natare, & à se quidvis impetrare, ac propriis ingenii viribus fidere, qui aliorum hactenus succo & veluti præmansis buccellis victitarunt.

Latine semper loquantur, præsertim cum doctioribus. imperandi jussa Principem accipere ab inferiori nefas, at loquendi scribendique flosculos fas omnino.

Denique quibus curæ sunt Duces, inter deambulandum, ex iis, quæ oculis sensibusque aliis se offerunt, occasionem captent docendi & quærendi, modo de Sole, Luna, stellis fixis, cœlorum magnitudine, figura, motu, incorrupti-

ruptibilitate, operationibus, modo de elementis, de metallis, stirpium & animalium natura, Solis accessu & recessu, dierum noctiumque incrementis ac decrementis, Eclipsium Solis & Lunæ causis, de animæ facultatibus, &c. Etiam vicinorum, Regum ac Principum studia, molimina, successus prosperos adversosque recitent, ut à teneris assuescant ea cogitare, quæ agere viros oportebit.

Quod si forte Ducibus ad exemplum Augusti, Germanici, Mecœnatis, Ciceronis, Neronis, Adriani, animus sit, non in castris solum & bello, sed & Parnassi vertice lauream mereri & vatibus inseri, hanc, qua ad Carmen itur, viam insistant:

I. Poëtam faciunt, Natura, ars, exercitatio.

II. A natura duo sunt: Inventionis facilitas, & impetus sive furor dicendi poëticus.

III. Inventionis facilitas & felicitas ab imaginatione est. Cum enim poësis naturæ sit imitatio, poëta imitator: oportet eum naturas rerum cœlestium & terrestrium, adhæc affectus amoris, odii, iræ, metus, & quæ his sunt similia, animo circumferre, & phantasia agitare.

IV. Quicunque ergo imaginatione valent, aptiores sunt per naturam ad pictoriam artem & poësin.

V. Furor & impetus poëticus itidem à natura est, & calidiore spiritu & sanguine, qui uti incitatur facile, ita præcipitat venam poëticam, ut expeditius fingat mens, quæ & sunt & non sunt in rerum natura.

VI. Idem furor versuum copiam suppeditat, sicut copiosius fluere solent aquæ, quæ impetu feruntur, juxta illud Horatii: *Monte de-*

decurrens velut amnis, imbres. Quem super notas alluere ripas, Fertur, immensusque ruit profundo Pindarus ore.

VII. Ad artem, præter præcepta Grammatica, de syllabarum quantitate, & pedibus, utile erit ex Scaligero discere, diversa carminum genera & genium singulorum. Quid nempe proprium sit Heroici aut Epici carminis, quid Elegiaci, quid in Iambico, Scazonte, Hendecasyllabis, Choriambico, Sapphico sit maxime observandum.

VIII. Quid differant carmen tragicum & Comicum, quibus legibus Tragœdia, quibus Comœdia scribi debeat, quid sit carmen Lyricum, quid Satyricum, &c.

IX. Necessium quoque est ad artem poëticam, lectitare poëtas clarissimos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Senecam, Iuvenalem.

X. Virgilium, Lucanum, Claudianum imitandos censeam in Epico carmine, Horatium in Lyrico, Ovidium in Elegiaco; in Comico Terentium, in Tragico Senecam, Satyrico Iuvenalem.

XI. Hoc etiam agendum, ut unum aliquem è multis poëtam familiarem nobis reddamus, eumque velut in succum & sanguinem convertamus. Ita fiet, ut impressa menti optimi carminis idea, habeant, quem in scribendo imitentur.

XII. Opus insuper est cognitione aliqua universali rerum naturalium & moralium, avium, quadrupedum, piscium, arborum, fluviorum, montium, silvarum, regionum, Deorum, & Dearum. Faciunt enim illa ad elegantiam carminis, & locuples argumentum suppeditant vatum commentis.

XIII. Plura

XIII. Plura præcepta ad Artem poëticam pertinentia, petere licet ex eruditissimo libello Horatii de Arte Poëtica.

XIV. Denique exercitatione opus, sine qua nec natura nec ars quicquam laudabile præstare valent. Itaque crebro scribendi versus. nec tam laborandum ut multos scribant, quam ut bonos. Quare premendum est poëma, & sæpius ad incudem revocandum.

XV. Eligenda etiam materies apta poëticæ commentationi, ut bellum, pax, tempestas, Aurora, Vespera, Meridies, Ver, Autumnus, Virtutes, Vitia, &c.

XVI. Vbi versus aliquot scripserint, paulisper deambulent, & spiritum recolligant, quo alacriores redeant ad intermissum opus, & veluti novo perciti œstro.

Interdum adsuescant scribendo Epigrammati: quoties enim lepidum quid, aut memorabile accidit, quodque acumen ferre possit, disticha duo aut tria meditentur, &, quod proprium est Epigrammatis, acute & nervose concludant.

Hæc de formandis Ducum Tuorum studiis dicenda habui, non ut Te, doctissime Vir, doceam, sed ut videas eadem me dicere, quæ tu facienda sentis. Præscripsi normam, non fixam & immobilem, sed Lesbiam, quæ accommodari debet genio, captui, indoli discentium. ut enim cuivis pedi non quadrat quivis calceus, ita nec eadem methodus cunctis conveniat. Vti æger à Medico, animus à præceptore curandus. ætatis, temporis, temperamenti habenda sollicita ratio. Nec est, quod deterreat Duces tuos autorum multitudo & discendi labor. Sunt in flore ævi, & ut cor-

pus labori, mens ferendæ intentioni par redditur. Non est quod cessent iter doctrinæ & honoris ingredi,

dum res & ætas & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Nihil tam arduum, quo non penetret studiosa & fervida animi vis. quisque dies opus suum probat. proficimus indies tacitis incrementis; ut herbæ & virgulta. mox profecisse nos sentimus & cum Sole progressos esse progressus nostros. Adsit tenor & constantia. & si à Sapientiæ omnis autore Deo ingenio vim, moribus & affectibus moderationem petent, rem factam habebunt Optimi Principes. Non poterunt non excellere scientia Duces, religione, pietate, & tot heroicis virtutibus præparati. Scripsi hæc rogatu tuo, ob singularem, quo in Duces Megapolenses feror, affectum. Debent Maximis Principibus istiusmodi officia, quorum quoque interest, ut regnorum rectores sapiant, per quos non imperiis solum, urbibusque, sed & humanioribus litteris earumque professoribus, suus constat honos, dignitas, & excellentia. Vale Vir doctissime & amicissime. Amstelod. ipsis Calend. Februarii cIↃ IↃ c xL.

METHO-

METHODVS MORVM
præſcripta
DVCIBVS
LVNÆBVRGENSIBVS,
ad eorundem Ephorum & ſtudiorum formatorem.



OBILISSIME DOMINE,

Cum ſuperiori anno hic eſſes, una cum Sereniſſimis Principibus Lunæburgenſibus, eo me dignatus es honóre, ut epulis tantorum Divûm accumbere licuerit profeſſori umbratico. Ex eo tempore hæc me cura momordit, quo potiſſimum officio dictis Principibus gratitudinem meam affectumque teſtarer. didiceram quippe à Magni Alexandri Ephoro, poſſe etiam inter ſorte ac dignitate diſpares ſervari illam, quæ in amicitia requiritur, ἰσότητα, hoc eſt, æqualitatem. Etenim, quos natales ſui & imperii dignitas populo ſecrevit, horum beneficentiam & erga inferiores magnificentiam, æquari quodammodo vult inferiorum majore obſequio, fide, ſubmiſſione, benevolentia. Quamobrem è Belgio abiturientes Principes veſtros hoc hodoporico proſequi volui, & præceptis quibuſdam ſalutaribus inſtruere devota Patriæ ſuæ, populo ac ſaluti publicæ pectora. Non quod ignorare hæc optimos Duces putem, quæ faciunt ultro, ſed quia dici amamus ſæpius, quæ fieri oportet ſemper. Cum maris obvenient navigantibus tædia, cum male olebit nautea, ad hos fragrantiſſimi odoris floſculos deflectant.

ctant. Cum caballis vehentur, cum ascendent in colles, aut descendent in valles, cum prandio cœnaque equestrem fatigationem levabunt, monita hæc subinde cogitent, quæ secuti peregrinabuntur tutius, & ad suos reversi imperabunt felicius.

Primo cupiam ipsos Pietatis & Religionis Christianæ, qua Deo, quantumvis Principes, alligantur, esse studiosissimos. ideoque alienissimos esse velim ab eorum contubernio & familiaritate, quibus pietatis voces & SS. Literarum oracula ludus sunt & jocus. Cogitent, summum illum rerum humanarum arbitrum mediis ipsorum cogitationibus intervenire, prospera omnia eventura ipsum colentibus, adversa contemnentibus. Quare jam juvenes damnare discant & devovere impias Florentini scriptoris assertiones, quibus religione utendum suadet, veluti mercimonio, & arte, quibus vel comparantur regna, vel conservantur, vel diffunduntur latius. Cogitent Principes se dari religioni formandos, non illam ipsis. Religionis esse, informare custodem suum, non custodis, illa tanquam Lesbia norma uti. Ne credant, sufficere, si Princeps pietatem, fidem, religionem sancte colere videatur. Serio res divinas curare oportet. Non eget Sinoniis artibus religio, quæ incrementa sua à simplicitate, veritate & candore sperat. Improbent jam à teneris simulationem religionis, à qua animo sunt alieniores. Eam amplectantur, non quæ imperaturis conducet, sed de salute sua serio cogitantibus. Ne sint non necessariæ novitatis avidi in rebus fidei. Eam, quam à majoribus accepere & hausere tueantur. Ob ritus cultus divini non imperatos, populum sibi

ſibi commiſſum turbari non ſinant. patrios mores repudiare timeant. Si quid immutandum corrigendumque, ex eorum conſilio mutent corrigantque, penes quos ſacri juris poteſtas eſt, & ad illa primitivæ Eccleſiæ tempora reſpiciant, quæ Apoſtolicis fuerunt viciniora. Quo enim ab his longius retro itur, quo fœcundius pullularunt, jacta in agrum Domini zizania. Nullius conſcientiæ vim inferant, aut ea cogant credere, quæ ut credant probentque, ab animo ſuo impetrare non poſſunt. Non vult cauteriis inuri fides, ſed rationibus inſtillari, docendo illam magis, quam jubendo; monendo, quam minando ingeras. Et ut in fidibus, quæ diſcrepant non ſtatim abrumpuntur, ſed paulatim ad concentum reducuntur, ita in fide errores corrigi neceſſe eſt, ut ſuperſint, quos erraſſe pœniteat. Caveant ſedulo Principes, ne dum pii eſſe volunt, homicidæ comperiantur, ne rigore nimio purpuræ potius cultores, quam Dei, cives ſuos faciant, aut vaſtitatem inducant, cum idem omnes ſentire imperioſius volunt. Tunc vero multum ſe profeciſſe credant Principes, ſi non eandem ubique, ſed diſparem obſervaverint eſſe credendorum neceſſitatem. ideoque non quibuſvis diſſenſionibus dirimi patiantur Eccleſias, & in fruſtra diſcerpi, ſed ex Catholicis Chriſtianorum Symbolis fidei unitatem æſtiment, & ferre diſcant non per omnia idem ſentientes. Audiant hic ſuffragia eorum Theologorum, quos doctrina, pietas & moderationis Chriſtianæ ſtudium commendat. De verbis & quæſtiunculis vitilitigantes prudenter compeſcant, cum Chriſtianorum religio omnis ſit, ſine ſcelere vivere. Dum peregrinantur Duces tui & varias Religionum formas pro populo-

 rum

rum & regionum varietate hic illic observant, discant jam nunc distinguere inter ea, quæ Christianæ fidei propria sunt, & quæ consuetudine varia, ac imperantium placito introducta sunt. Notent observari ceremonias, quæ Deum Christumque autores habent, etiam alias plurimas, quæ autorem hominem habent. His minus, illis maxime inhærendum. Aliorum sacris aut similes se præbeant, aut abstineant. nullis insultent, nullos offendant per irreverentiam, ob ea, quæ ab aliis, licet forte per errorem, habentur reverenter. hoc certò sibi persuadeant, tutandæ religioni Philosophiam & præsertim Metaphysicam, non parum conducere. & hujus principiis multas Theologorum conclusiones muniri ac roborari, ideoque hanc in regnis suis ditionibusque doceri mandent, & ipsi discant. Nec refert, maximas hæreses à Philosophis introductas esse, cum per philosophiam eædem oppressæ sint. Valentinus Platonicæ philosophiæ sectator oppugnaverat Ecclesiam, sed Iustinus philosophus & Irenæus philosophus defendit. Marcion Stoicus Christianam impetiit veritatem, sed Tertullianus philosophus confecit hostem. Celsus philosophus universam Christi doctrinam non ferendis conviciis laceravit, sed Origenes melior philosophus illius blasphemias discussit. Cum didicerint summi Numinis occultis consiliis res humanas regi, maxime Principem à supremo illo Principe dependere, & illi curæ esse firmiter statuant. Quæ Divinitas immittit, ferant fortiter: sine murmure, quo præit ille, comitentur, nec Imperatorem illum gemiscentes sequantur. Cogitent sæpe, violati Numinis aut offensi tristem esse cogitationem, nec effu-

gere

gere se posse ultorem Deum, licet clam vel impunitatis spe peccent. Illud quoque expediet Principes vestros, Sacros codices, etiam Ecclesiasticas historias diligentius evolvere, principum optimorum pessimorumque exempla in oculis habere, illorum præmia felicitatemque, horum pœnas & eventus tragicos intueri, & quibus incrementis modisque propagata fuerit & asserta adversus tyrannorum furores Christiana fides, intelligere.

In vita omni, virtuti studeant, memores illius: *Qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex.* malus erit honesti vindex, qui se honestatis imperio subtrahit. hoc agant, ut & clari audiant & boni. Iis quoque se legibus adstrictos putent, quas jus naturæ gentiumque præscribunt. Quos non exemit mortalitatis conditione Deus, nec honestate exemtos cupit. Illarum legum prima est, Princeps ut vir bonus sit. Famæ suæ, ac natalium rationem habeant. Turpe est bene natos, illustres proavorum cineres degeneri vita conspurcare. Eos Principes aversentur, quos sua scelera cervicibus publicis depulere. Est illud omni asseveratione certius, plures pios & recti tenaces ad regnum pervenisse, minori incommodo, quam improbos: plures pios felicius regnavisse, plures pios felicius & tranquillius decessisse. Multum se probitatis studiis proficere sentient, si otium socordiamque devitent. Nihil agendo recta ad omne vitium itur. Quamobrem regium & excellens puto, si optimarum se artium & disciplinarum exercitiis occupent, Alexandri, Ptolomæi, Cæsaris, Pompei, Luculli, Attici, Caroli Magni, Alphonsi exemplis. De Servio perhibet Livius eruditum artibus, quibus ingenia ad magnę

fortunæ cultum excitantur. Matheſeos ſtudia maxime commendaverim, & quidem ejus, quæ de caſtrorum metationibus, propugnaculis, vallis, foſſis, inſtruenda acie agit. Certe Frontinus conſul Romanus ſub Adriano Imperatore deos ſe in omnibus templis veneratum dicit, quod Mathematicæ ſibi ſcientiam conceſſerint. Geometriam norint, Dei imitatores, qui, ut Plato ait, ἀεὶ γεωμετρεῖ, dum omnia ordine, numero, menſura, & pondere facit. Etiam Aſtronomiam, à qua Cæſarem laudat Lucanus, *media inter prœlia Cæſar Stellarum cœlique plagis ſuperiſque vacabat.* Et quam indignum, Principem ἀγεωμέτρητον eſſe, & loca ignorare, quo duci poſſit exercitus, ubi commoda caſtrorum locatio, ubi locorum oportunitate inſidiæ ſtrui, ubi evitari prudenter queant. Nec alia occaſione à Thomyri Scytharum regina ad internecionem fuſus fuit Cyrus, quam loci ignorantia. Nec aliam ob cauſam adverſus Parthos infeliciſſime pugnavit Craſſus, feliciſſime ubivis Cæſar, quam quod ille locorum, qua copias ſuas duxit, fuerit imperitus, hic peritiſſimus. Equos etiam moderari diſcant, qua laude Bellerophon, Caſtor, Erichthonius, aliique famam meruere. Gladiatoriam exerceant, ad defenſionem ſui, offenſionem hoſtium. Artifices in quavis arte eximios præmiis erigant. Antiquitatis & utenſilium veteris ævi ſtudioſos ſe præbeant, Græcorum Romanorumque ſtatuas ſibi comparent & numiſmata. faciunt enim illa ad hiſtoriarum intellectum, & eximia voluptate animos pertentant. Libros ſelectiores ad Bibliothecæ inſtructionem colligant, doctos & ſapientia validos in pretio habeant, foveant, colant. Faciunt hi ne res Principum claræ

obli-

oblivione intercidant, & juvant consiliis non omnium gnaros. Non est unius tantæ molis capacem esse, & scientia cuncta complecti. Eloquentiæ studeant, qua in legationibus audiendis, vel consiliis, vel publicis allocutionibus opus. Infantem esse Principem & elinguem, ignominiosum. Linguis quoque discendis operam dent, iis præcipue, quarum apud finitimos aut domesticos usus. In Politicis primo Aristotelem, inde Platonis rempubl., & Xenophontis Cyrum legant. Historiam omnem antiqui recentisque ævi imbibant, & vitam ad alienas virtutes componant. Optimos consiliarios mortuos ajebat Alphonsus Siciliæ Rex. Si ad species honesti descendere libeat, quam illud amabile, si se affabiles & faciles civibus offerant, si se tales præstent subditis, qualem imperatorem optarent, si subditi essent. quam illud probrosum, si luxuriæ, si gulæ mentem mancipent, aliorum imperiis dicatam. Quam illud laudabile, si, quod fecit Gratianus, præceptorum sint reverentes, & eos usque ament, à quibus ad principatus & imperia formantur. Illud non minus ab ipsis efflagitem, ut se fortes magnanimosque præbeant, nec ad leves novercantis fortunæ impetus animos dejiciant. Taciturnitatem, sed attentam, valde laudem. Parcos verborum esse cupiam, sed audire plurima. Malim propius ad prodigalitatem accedere imperantem, quam ad avaritiam & sordes. Dare quippe & magnificum esse, divinum & regale est. Nec licere sibi putent, quicquid expedit, cum expedire non possit, quo solo principatus everti constat. Innocentes lædere non rectorum, sed tyrannorum est. Ideo sævitiam aversentur, ut quæ plus timoris addit

impe-

imperanti, quam securitatis. Populum atterere periculosum credant. Nescit ille timere, cum jejunus est, & obsequii impatiens est, cum eget. Semper compertum egentissimos audacissimos esse. Vbi rebus agendis adhibiti fuerint, fidem servent, hac lege si coërceri nolint, se & subditos fide solvunt. Nec sufficiet perfidiæ ac fraudis speciem invenisse. Distiingit fraus, non solvit perjurium. Calliditatem probo & versutiam, sed quæ à virtute divortium non facit. Fines extendant, cum sine alterius injuria extendi possunt. In bella proclives non sint, nec ea gerant, nisi extrema necessitate coacti. Iis implicati, ad pacis conditiones semper attendant, ne tamen ejus obtentus noceat, caveant. Vanas populi voces susque deque habeant. nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt, quibus commissa est respublica. Has maximas cane pejus & angue detestentur, & jam nunc exspuant hæc male cocta quorundam consilia: Necessarium esse Principi, ut præceptum habeat, (si se salvum velit) qua ratione possit esse non bonus. idque pro rei necessitate convertat in suum usum. Principem periclitari, qui inter non bonos, omnibus se partibus virum bonum præstare studet. Non chartas aut scripturam, sed vim ac necessitatem ad servandam fidem adigere. Satis esse, ut honesti speciem præ se ferant artes, quibus imperium tueri vult Princeps. Patriam defendendam esse, sive id fiat honeste, sive cum ignominia aliqua. Neque ab hoc scopo avertere quenquam debere justi atque injusti, crudelitatis atque misericordiæ, non denique laudis aut ignominiæ notam. Vti pueros talis, ita Principes juramentis ludere, minus nefarium videri. Regnum

gnum auspicantibus per vim ac nefas, demetenda esse papaverum capita. Non esse recitandas leges iis, qui gladio prævalent. Optimè de finibus disputare potentiores. De alienis decertare regium esse, privata tueri, plebejum nimis ac vulgare. Vrbes provinciasque præoccupandas, si forte facturus idem sit alter. Vtiles esse Principibus delatores, & per præmia eliciendos. Insidiari debere temporibus principem, & frigidam suffundere vicinorum litibus, ut sequestrii functus partibus solus possideat Vniversa. Anguillis tunc capturam esse, cum Regum obitu de hæreditate disputatur. Fovendas esse domi religionum controversias, ne unanimes populi in rectores conspirent. Colendas esse cum finitimis amicitias, quamdiu reip. utilitas suaserit. Deglubendam esse multorum capitum belluam, & egestatem civium esse securitatem dominantium. Exprimendas subinde esse succulentas opulentiorum spongias, ne regnantibus sint periculosi. Et quæ alia sunt plurima Machiavellinæ scholæ flagitiosa dogmata. Et ut iter facientibus aliquid suggeram ad iter faciens, cum ad Germaniam respicient, pacem ipsi absentes optent. Austriacorum potentiam nec timeant nimium, arma contra quatiente Sueco & Gallo, nec contemnant, conspirante potenti & valida domo. Consilia illorum lenta esse discant, sed sic satis certa. In Fœderato Belgio positi, has terras non leve momentum adferre posse statuant, ad restituendam S. Imperio pacem. Electorum dignitatem ac jura grandiores propugnent, cum hac sola Cæsarum potestas in ordinem cogatur. Ecclesiasticorum rigori, quoad poterunt, obicem ponant. In Britannia observent optimæ indolis

terram,

terram, ſed non optimam ubique gentem. Regis venerentur majeſtatem & pietatem, raro in regibus conturbernio. Vbi in delicatiores inciderint, timeant ea ad Acherontem ire via, quam ipſi *Surfet* vocant. Blandientes & male contrahentes caveant. In Galliis elegantioribus ſtudeant adeſſe, fugiant pugnaces, temerarios & leves. In Italia ingenioſos reperient plurimos, ſed & ſuperbos & vindictæ cupidiſſimos. Et ne ſine Iunone abeat hæc diſſertatio, Peruſiæ mulierum genus elegans offendent, Bononiæ arrogans, Romæ graves admodum, Mediolani urbanas, Veronæ gratioſas, Tarviſii zelotypas valde, Cremonæ ſumtuoſas, Lucæ caſtas, modo nemo roget. Quod ſi arma tractare & ſpectare libeat, Mediolanenſes comperient optimas fabricare galeas, Cremonenſes tentoria, Parmenſes clypeos, Tarviſianos enſes, Viterbienſes calcaria. Equos habet optimos Neapolis, Mantua, Patavium, & quod omnium mirabuntur Principes veſtri maximè, Romæ omnium hodie Italorum optimos verſus ſcripſit Pontifex Vrbanus. Finiam, Vir ampliſſime, ne prolixior ſim, ac tempora tua longo ſermone morer. Nihil dixi, fateor, quod non dictum ſit ſæpius. ſed repeti utile eſt, quæ factu neceſſaria ſunt. Non propterea contemnimus cibos, quia quotidiani ſunt. Nec negligimus bibere, etiam ad voluptatem, licet bibendum ſit frequentius. Et accidit non ſemel, ut ejuſdem argumenti concio, mutato oratore, magis placeat. Sereniſſimis Ducibus me & officia mea omnia trade. Iter ipſis tibique proſperet Deus Opt. Max. in quo voto deſino & vos ſalvere jubeo. Amſtel. menſe April. Anno 1641.

FINIS.

